NOVA
ACTA
ERUDITORUM
ANNO
MDCCLXXI
publicata.

Cum Sereniſſimi Electoris Saxoniae Privilegio.

LIPSIAE

Proſtant apud IO. FRID. GLEDITSCHII et
LANCKISII heredes.

Venduntur etiam Romae apud PAGLIARINOS: Venetiis apud IO. BAPT. ALBRIZZIUM: Bononiae apud LAELIUM della VOLPE: Pariſiis apud BRIASSONUM: Ultraiecti apud ABR. van PADDENBURG, IO. BROEDELETUM, et P. MORTIER: Lugduni Batavorum apud LUCHTMANSIOS: et Amſtelaedami in SCHREUDERI officina.

MDCCLXXI.

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

D. CAROLVS ANDREAS BEL.

Praefandi cauſam etſi nullam videmus, Lector; nam neque commendare, quae hoc Actorum Volumine ſcripſimus, aut aequum, aut neceſſe eſt, neque ſunt magnopere, qui inſtituti noſtri rationes, easdem ab integro paene Saeculo, ignorent: tamen obtemperandum putavimus veteri conſuetudini, ut ne prodiret Actorum annus, in cuius limine non defungeremur gratiarum agendarum officio, quod nobis et Lectorum humanitas, qua excipi et probari adhuc ſtudia haec noſtra videmus, et ſummorum virorum mittendis ad nos libris ſuis liberalitas, imponunt. Augent haec, et auctura ſunt omni tempore, alacritatem noſtram; neque eveniet

facile, quod e longinquo audimus vaticinari hominum quoddam genus, quod nos ridemus et contemnimus, intereant propediem Acta Eruditorum Lipsiensia, quibus perpetuitatem spondet et amor litterarum, et laborum patientia, ad quam natura et arte facti sumus. Sed tarde procedunt tamen Actorum Collectores? ita est omnino; sed neque habet magnam commendationem celeritas, quae omni tempore bonis litteris multa mala intulit. Nobis id certum atque constitutum est, quo adhuc tramite incessimus, spretis malevolorum vocibus et criminationibus, et posthac incedere, dareque operam, ut Lectores nostri intelligant, etiam qui lente incedant, sed certo gressu, festinare. Ita animatos, non deseret nos Tua benevolentia atque humanitas, Lector, quin exhilarabit etiam imposterum, atque bene merendi de republica studium nostrum liberaliter tuebitur. Vale.

No. I.

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiae

Calendis Ianuarii Anno MDCCLXXI.

S. CONCILIORVM NOVA ET AMPLISSIMA collectio IO. DOMINICI MANSI, Archiepiscopi Lucensis, Tomus XI. XII. XIII.

Florentiae, 1765. 1766. 1767. fol.

Complectitur huiusce collectionis Tomus XI. Seculi VII. annum 53. usque ad 87. in quod tempus incidit concilium universale VI. Constantinopoli habitum, et Synodus Quini Sexta. Acta huc pertinentia omnia reperiuntur inde a pag. 190. usque ad 1023. suntque repetita ex collectione conciliorum ab Harduino olim e libro scripto bibliothecae Patrum e Societate Iesu edita. Additamenta, quibus Coleti editio collectionis conciliorum adaucta est, maximam partem sunt e Mansi supplementis desumta. Accesserunt praeter haec et alia, ut Agathonis Pontif. decretalis, qua ii, qui voti caussa Romam ad Basilicam divi Petri proficisci cuperent, soluti hoc quasi religionis nomine dicuntur, si hoc praemeditatum iter ad monasterium Medhamstedense susceperint, cuius Abbas hac ipsa decretali Pontificis Legatus per omnem Britanniam constituitur.

Haec illius monasterii veluti praerogativa, videtur occasionem mutandi nominis praebuisse; nam hodie Petrobur-

gum usurpatur. Deinde accesserunt etiam quidam canones in Synodo aliqua Hibernica facti, et iam a Martenio Anecdotorum tomo IV. editi. Occurrit in his canonibus primum vocabulum *arreum*, cuius in antecedentibus nulla fit mentio. De eius significatu videri potest Glossarium recens editum Cangii sub hac voce, qui et ipse l. c. hos canones edidit. Subiacet vero huic novo vocabulo notio paenae ecclesiasticae, ductumque est ab obsoleto verbo *arung*, quod est remissio, quoniam fortasse hae poenae vel plane remitti, vel commutari cum aliis, ex arbitrio presbyteri, poterant. Denique commemoratur Synodus, Romae a Joh. V. pontif. habita, qua pontifici ius et potestas Episcoporum ecclesiae Turritanae inaugurandorum tribuitur. Fragmentum subscriptionum, quod e Sambuci aliquo libro scripto, Seldenus in notis ad Eutychii historiam, et inde Labbeus in actis conciliorum edidit, quodque ab utroque ad concilium Nicaenum primum relatum est, illud igitur subscriptionum fragmentum Mansius noster recte assignat tempori concilii Constantinopolitani tertii, sequutus in hoc Harduini coniecturam admodum verosimilem, qui et ipse sic statuit, esse illud cum epistola aliqua, a patribus huius concilii ad Agathonem pontif. data, coniungendum. Addidit auctor in fine singulorum huius collectionis tomorum Baluzii capitularia regum Francorum, et quidem sic, ut singula capitularia secundum seriem temporum responderent conciliis iis, quae in unoquoque tomo continentur. Cuius rei etsi affert caussas non illas quidem nullius pretii, erunt tamen quib. illae non admodum probabiles videantur. Quibus enim iamiam sunt Baluzii capitularia, et hic iterum emenda ab Mansio obtruduntur, ii fortasse se speciose deceptos conquerentur; cum contra aliis, qui ea adhuc desiderant, nec conquirere propter insignem operis raritatem potuerunt, hoc veluti munusculo offerendo gratum fecisse iure quodam suo videri possit.

Tomus XII. complectitur Seculi VII. a 87. usque ad Seculi proxime sequentis eundem annum, quo Concilium Nicae-

Nicaenum habitum eſt, cuius acta omnia in fine huius tomi collecta reperiuntur. Pag. 117. occurrunt multi canones Hibernici, partim a Dacherio in Spicilegio partim a Martenio Anecdotorum tomo IV. collecti, qui addi collectioni conciliorum univerſali poſſunt. Quod autem hos Canones ad Seculi VII. finem Manſius poſuit, in eo ſequutus eſt Dacherium, qui et ipſe l. c. illuc eſſe referendos cenſuit. Pag. 249. ſunt duae Gregorii II. Pontif. decretales, quibus augeri collectio illorum poteſt. Pag. 282. collectae, et ſuis quaeque locis additae reperiuntur Pontificum epiſtolae omnes ad Carolum Martellum, Pipinum, et Carolum M. ſcriptae, quarum nonnullas Labbeus edidit. Eas deſumſit auctor e Muratorii ſcript. rer. Ital. adiectis ſimul illius notis. Zachariae ad Bonifacium epiſtolis, quae reperiuntur p. 312. adſperſit Manſius notas Harduini, Sirmondi, et Pagi, aliquas etiam ſuas. Docte et copioſe diſputat pag. 355. ſeq. de Synodis in Italia, Franco-Gallia, et Germania, a Bonifacio et Zacharia pontifice habitis, quorum et epiſtolas hac de cauſſa ſcriptas commemorat. Pag. 413. ſeq. continentur Egberti Excerptiones, cum copioſo et utili ſuper his Manſii praefamine. His adiecta eſt collectio canonum poenitentialium Anglo-Saxonice ſcriptorum, cum verſione illorum antiqua latina.

Edidit olim Manſius, in ſupplemento ad Labbei concilia, aliquod Poenitentiale e Martenii Anecdot. tom. IV. cui in libro ſcripto, unde Martenius ſumſerat, nomen auctoris non erat additum. Hoc Manſius l. c. dixit eſſe Bedae, quem conſtat ſcripſiſſe eiusmodi Poenitentialia. Quibus autem fundamentis hanc coniecturam ſuperſtruxerat Manſius, ea omnia poſtea ſunt a fratribus Ballerinis everſa et disiecta. Repetiit Manſius illud ipſum Poenitentiale huius tomi pag. 418. veteremque opinionem contra Ballerinos firmare novis rationibus conatur, quae adeo ipſi videbantur probabiles, ut vel nomen Bedae huic Poenitentiali cum fiducia

praeponeret. In quo boni et cauti critici officio satisfecisse nobis propterea non videtur, quoniam res tamen est controversa, et in dubitationis alea versatur. Repetiit tandem e Muratorii Script. rer. Ital. cum adiectis ipsius notis, Capitulare aliquod Caroli M. p. 893.

Tomi XIII. materia est intra angustias temporis admodum brevis inclusa, etenim continet annum Seculi VIII. 87. usque ad 14. sequentis. Acta Concilii Nicaeni II. maximam libri partem assumunt. Quod Concilium a Labbeo ad a. 802. sub nomine Altinensis editum est, id Mansius hoc tomo, mutato quem ibi tenet loco, posuit ante Concilium Foroiuliense, quod est Seculi VIII. a. 91. habitum. Nimirum in illo libro scripto, unde Labbeus primum sumsit hoc Concilium, scriptum erat, *Concilium habitum fuisse Altini sub nomine regis.* Haec est veluti basis, cui superstructa est opinio, quae illud ad a. 802. refert. Sed Mansius in alio, eoque antiquiore bibliothecae Vaticanae libro scripto, reperit illa verba sic expressa, *Concilium habitum esse alti sub nomine regis.* Hanc veram et certam lectionem firmat et chronologicis rationibus, veluti hoc, Carolum ibi *regem* appellari, non *imperatorem.* Atqui si illud Concilium esset anni 802. insigniretur profecto Carolus nomine imperatoris, quippe iam tum Romae a Pontifice coronatus. Etsi enim facile concedimus, fuisse interdum imperatores etiam post coronationem Romanam regis nomine appellatos, tamen Carolo, certo constat, id numquam accidisse. Hinc patet, hoc concilium saltem non esse ad a. 802. referendum. Pag. 921. reperiuntur dictatus Paullini Patriarchae Aquilegiensis, pertinentes ad refutandos errores circa baptismum, quibus homines istius tractus fuerant obnoxii. Valde sunt hi dictatus memorabiles propterea, quod Mansius eos h. l. primus in lucem protraxit e libro scripto Salisburgensi perantiquo. Pag. 1025. continentur canones Concilii dioecesani, cuius nomen ibi expressum non est. Hos primus reperit

perit Frobenius Forster, ..obas coenobii Ratisponensis, quod a divo Emmeramo usurpatur, eruditissimus, in instructa quae ibi asservatur bibliotheca, notisque illustravit, quas et Mansius l. c. adiecit. In fine conciliorum, tempora Caroli M. respicientium, addidit Mansius p. 1073. quaedam illius aliorumque decreta ad caussas ecclesiasticas pertinentia, in quibus Carolus nomine vel regis, vel imperatoris commemoratur. Quamvis autem non certo constet, quo anno fuerint a Carolo publicata, hoc tamen inde elici potest, illa, in quibus occurrat nomen regis, esse ante annum 800. ponenda. Denique in hac Conciliorum collectione pag. 1095. primum edita reperitur epistola canonica Leonis IV. digna illa quae legatur, ad Christianorum illius temporis superstitiones recte cognoscendas.

IGNATII LUDOVICI BIANCHI, CLERICI REgularis, Dissertationes tres: I) Diss. Physica, de communicatione affectuum inter mulierem praegnantem et foetum: II.) Diss. Physico Theologica, de remedio aeternae salutis pro parvulis in utero clausis, sine Baptismate decedentibus: III.) Diss. Theologica, pro parvulis extra uterum sine Baptismate in re suscepto, aut martyrio decedentibus, nullum excogitari decernique potest aeternae salutis remedium: Cum appendice apologetica, praesertim adversus P. BLASIUM, Mon. Camaldul.

Venetiis, MDCCLXX. apud Francisc. Sansoni, Alph. 3. in 4.

Titulum Libri latinum posuimus, nam est et alius Italico sermone, quemadmodum Opus totum pagina una latine, italice altera scriptum est; sine dubio ut haberent ma-

tres Venetae, latinae linguae expertes, quae uterum gestarent, Canonici regularis super foetu suo consilia. *Prima Dissertatione*, quae est de communicatione affectuum inter mulierem praegnantem et foetum, exponitur modus quo efformantur in nobis sensationes, imaginationes, passiones, (utimur verbis auctoris;) modus quo nutritur, augmentatur, perficitur foetus in utero. Ex his praemissis deducitur modus, quo datur communicatio affectuum mulieris praegnantis in foetum; atque sub finem difficultates quaedam diluuntur, motae ab iis, qui persuadere sibi non possunt, istarum rerum quidquam a matre ad embryonem posse derivari. *Altera Dissertatio* inscripta est, de remedio salutis pro parvulis in utero clausis sine Baptismate decedentibus. Tributa est in Propositiones sex, quarum summam hic descripsimus: *Propos. I.* Pueri (sine dubio infantes dicere A. volebat, nam Bambini italice dixit,) in utero clausi existentes, sunt vere nati. *Propos. II.* pro Parvulis in utero clausis morientibus debet esse remedium aeternae salutis. Scholastica taediosa, atque minime necessaria disputatio, quae profecto non debebat virum gravem distinere. Videte sagacitatem hominis, Lectores. *Praeparatio Baptismi*, inquit, *nequit esse remedium aeternae salutis pro his parvulis*, nam potentia omnis eo utendi est ablata. *Orationes dici nequeunt remedium aeternae salutis pro his parvulis.* Iam igitur *Propos. III.* determinatur remedium aeternae salutis pro his parvulis. Profecto non erat opus tua determinatione, Vir plurimum reverende, in causa ea, quam ipsi Deo reliquendam nemo sanus dubitaverit. Sed audiamus remedium hoc. *Oblatio mortis parvuli, in fidei ac baptismi contestationem, Deo porrecta a matre praegnante nomine filii, tanquam eiusdem propria, qua filius per vocem matris (sub orationis formula) deprecetur Deum, ut si forte mortem sit in utero subiturus, dignetur Deus excipere eius mortem in contestationem fidei, ardentisque voti, eo lavacro regenerari in utero, quo regeneraretur extra uterum.* Quae nugae! quae rhetoricatio-

ricationes! Si hoc non est nebulam in pariete fingere, quid sit fatemur nos non intelligere. Aeque absurdae sunt *difficultates*, ut vocat, motae a quibusdam sibi, cum primum hanc dissertationem ederet, quam, ut parceretur chartae innoxiae, aequum erat sepultam iacere. *Propos. IV.* habet Formulam oblationis, nomine infantis in utero clausi a matre Deo porrigendam. Haec ita habet: *Respice, Domine Deus, ad infantulum, quem tu in utero meo generari voluisti: quoniam per carnalem istam generationem, communi originalis peccati labe coinquinatus, in regnum tuum, nisi spiritualiter renascatur, introire non potest; ipsemet infantulus, qui ut puer nescit loqui, te deprecatur Deum O. M. per me matrem suam, ut si forte ex concursu occursuque causarum naturalium, quas tu nec impedire nec immutare teneris, mortem in utero meo sit subiturus, te, inquam, per me matrem suam infantulus iste deprecatur, ut sicut infantes, ab iniquo Herode occisi, tui praeconium, non* loquendo sed moriendo *confessi sunt, ita eius mortem excipias in confessionem verae fidei, et in contestationem ardentissimi desiderii, eo regenerari lavacro, si fieri posset, in utero, quod tuae Ecclesiae consignasti, ut regeneraretur extra uterum.* Quam haec puerilia sunt, ab Auctore, magno conatu, ex Suarezio, et similibus nugatoribus, proposita et commendata. *Propos. V.* hanc opinionem, Ecclesiae sensui non esse oppositam, sed consentaneam ei esse, integris 22. §§phis demonstrare satagit; tanto verborum atque inanium ac futilium distinctiuncularum Scholastico-theologicarum apparatu, ut miremur vehementer, si quis, cui non est in calcaneo iudicium, haec sine taedio, et cum voluptate aliqua legere sustineat. Miseros homines, qui talibus ineptiis in Iesuitarum et Monachorum scholis innutriti, garrire audent deinceps de rebus, super quibus soli sapientiae atque bonitati divinae relinquendum iudicium est. Sed habet ea res et aliud bonis quam maxime litteris, grave incommodum. Nimirum, abducuntur speculationibus istis inanibus ingenia non mala ab omni ea disciplina, quae ad veram sapientiam recto tramite ducit, atque

atque ſenſim ſine ſenſu diſcunt et profitentur illam κενολογίαν, quae tot Saeculis barbariem humano generi intulit, et, magno doctorum talis ſtultitiae commodo, quod inprimis quaerebatur, tuita eſt. Sed pergamus, ne peius quid calamo effluat. *Propoſ. VI.* ſolvuntur nonnullae difficultates, tam abſurdis ſophiſticationibus, ut contentionem hominis mireris, qui, tamquam a Deo in conſilium adhibitus, divinae bonitati limites ſumma confidentia tales conſtituit, ut per eum Deo non liceat miſereri infantum in utero, propterea quod baptiſati a clerico non ſint. Quaſi vero oeconomia gratiae divinae pendeat a remediis cerebrinis Theologi Scholaſtici, qui de ſalute et damnatione quaſi pro imperio pronuntiat, cum deberet potius profiteri in rebus talibus ignorantiam ſuam, Deique bonitati infinitae atque miſericordiae mortuos in utero infantes relinquere. Igitur ſupervacua eſt omnis illa ex Patribus Eccleſiae, ex Thoma Aquinate, Bonaventura, et aliorum nugivendulorum teſtimoniis, coacervata argumentatio. Nebula in pariete.

Tertia Diſſertatio ita inſcribitur: *Pro parvulis extra uterum decedentibus, ſine Baptiſmate in re ſuſcepto, aut martyrio, nullum excogitari decernique poteſt aeternae ſalutis remedium.* Toto animo exhorruimus, fatemur enim, cum haec legeremus: *nullum excogitari*, *nullum decerni* poſſe ſalutis remedium &c. Quis tu es, qui excogitare qui decernere remedia ſalutis audeas, quae Dei beneficium eſt, et a ſanctiſſimo eius decreto contingit hominibus? Igitur a Scholaſticae Philoſophiae ſubtilitatibus pendebit Deus? igitur ille, ſine cuius miſericordia nemo adultorum potiri ſalute poteſt, crudeliſſimo conſilio tuo, verende Canonice, miſellos infantes, nulla ſua culpa ἄβαπτυς, aeternis ſuppliciis mulctet? Sed mittamus haec, quae una cum *Appendice apologetica*, quam attexuit auctor, legant et concoquant qui poterunt; nam et latinitate A. uſus eſt ea, quae poſſit a lectione abſterrere. Profecto, qui ſe illi oppoſuit, *Blaſius*, Monachus Camal-

dulenſis

dulcensis Ravennas, quem Blanchus confutasse sibi visus est, multa istius Sophismata detexit, quae etsi incurrunt in oculos, etiam hebetum, tamen, propter dignitatem Clerici regularis, videntur esse aliquid, quod non sunt. Sed manum de tabula.

P. VIRGILII MARONIS OPERA, VARIEtate lectionis, et perpetua adnotatione illustrata, a CHR. GOTTL. HEYNE: accedit Index uberrimus.

TOMVS SECVNDVS Aeneidis Libri I – VI. 2 Alph. Lipsiae, sumptibus Casp. Fritsch. 1771.

Acres doctissimi Editoris conatus in Virgilii carmine interpretando noti iam, edito priori Tomo, plausuque faventium excepti, nec nostra suffragatione destituti, in altero quoque exornando expoliendoque pari efficacitate felicitateque elaborarunt. In quibus persequendis urget propositum, consiliumque antea captum constanter retinet. Quod quale sit nuper commemoravimus. Verbis Poetae, ut, quod in quoque loco verum sit, indicetur, lectiones varietas subiicitur: in notis autem et interpretatione, primum paraphrasi et circumlocutione luculenta id efficitur, ut quid poeticum, quid soluti sermonis sit, pateat legentibus, deinde quid ornate vel pulchre dictum, quid eruditum antiquitate, quid ingeniosum vel inventione, vel imitatione sit, indicandis narrationum fontibus, Graecorumque, scriptorum locis verbisque similibus commemorandis et demonstrandis, ostenditur. Ex hoc studio, quod ab superioribus interpretibus fere neglectum quaeritur, inprimis censeri cupit; in quo genere quanquam plurima praestitit, tamen nondum ipse sibi satisfacit, sed indagantium diligentiae multa adhuc relicta fatetur, praesertim si quis, quod optat, ex Silii, Valerii Flacci,

Lucani, Statii, Claudiani, Ausonii comparatione ea colligere possit ac velit, quae non tam ad similitudinem dictorum, quam potius vel ad totius carminis indolem ac ingenium, vel ad mutuam in singulis partibus cum rerum tum verborum illustrationem, valeant et transferenda sint. Suo exemplo doctus, quippe indignabundus saepe sibi evenisse ut aliquem locum pulchrum esse praedicaret, caussam pulchritudinis non perspectam haberet, obscuram nonnullorum de magnitudine et elegantia ingenii Poetae suspicionem removere annititur, notis, quibus vera pulchritudo splendescere debeat, demonstratis, modoque, quo magnitudo metienda spectandaque sit, indicato, denique in omni indagatione, praeeundo, hortando, monendo, ut qui sequantur habeant ad alios quoscumque Poetas, etiam recentiores, tractandos exemplar praestantissimum. Agnoscimus studium, quo tam subiectae observationes, quam in longiori quaestione tractanda si quae essent altius ab origine repetenda, excursus numerosi singulis libris adnexi, elaborati reperiuntur; laudamusque vel adolescentum, vel etiam magistrorum caussa, nec aegre ferimus, quod vel consilio, vel decursu operis rapiente, nonnumquam ad vulgaria descendat. Satius putat, veram sententiam docuisse, quam refutandis falsis quorumdam explicationibus laudem quaesisse. Sic dissimulato Burmanni errore, Aen. 2, 237. *mediaeque minans illabitur urbi*, explicat, et in Praefat. pag. 6. scribit: „monui verbo, plerumque nulla alia re, quam vera interpretatione subiecta; quae si cui otiosa vel levis visa fuerit, antequam de eius inutilitate pronuntiet, alios velim interpretes et commentatores evolvendos sibi esse putet "

In subsidiis non alios adeo multos interpretes adhibuit, nedum omnes, sed ex antiquis, praeter Servium potissimum, Donato quidem in grammaticis et rhetoricis argutiis fere occupato praeferendum, admonitus ab Ruhnkenio, Iulium Pomponium Sabinum: e recentioribus, ad criticam

ticam partem instruendam, Pierii, Heinsii, et Burmanni copiis; ad interpretationem et sententiam reperiendam, Cerda inprimis, tum quoque Germano Valente Guellio, Trappio, et Wartono usus est.

Cum autem in ea, quae primum edita fuerat, parte, de Carminis Bucolici indole Georgicorumque ratione accurate et eleganter disseruisset, huic quoque, quae nuper prodiit, disputationes duas, alteram de Carmine epico, alteram de rerum in Aeneide tractatarum inventione, praemisit magna diligentia conscriptas, magnoque libro ornamento futuras, quarum summam, excerptis rerum quae tractantur generibus, exhibere visum est.

Cum Virgilius, ut constat, carmen epicum scripserit, quid sit epicum carmen primum docetur. Est igitur narratio omnibus numeris absoluta et perfecta, sive narrationis genus praestantissimum, et virtutibus quas id capere potest omnibus instructum, ad admirationem movendam valens, et eius excitandae caussa susceptum et compositum. Iam, miramur ea potissimum, quae cum rerum civilium varietatibus, quae cum populorum salute coniuncta sunt, quae ad haec obtinenda a singulis hominibus magno animo, inter magnorum periculorum discrimina, acta gestaque sunt; ergo carmini epico, non tam miracula naturae quam huius generis facta tractanda competunt: cumque admirationem magnam efficiat, deos audire loquutos, consilia agitare, immiscere se rebus humanis, plurima ipsorum consilio et prudentia facta legere, non tam ceterarum rerum, quam e temporibus heroicis, quibus deorum interventu res gestae vulgo creditae fuerunt, petitarum, argumenta huic carmini propria sunt. Iam admiratio rei varia est, modo cum admiratione, modo cum suavitate quadam permixta; quae vero cum terrore et gravi animorum perturbatione coniungitur vehementissima est. Ad hanc excitandam etiam Tragici affectus valent; sed propterea carmen epicum, et drama,

non est ut quidam opinati sunt, pro uno eodemque habendum. Differt epicum carmen ab dramate primum amplitudine, latius enim patet, nam est narratio per caussas et consilia exposita. Deinde ab eo differt ipsius narrationis indole, quae in carmine epico omnes, quascunque bona narratio complectitur, virtutes habere debet. Vulgaria quaedam, quae praecipi promiscue solent, hic scienter omittuntur. Excitata semel in animis admiratio ut graviter sentiatur, ut perfundat totos, ut denique non cito exstinguatur, sed diu perduret, poeta curare debet. Primum aliqua rerum notio obiicienda lectori, nam plenior ad exitum reservanda; deinde per varias ambages modo admovendus propius, modo longius abducendus, stupente novitate varietateque rerum animo. Convertitur ad Homerici Carminis cum Virgiliano comparationem oratio. Quae aetas cuiusque ferebat ea uterque in tractando opere sequitur. Naturam magis sequitur Homerus, ingeniique et animi impetum: Virgilius ea tempora nactus, quibus arti pariter ac ingenio sui spectatores exactoresque essent, magis artem, his ut gratum faciat, sequitur. Tractando non minus, quam deligendo argumento laudem Poeta reperit. Nam cum rerum omnino Troicarum vicissitudo antiquitatis celeberrimam partem tenet; tum vero heroum ab Ilio redeuntium errores conversionem attulerunt rerum Graeciae, Asiae, Italiaeque magnam. Ipsum vero si spectes principem heroem Aenean, qualis quantusque is habendus? quo genere? qua fortuna? quo nomine? qua virtute? Nec minus ob cultum bene delecto argumento additum laudandus. De quo possent infinita dici, sed ut orationi modus sit, ad haec tria omnia rediguntur: ad Homericam imitationem; ad elegantiorem phantasmatum orationisque habitum; denique ad orationis dignitatem et ornatum. Ipsam Aeneidis formam ex Homero descriptam constat. Imitatio Virgiliana Homeri, cum in opere universo exstat, tum in locis singulis, hoc est insignioribus, carminisque luminibus, rerumque orationisque

nisque ornamentis, quorum vix ullum ex sua inventione protulisse, omnia ex imitatione vel Homeri, vel alicuius poetae Graeci traxisse videtur, conspicitur. Neque hoc imitandi studium simulatum est, sed professum, neque indignum Poetae, non enim humile, tum vero naturale pronumque ei qui aliquem auctorem diligenter lectum totum imbiberit, neque a Latinorum scriptorum qui se totos ad Graecorum exemplar conformabant, more alienum, communeque adeo cum reliquis Poetis. De illo in Dissertatione pag. 29. ita scribit: „Est enim imitatio haec nequaquam servilis illa et affectata, cuiusmodi ab ingenio exili et ignavo proficisci solet; neque in alterius poetae verbis, modis, et figuris variandis, turpiter ingenii vires attrivit poeta, sed ubi occurrerat aliquid ab alio cogitatum vel inventum, statim rem suam fecit, et Homerico phantasmate tactus animus, tanquam scintilla idoneo fomite excepta, statim flamma correptus incaluit, et magno incendio exarsit, hinc novae rerum formae, nova genera, novae interdum naturae.“ Indoles orationis hoc habere cognoscitur, quod in simplicitate mirabili dignitatem servat et gravitatem. „Certe, scribit in eadem dissertatione p. 31. poetici ornatus elegantis nec affectati praestantissimum et unicum exemplar esse arbitror carmen Virgilianum; in hoc sermonis poetici genium primo constitutum, et ad certa rerum principia ac regulas exactum deprehendere, et troporum ac figurarum naturas et inversionum rationes descriptas, et ad legem redactas, discere licet. Quae ipsa res animadversa me adduxit, ut in sermone Virgilii poetico enarrando et explicando operam collocarem accuratiorem, quam in ullo alio Scriptore, recte consumi a me posse putem.“ Quod ipsum tamen non tam inventionis acumini, quam imitationis sagacitati est tribuendum, quippe poetis graecis, Callimacho, Apollonio, Nicandro, Arato, poetici sermonis exemplar habentibus. In extrema dissertatione quorundam hominum, quibus tota carminis indoles tollitur, opinionibus occurritur, nominatim Spencii aliorumque,

de conſilio carminis, quod allegoricum et politicum eſſe volunt, unde pro Aenea Auguſtum ſubſtituunt, et poetam civibus, erepta libertate moeſtis et ſollicitis, novum principem amabilem reddere et commendare ſtuduiſſe ſciſcunt. In cuius opinionis ſtultitia vanitateque commemoranda et refutanda, inſigni lenitate utitur vir humaniſſimus. Cui ſane quiſque iure indignetur, adeo nihil quod verum ſit habet, quin etiam ſpecie veritatis omni deſtituitur. Tum reſpondetur iis, qui minorem multo characterum numerum ac varietatem in Virgilio reperiri, et inferiorem Aeneam Achille et Ulyſſe arguunt. Verſus denique ad rerum ſonum exprimendum apti naturales magis habendi ſunt, quam quaeſiti, certe in re tantilla poetam, praeſertim graviorum cura occupatum, laboraſſe probabile non eſt.

Ergo demonſtrato ingenio Poetae quale fuerit, quam non tam fecundum in excogitandis novis rerum generibus, vel audax ad ſuſcipienda intentata aliis, quorum eſſet ſucceſſus dubius, ſed natum factumque ad priorum inventa rudia et inchoata perficienda, unde tandem poeta fabulam, hoc eſt narrationem, non fictam ſed veram, et eius tam copioſe inſtruendae materiam receperit, ut clarius ingenium poetae, qui ſubminiſtratis ſibi copiis magna cum iudicii ſagacitate uſus fuerit, perſpiciatur, diſquiſitione altera, *de rerum in Aeneide tractatarum inventione* diſſeritur. Qui de Aeneae in Italiam adventu, obſcuram aliquam famam ſequutum Poetam credunt, falluntur. Nam ea res narratur a multis, quo ipſo celebritas famae cognoſcitur. Fundus vero narrationis eſt apud Homerum Il. Υ, 307. in quibus Aeneae eiusque poſteris regnum promittitur, ſed quo id in loco fuerit inter veteres non convenit. Quidam in Thracia, nonnulli in Arcadia, alii in Sicilia, alii denique in Italia ponunt. Cum unusquisque Graecorum populus originem ſuam ad aliquem clarum auctorem referret, orta eſt ſententiarum diverſitas: Poeta ſequutus eſt eam famam, quae tandem prae

ceteris

ceteris vera credita est. Homeri locum legentibus facile est intelligere, sermonem esse de eo regno, quod in antiqua Troia sit, ubi Priamus regnavit. Credibile videtur hoc factum fuisse, sed mox novas turbas in novo regno coortas, novarum migrationum caussas dedisse: quo sumto, ceteri qui circumstrepunt dissensus componi facile posse videntur. Interea licet hinc cognoscere, copiam rerum narratarum Poetae pro materia carminis fuisse. Neque vero istae narrationes in omnibus discreparunt, sed habuerunt quaedam etiam quae communi consensu ferrentur. Quin etiam illud, quod per praedictionum ambages, vaticiniorumque flexus, totius operis decursus praecipitatur, non excogitatum a Poeta, sed opportune oblatum, sapienter et commode in usus conversum putari debet. Phrygia, auguriorum omninoque vaticinandi artis sedes antiqua et domicilium, unde egressi Troiani, necessario multas huius generis fabulas in Graeciam Italiamque adferre debuerunt. Maxima vero in deducendis coloniis oraculorum erat auctoritas, quod vel ex uno Herodoto constat. Haec sapienter Poeta ita est complexus, ut callide semper ab obscuris et incertis ad certiora et firmiora oracula procederet, et novis stimulis lectorum cupiditatem incitaret. —

Atque haec fere, similium locorum in quibus de oraculis Aeneae datis occurrit mentio, commemoratione, pari diligentiae quam doctrinae testificatione, in altera hac Disquisitione, tum etiam in Excursibus nonnullis, exponuntur.

HISTOIRE

HISTOIRE DE LA MAISON de Bronswic, &c.

i. e.

Historia domus Brunsuicensis: TOMVS I.

Genevae, 1767. una cum dedicatione ad regem Magnae Britanniae, praefatione, et indice: 15½ plagulis in 8. mai.

Ita sunt homines Franco-Gallici plerumque partium studiosi, ut, cum de rebus suis vel loquuntur, vel scribunt, veluti perpetui popularium suorum praecones, cum invidia aliarum nationum compareant, eosque vel tum, cum male egisse satis luculentis testimoniis constat, ad coelum usque laudibus extollant; contra cum de exterorum, in primis Germanorum, virtutibus, aut dicendum, aut scribendum est, sollicite anquirunt taxandi materiam, easque ad vitiorum usque humilitatem deprimunt. Ita solent vitia suorum in virtutes, virtutes exterorum in vitia convertere. Ab hoc scriptorum Franco-Gallicorum more propemodum constante laudabiliter discessit, et popularibus suis pudorem incussit noster Malletus, cuius libellum Franco-Gallicae scriptum hic recensendum nobis sumsimus. Professionem enim, communem illam omnibus propemodum historicis, probatam a paucis, quam statim in praefatione edidit, *primum* nimirum *et maxime necessarium historici munus esse, ut recte et veritati convenienter scribat*, hanc igitur professionem factis probavit.

Historia, quam doct. auctor hoc primo Tomo tractat, est illa quidem diuturno Eccardi, Leibnitii, Scheidii, aliorum studio, ita bene et copiose elaborata, ut arctius illam contrahenti non adeo magna favoris aucupandi fiducia relicta

licta esse videatur; manet tamen auctori nostro sua laus, qui, quae isti tanti viri uberius exponerent, eorum necessariam summam breviter et uno veluti oculo contemplandam lectoribus suis sistit. Repetit historiam domus Brunsuicensis inde ab antiquissimis temporibus, et desinit cum morte Henrici Leonis, quae contigit Seculi duodecimi anno nonagesimo quinto. Omnia in hoc Tomo redacta sunt in trium capitum angustias, quorum primum (p. 1 — 20.) est de origine domus Brunsuicensis, et Marchionum inde ab Esteo usque ad Albertum Azonem II Secundo capite (p. 21 — 25.) agitur omnino de domo Welfica, initoque Alberti Azonis II. cum filia haerede Welfica coniugio. Tertii capitis materia ita ampla et cognitu digna auctori nostro visa est ut illius tractatio ducentis propemodum paginis contineatur, et sola Henrici Leonis historia maximam libri partem (a p. 83 — 224.) efficiat. Complectitur autem omnino hoc caput historiam auctorum gentis Welficae iunioris, sese invicem excipientium. Incipit (p. 26 — 39.) a Welfo IV. quem sequitur Welfus V. (p. 40 — 52.) inde pergit ad Henricum Magnanimum (p. 53 — 82.) finit tandem omnem orationem depicto Henrico Leone, cuius historiam, ut supra monuimus, omnium uberrime proposuit. Haec est materia, quam tractat hoc Tomo Malletus noster, et in qua explicanda eius oratio versatur. Iam, ut lectores nostri intelligant, quomodo illam persequutus sit, per partes videbimus; quamquam in hoc erimus paullo breviores, uberiorem illius cognitionem ipsis lectoribus tanto magis relicturi, quanto maiorem inde suavitatem percepturos speramus. Primi capitis initium facit annus 1040. circa quod tempus Albertus Azo II. Marchio Italicus matrimonio sibi iunxit Cunizam, antiquioris domus Welficae filiam haeredem, in qua vera et certa illius gentis historia incipit. Cuius rei prolixius explicandae caussa describit cap. I. Azonis II. potentiam atque dignitatem multis verbis, repetens maiores ipsius inde ab Adelberti I. tempore, qui floruit Se-

culo decimo. Cap. II. commemorat Cunizae, Azonis II. coniugis, maiores, quorum initium facit a Welfo I. neglectis fabulosae antiquitatis temporibus, unde repeti origines domus Welficae ab aliis scriptoribus solent. Tertium caput tam largam habet rerum ubertatem, ut minutam illarum commemorationem schedarum nostrarum angustiae non capiant. Igitur pauca tantum inde delibabimus, quae digna esse nostra vel cognitione, vel admonitione videantur. Pag. 27. narrat auctor, Welfum IV. ab Henrici IV. Imperatoris partibus, quibus antea beneficiorum multitudine ab Imperatore invitatus faverit, discessisse duplicem ob caussam, quod et malis malorum amicorum consiliis patulas aures praebuerit, et suum aliquod in hac re spectaverit commodum. Henrici Nigri filius primus, Conradus nobis videtur dignus fuisse, cui a Malleto (p. 50. in fine) si non rerum gestarum, nominis certe memoria aliqua poneretur. Welfi VI. qui et *rerum praeclare gestarum* multitudine, et Mathildinarum terrarum, a Frid. I. Imperatore acceptarum, possessione posteritati inclaruit, obiter tantum mentionem A. fecit p. 52. coniungens uberiorem illius et Welfi VII. filii cognitionem cum Henrici Magnanimi et Henrici Leonis historia. Recte dicit auctor (p. 506.) marchionatum Austriacum seculo undecimo fuisse ipsam ducatus Bavarici partem ei subiectam, et anno demum, 1156. a Bavaria seiunctum esse, propriique ducatus formam induisse. Inde debebat errorem p. 74. commissum emendare, cum dicit, Leopoldum, marchionem Austriacum, anno 1339. fuisse ducis Bavarici *vicinum*. Pag. 95. quaerit, Auctor, quare non Henricus Leo comes datus sit militibus iter religiosum (cruciatam vulgo vocant,) in Palaestinam facientibus. Quae difficultas suboriri haesitanti profecto non potuisset, si intellexisset, bellum contra Venedos et ipsum fuisse nomine expeditionis cruciatae insignitum. Erat enim in comitiis Francofurtanis omnis militum cruciatorum copia in tres divisa acies, quarum prima in Palaestinam, altera in Hispa-

Hispaniam contra Saracenos, tertia contra Venedos dirigebatur, in qua et Henricus Leo principem locum obtinebat. Quamquam igitur Henricus dux nunquam est in Palaestinam profectus, interfuit tamen peregrinationi, religionis caussa contra Venedos susceptae, atque adeo illius pars magna fuit. Bene et copiose auctor noster (p. 138. seqq.) enumerat caussas ortarum inter Welfos et Gibellinos turbarum. Multa quidem possemus alia, vel reprehendendi, vel commendandi caussa dicere, sed nolumus lecturis molestiam creare, hoc tantum veluti corollarium addituri, annorum numeros, et libros, e quibus A. sua sumsit, esse in margine notatos. Ceterum, quamquam in hoc libro quaedam reperimus, unde patria hominis Franco-Gallici haud difficulter agnosci possit, (veluti illud, quod p. 29. dicit, Rudolphum, ducem Suevicum, esse a Germanis *Imperatorem* creatum:) malumus tamen benigne interpretando adiuvare auctoris conatum, quam severe vituperando repellere. Habet enim liber et integritatis, et iucunditatis commendationem adeo magnam, ut illius continuationem serio et cum certa futuri favoris promissione, ab auctore flagitemus.

EMENDATIONES IN SUIDAM: in quibus plurima Veterum Graecorum loca — cum explicantur, tum emaculantur. Scripsit IO. TOUP, A. M. Ecclesiae S. Martini cum Capella de Loo, in agro Cornubiensi, Rector.

PARS I. Lond. 1760. PARS II. 1764. PARS III. 1766. in 8.

Dignus est Suidas, cui emendando atque castigando operam dent Viri in legendis graecis Scriptoribus multum versati, idonea atque iusta linguae graecae scientia in-

ſtructi, artis criticae non expertes, et in ea exercenda triti, reliquisque dotibus praediti, quibus doctiſſimum huius libri auctorem ornatum eſſe cognovimus. Quis enim eſt, quin ſciat, Lexicon Suidae eſſe opus praeſtantiſſimum: et cum praeſtantiam libri utilitate, quam inde artes et literae bonae, et per has homines ceperint, (ut recte quidem fit,) metiri ſoleamus, multis anteponendum, quod ex eo, veluti e copioſiſſimo armario, omnia ea, quibus vera doctrina contineatur, quibusque ea acquirenda adiuvetur, et acquiſita amplificetur, depromi queant. Si quis ad interiorem linguae graecae ſcientiam adſpirat, ei, ut Suidam adeat, auctores ſumus. Hic reperiet, quo huic cupiditati ſatisfacere poſſit. Inter plurima enim bona, quae in Suida extant, eminent Scholia ab eius quidem ingenio non profecta, ſed a veteribus illis Grammaticis graecis facta, et ex horum Commentariis in Scriptores graecos, ab eo in Lexicon ſuum translata. Neminem vero, literarum graecarum peritum, fore exiſtimamus, qui neget id, quod uſum ac experientiam, omnium rerum optimam magiſtram, ipſum docuiſſe ſperamus, in graeci ſermonis interioris ſcientiae praeſidiis Scholia illa, quorum auctores graece doctiſſimos fuiſſe conſtat, ponenda eſſe, imo in iis principem locum obtinere, ita ut, qui ea in legendis graecis Scriptoribus aſſidue conſuluerint, inde magnas ſibi copias atque opes linguae graecae collegiſſe, perſpectum atque cognitum habeamus. Quae Scholia etiamſi ad nos perveniſſent, opera Suidae non accedente, id tamen laudi eius nihil detrahit. Nam Suidas viris harum litterarum haud ignaris copiam fecit, ut cum illa Scholia in fontibus ſuis corrupta et depravata eſſent, in rivulis contra, a Suida inde ductis, ſaepe meliora ſani oraque reperirentur, priſtinam iis integritatem atque ſanitatem ope eius reſtituere poſſent. Nec haec ſola eſt dos Suidae ut linguae graecae amatores ex eo hanc eius diſcendae ſitim reſtinguere queant Quam multa potiſſimum ei inſunt, quae ad hiſtoriam literariam pertineant, ita ut qui huic parti doctrinae

vacare

vacare velit, eius usura carere non possit? Nec quemquam rerum intelligentem inficiaturum putamus, nullum propemodum literarum genus offendi, ad quod Suidas non profit. Etiam ex eo peti poterunt quae ad historiam ecclesiasticam, Patrum historiam literariam, eorum scripta, et linguam qua hi usi fuerint, quae ad Criticam et Philologiam sacram requirantur. Deprehenduntur enim in Lexico Suidae glossae tum e libris divinis N. T. tum e Versione graeca V. T. quae quam multum faciat ad interpretandos et intelligendos libros N. T. satis iam constat. Quare non est quod miremur, Cl. Toupium in emendando Suida, et, occasione data, in corrigendis aliis graecis Scriptoribus, etiam eo consilio ad N. T. libros pervenisse. Qua in re etsi saepe quidem feliciter versatur, saepe tamen nimiae audaciae accusandus esse nobis videtur. Pauca quaedam exempla commemorabimus, e quibus ratio, quam in emendando N. T. sequatur, appareat.

In loco Marc. 3, 20. 21. interpretes ei non satisfaciunt, qui verba *οἱ παρ' αὐτοῦ* interpretati sunt, ac si in textu legerentur verba *οἱ παρ' αὐτῷ*. Textum vitiatum esse iudicat. Cui ut medeatur, MSS. consulit. Ab his fere destitutus, in nonnullis tamen eorum reperit *περὶ αὐτοῦ*; quam lectionem amplectitur, ita ut post artic. *οἱ* inserat *Φαρισαῖοι*. Coniicit itaque, totum locum sic legi debere: *καὶ ἀκούσαντες οἱ Φαρισαῖοι περὶ αὐτοῦ, ἐξῆλθον κρατῆσαι αὐτὸν, ἔλεγον γὰρ, ὅτι ἐξέστη. Καὶ οἱ γραμματεῖς οἱ ἀπὸ Ἱεροσολύμων καταβάντες ἔλεγον, ὅτι Βεελζεβοὺλ ἔχει.* Hanc in rem sibi favere existimat v. 6. ubi etiam verba *καὶ ἐξῆλθον οἱ Φαρισαῖοι* habeantur, et Matth. 21, 45. 46 Fatendum est, *τοὺς παρ' αὐτοῦ* non significare posse eos, qui apud eum erant; nec his verbis indicari discipulos quod in praecedd. nomina Apostolorum commemorata erant, ideoque hic omitti poterant, et e v. 20. et 31. patet, Jesum fuisse in domo quadam cum discipulis; quare *ἐξῆλθον* non potest ad Jesum eiusque disci-

pulos pertinere. Praeſtat igitur, ut cum Vulgato intelligantur neceſſarii atque propinqui Chriſti; quod requirere videtur partic. ὧν. v. 31. quae docet, Marcum tranſire h. v. ad ea, de quibus v. 21. loqui coeperat. In v. 31. autem οἱ ἀδελφοὶ et ἡ μήτηρ αὐτȣ commemorantur. Nec deſtituit nos hic uſus loquendi Graecorum, quibus οἱ παρά τινός, ut Raphelius ad h. l. demonſtravit, dicuntur qui cum aliquo ſunt coniuncti quocunque modo, ita ut diſcipuli Chriſti his verbis exprimi poſſent, ſi contexta admitterent. Praeterea etiam h. l. Syrus utitur vocabulo, quod τοῖ συγγενεῖς Graecorum reſpondet Quibus cogitatis non opus eſſe arbitramur, cum Cl. Touppio recipere περὶ αὐτȣ̃, et poſt artic. οἱ indere Φαρισαῖοι;. quod ultimum ſi fieret, verba περὶ αὐτȣ̃ ſupervacua forent. Ceterum v. 20. vult pro μήτε, ut Alex. Cod. habet, poni μηδὲ, quod praeter Alex. etiam in aliis reperitur.

Joh. 19, 29. legit pro ὑσσώπῳ, ξυσῷ, et credit errorem inde ortum eſſe, quod prima litera omiſſa fuerit. Quodſi haſtile militare intelligi debet, quod facillimum et rei aptiſſimum eſſet, emendatio Camerarii facilior videtur, qui mutavit ὑσσῷ l. ὑσσωτῷ l. ὑσσῷ τῳ.

In artic. πορνεία, ἡ εἰδωλολατρεία, qua gloſſa ſine dubio Sacer codex petitur, recte defendit Act. 15, 20. lectionem in libris editis obviam, τῶν εἰδώλων καὶ τῆς πορνείας, contra Bentleium. Inter πορν. et εἰδωλολατρ. intercedit aliquid coniunctionis, 1 Cor. 10, 7. 8. et auctor libri Sap. 14, 12. dicit, ἀρχὴ πορνείας, ἐπίνοια εἰδωλολατρειας.

In artic. σπερμολόγος addit Act. 17, 18. verbis δυνάμεθα γνῶναι, partic. ȣ̓, ut 21, 34. μὴ δυνάμενος γνῶναι τὸ ἀσφαλὲς &c. ut ſenſus ſit: nondum plane perſpicere poſſumus, quam doctrinam tradas, quare te in iudicium producamus, ut ſenſus dictorum tuorum nobis ibi a te planius aperiatur. Servata lectione vulgari, idem ſenſus exiſtit, ſi modo interrogatio in propoſitionem ſine interrogatione mutetur.

Act. 19,

Act. 19, 27. in vulgari lectione difficultas oritur, quod τά: κινδυνέυει — ἐλθεῖν — λογισθῆναι, sequantur verba μέλλειν τε καὶ καθαιρεῖσθαι τὴν μεγαλειότητα ἀυτῆς, ἣν &c. κινδυνέυει μέλλειν &c. est insolens, nec satis recte se habens constructio. Cod. Alex. ut etiam doctissimus Toupius dicit, habet μέλλει τε καὶ καθαιρεῖσθαι τῆς μεγαλειότητος, et privabitur maiestate sua, μελλει etiam in aliis Codd. μεγαλειοτητος in pluribus, et δὲ pro τε in multis reperitur. Cl. Toupius ita vult legi: μέλλει δὲ καὶ καθαιρεῖσθαι τῆς μεγαλειότητος ἀυτὴ, ἣν &c. privabitur autem et ipsa sc. Diana maiestate sua. Recte, ut nobis quidem videtur. Nam in praeced. sermo fuerat de periculo, quod quaestui artificum a doctrina Apostolorum immineret.

Act. 27, 14. Cl. Toupius pro ἐυροκλύδων, habet ἐυρυκλύδων, secutus MS. Petavii. Quod vocabulum et Analogiae convenit, et, ut etiam auctor bene docet, in Etym. M. in τυφῶν occurrit. Praeter Wetstenium nemo, quod quidem miramur, hunc locum hic usurpavit, neque hic ipse eo sic usus est, ut Criticum se profitentem decebat. Nam servavit in Edit. sua ἐυροκλύδων, quanquam Ed. Comelin. et prior apud Calliergum, ἐυρυκλύδων haberet. In eodem versu interpretes fugit, quo, in verbis ἔβαλε κατ' ἀυτῆς ἄνεμος, τὸ ἀυτῆς pertineat. Cl. Toupius ad voc. προθέσεως v. 13. referendum esse iudicat: deiecit de eo sc. proposito ventus. Qua in re accedimus ad eius sententiam.

In loco 1 Cor. 11. 10. idem facere conatus est, quod iam multos fecisse notissimum est. Etenim, cum viderent aliqui, verba ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς desiderare eiusmodi vocem, quae velamen et tegmentum notaret, tamen eos lateret, hanc vim atque potestatem vocabulo ἐξουσία subiectam esse, confugerunt ad emendationem. Ita Iac. Godofredus putavit legi debere ἐξηβίαν, de quo vid. Zorn. Biblioth. antiqu. exeget. p. 138. Quae emendatio sane speciem quandam habet, quia in MSS. β et σ facile permutantur. Certe si vestigium

ſtigium eius aliquod in Codd. et in Interpretibus antiquis eſſet, nobis magis probaretur, quam emendatio Cl. Toupii, qui pro ἐξεσίαν ſubſtitui vult ἐξιἕσα, h. e. cum foras in concionem prodit. Sed cum Apoſtolus de conventibus Chriſtianorum ſacrorum cauſa habitis, et de ornatu corporis, quo iis intereſſe debeant, loquatur, non videmus, quomodo ἐξιἕσα hic locum habere poſſit. Verba h. v. ultima, διὰ τὲς ἀγγέλες mutat in διὰ τὲς ὄχλες propter multitudinem hominum, qui eam conſpiciunt. Sed hoc ſupervacuum eſſet, ſi ἐξιἕσα recte ſe haberet.

Dum Cl. Toupius in artic. καθιγμένος θέλων corrigit, et loco huius Part. ἐλθὼν collocat: idem Col. 2, 18. facit, et legit: μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω ἐλθὼν ἐν ταπεινοφροσύνῃ, coll. Matth. 24, 5. Addi poterant Matth. 7. 15. 1 Cor. 2, 1. Hoc iam Iunio in mentem venerat. Senſus facilis eo gignitur, nec phraſis ab uſu loquendi N. T. abhorret. Sed non eſt neceſſarium. Nam θέλων aut plane hic redundat, quod genius graecae linguae fert, in qua Particip. θέλων, ut et φέρων, ita interdum ponuntur, ut prorſus nihil valeant; aut coniungendum eſt cum verbis ἐν ταπεινοφροσύνῃ, et reſpondet Hebraeorum verbo חפץ, cui apud eos iungitur Subſtant. cum Praefixo ב. οἱ ό vertunt θέλειν ἐν τινὶ, h. e. delectari aliqua re ita, ut eam expetas. Sic 2 Sam. 15, 26. ὐκ ἠθέληκα ἐν σοὶ, non amo te. Θέλων ἐν ταπεινοφροσύνῃ igitur h. l. eſt affectator modeſtiae.

1 Tim. 4, 3. doctiſſ. auctor cum Grotio, poſt κωλυόντων γαμεῖν vult legi κελευόντων ἀπέχεσθαι βρωμάτων, nixus loco Act. 27, 43. et multis aliis locis, quae e Scriptoribus graecis affert. Eſt quidem haec anthitheſis Graecis familiaris, ſed an Paulus ea hic uſus fuerit, de hoc dubitari poteſt. Modus loquendi potius eſt exquiſitior: Nam e verbo κωλύειν debet per Syneſin intelligi κελευόντων. Cuius Syneſeos exempla dant Beza ad h. l. et Dorvillius ad Charit. p. 324.

1 Tim. 5,

1 Tim. 5, 4. non placet ei vulgata lectio, τὸν ἴδιον οἶκον εὐσεβεῖν, mavult legi; τὸν ἴδιον οἶκον οἰκεῖν, εὐσεβεῖν. Phrasis ἴδιον οἶκον οἰκεῖν est bona. Sed quis non videt, tum εὖ vel καλῶς desiderari. Nam ἴδιον οἶκον οἰκεῖν significat tantum rem suam familiarem administrare, quod bene et male potest fieri. Quare semper sibi adiunctum habet εὖ, καλῶς aut κακῶς, et quidem tum potissimum, si ratio rei familiaris administrandae praescribatur, aut de modo rei familiaris administratae iudicetur, ut duo a Cl. Toupio ex Aeschine et Dione Chrysost. laudata loca docent; quorum posterior potest servire loco Pauli explicando. Καλῶς δὲ οἶκον οἰκῆσαι — δικαίως δὲ ἐπιμεληθῆναι γονέων, ὅπως τεθεραπεῦσι θεούς.

1 Tim. 5, 13. mutat μανθάνουσι περιερχόμεναι τὰς οἰκίας in λανθάνουσι, quod μανθάνουσι non possit iungi Participio. Sed nova lectio non profert sensum bonum atque idoneum. Cur clam in domos irrepant? Hoc est eorum, qui alios corrumpere student, 2 Tim. 3, 6. quod alienum est ab h. l.

Versus, quem Paulus laudat, φθείρουσι ἤθη &c. ex omnium sententia e fabula quadam Menandri sumtus est; quod nec Cl. Toupius negat Sed docet, Menandrum non parentem huius versus esse, sed hunc e Tragoedia quadam Euripidis repetiisse. Clemens enim Alex. Strom. I. p. 350. eum vocat versum tragicum, et Socrates Hist. Eccl. III. 16. diserte dicit, Euripidem auctorem eius esse. Poetae saepe e tragicis versus mutuabantur: partim ut his versibus, si ab indole ingenioque Comoediae et hominum in ea loquentium non abhorrerent, aut in proverbia fere abierant, ornatum fabulis suis conciliarent; partim ut iis recitandis spectatoribus risum moverent, quod Aristophanes saepe fecit.

Verbum ἐγκομβώσασθαι, apud Petrum 1 Ep. c. 5, 5. occurrens Suidas duobus exemplis illustrat. Cl. Toupius

D plura

plura addit. Mali atque ieiuni interpretes, etymologiam h. v. consectantes, emphasin in ea quaesivere. Sed temere. Κομβὸς gr. est pallium, item ἐγκόμβωμα apud Long. Past. L. 2. unde ἐγκομβώσασθαι idem quod ἐνδύεσθαι, Col. 3, 10. Differunt ita, ut ἐνδύεσθαι melius sit quam ἐγκομβώσασθαι. Quidam veterum barbarum esse duxerunt, nec graecum, ut patet e loco Suidae, ex Photii Epist. 156. sumto, ubi Photius hanc calumniam ab illo verbo defendit.

Glossa κατ' ἐμοῦ ὤμνυον, est, ut iam Casaubonus observavit, e Ps. 102, 8. translata, et addita interpretatio videtur e Commentario quodam in Psalmos petita esse: γέγονα ἔρχος — κατὰ γὰρ τῶν ἐμῶν ὀμνύουσι συμφορῶν — Verba: οὐ γὰρ ἦν καιρὸς σύκων A. pro Glossa agnoscit.

In artic. πέταυρον explicatur h. v. etiam βάθος, quod Criticos offendit. Cl. Toupius ostendit, Suidam eo Proverb. 9, 18. spectasse, ubi verba: πέταυρον ᾅδου sunt, i. q. c. 14, 12. πυθμὴν ᾅδου. Hic potuisset commemorare Aqu. Sym. Theod. qui in hoc loco Proverb. etiam βάθη ᾅδου habent. — Sed credimus sufficere ista, ut intelligant Lectores nostri, quae Auctor Suidae emendando, atque adeo augendo, protulerit, utque possint de praestantia libri istius hoc facilius iudicare.

ANIMADVERSIONES AD PLATONIS PHAEdonem et Alcibiadem secundum. Adiuncti sunt excursus in quaestiones Socraticas de animi immortalitate, cum summa Phaedonis, auctore IO. CHRIST. GOTTLEBER, Act. M. et Rectore Annaemontano.

Lipsiae, apud Weidmanni heredes et Reichium.
1771. 8. plag. 14.

Cum multa diligentia Cl. Editor collegit, quidquid horum dialogorum lectoribus, cum ad rerum, tum verborum intelli-

intelligentiam adiumento fore videretur. Et quamquam aliquoties modeste professus est, se studiosae graecarum literarum iuventuti scripsisse, tamen spondemus, reperturos etiam in his animadversionibus viros doctos quod cum voluptate atque utilitate legant. Nam qui ita scribit, ut vel tenuissimas quaestiones examinet, et ubique cum studio magno exquisitam doctrinam demonstret, omninoque veram harum literarum tractandarum rationem sibi perspectam esse declaret, is nonne etiam idoneus fuerit provectioribus ingeniis alendis et delectandis? Sed ipsarum animadversionum exempla per classes recensere placet. Iam cum prima interpretis lex sit, de dubiis atque corruptis locis disserere, ab hoc genere ordiamur, praesertim cum nullum horum dialogorum locum, in quo haeserint viri docti, Cl. Editor praetermiserit. Id tantum monemus, eum, in conscribendis animadversionibus in Phaedonem, usum esse textu prioris editiones Fischerianae (Lips. 1760.): sed in Alcibiade tractando alteram Basileensem secutum esse.

1. Difficilior est locus Phaedonis c. 47. ubi Socrates in priorum physicorum libris notionem boni atque mali cupide quidem, sed frustra se quaesisse dicit, quod his verbis expressit: Ἀπὸ δὴ θαυμαστῆς ἐλπίδος (reperiendi aliquid) ᾠχόμην φερόμενος, quae Cl. Editor, ut nobis quidem videtur, recte vertit: *Hac igitur spe abripiebar* sc. ad legendum. Sequuntur haec: Ἐπειδὴ προϊὼν καὶ ἀναγιγνώσκων ὁρῶ — quae quidem nec vinculo particulae superioribus nexa sunt, nec perspicua apodosis ad illud ἐπειδὴ refertur. Itaque post aliorum studia, in hoc loco corrigendo vel interpretando collocata, etiam Cl. Gottleberus suspicatus est, pro ἐπειδὴ legi posse σπουδῇ δὲ, *studiosa lectione vlterius progressus video.* Causas ceterarum interpretationum improbandarum repetere nunc non licet. In eodem Phaedone c. 39. haec leguntur: Οἰκτρὸν ἂν εἴη, εἰ, ὄντος — λόγου βεβαίου, — ἔπειτα τούτου ἐκπεσὼν ἀπορῇ — μὴ ἑαυτόν τις αἰτιῷτο. Hic ἀπορῇ mutari

ri vult in ἀποϱίᾳ, ut iam ἐκπεσὼν et αἰτιῷτο nexa sint. Quodsi mentem viri doctissimi recte cepimus, hanc ἀποϱίαν et causas eius explicant ea, quae sequuntur, διὰ τὸ παϱαγίγνεσθαι — — Per occasionem Platonici in Alcib. loci (p. 119.) alius e Symposio (p. 176. ed. Bas. 2.) corrigitur, nam πρὸ ὁδοῦ βουλευσόμεθα mutandum esse docet in πρὸ ὁ τοῦ β. ex Hom. Il. κ, 224. ut et in hoc Alcib. loco recte legitur. In Phaedonis c. 66. etiamsi κατέκλαυσε defendi posse putat, et cum eo Xenoph. Symp. 3. p. 132. ἐκάθισε κλαίοντας confert, favet tamen coniecturae Stephani, κατέκλαυσε. Contra ea Stephanum deseruit, qui in Alcib. (p. 231.) ἐκδεδοκέναι defendere instituerat, cui Cl. Gottleberus lectionem Aldinae, ἐκδεδυκέναι, *sententiam deponere*, praefert

Interpretationum exempla haec collegimus. Phaedonis locum obscuriorem c. 6. ἴσως θαυμαστὸν φανεῖται, εἰ τοῦτο μόνον (semet ipsum occidere) ἁπλοῦν ἐστι — — sic vertit Cl. Gottleberus, ut Stephano visus fuerat accipiendus: *Mirum videri tibi posset ex meis dictis, αὐτοχειϱίαν simpliciter non licere, et convenire hominibus, ut alia* (sc. iis conveniunt,) velut, *melius esse non numquam et non nullis mori, quam vivere.* De ceteris interpretationibus ex idoneis caussis dubitat. In Alcibiade (p. 231. ed. Bas.) haec leguntur: Δεῖ καὶ πόλιν καὶ ψυχὴν — ἀντέχεσθαι ταύτης τῆς ἐπιστήμης — ὅσῳ περ ἂν μὴ πρότερον ἐπουριάσῃ τὸ τῆς ψυχῆς: quae Cl. Editor ita interpretatur, ut ante ὅσῳ intelligat τοσούτῳ μᾶλλον, tum sic vertit: *idque eo magis*, (sc. quaerenda haec scientia,) *quo magis animus non ante vento quasi secundo adspirat studio recte vivendi*, quam scientiam illam consecutus sit. Facilis sane haec ratio, sed id restabat, an ψυχὴ ἐπουριάζουσα esset *adspirans*, hoc est, an navis posset dici ἐπουριάζειν, cum proprie ventus sit ἐπουριάζων. Verba, quae hunc ipsum locum sequuntur, εὖ μακρὸν βίον θεῶν, pro corruptis quidem habet, neque tamen sine libris scriptis corrigi posse putat. Ad Phaedon. c. 3. ἄτοπον partim e synonymo, partim ex aliis Platonis lo-

cis

cis et Grammaticis graecis, monet esse *mirum*, non, *absurdum*. Eodem loco mirati sumus, V. Cl. cum verum agnosset, in eo non adquieuisse: viderat enim, in Paulino loco 1 Cor. 10, 11. τέλη esse *finem*, et tamen putavit, τέλη esse posse veluti duas V. et N. T. extremitates, quae tamquam in confiniis fuissent tempore Apostolorum. Quod nobis aeque incommodum videtur, ac illa nonnullorum opinio, qui Ebr. 9, 26. συντέλειαν αἰώνων duorum τελῶν confinia et concursum esse volunt. Facerent ne hoc in profano scriptore interpretando? Sed ad rem redeamus. Verborum plurium notiones, a Philosophis in usum scholarum receptae, ut ἁπλῶς, δόξα, εἶδος, ἰδέα, et alia, quibus Phaedo abundat, breviter et accurate finitae sunt. Ad c. 4. Phaedonis obiter illustratur, et a Menagiana correctione vindicatur, Plutarchicum illud (de aud. poet. init.) νομίζειν μύθους, *metro adstringere*, collectis variorum locorum exemplis, in quibus νόμος esset genus carminis. Sed illud agendum erat, ut verbi νομίζειν plura proferrentur exempla.

Quae praeterea aliquid lucis egebant ex historia, velut Oedipi (p. 116.), Archelai (p. 121.), et eorum qui sub initium Phaedonis nominantur, haec una cum iis, quorum intelligentia ab rituum antiquorum cognitione pendet, suis locis ita descripta sunt atque enarrata, ut, qui ipse doctrina, libris, et tempore destitutus sit, acquiescere hoc labore Viri Cl. posse, eique gratias agere debere videatur. Rursus Platonicum dicendi genus, praesertim quatenus propriam huic scriptori a tropis atque allegoriis elegantiam habet, accurate diiudicavit, modumque huius venustatis indagandae atque sentiendae ostendit. Quo plures denique Latinorum atque Graecorum Platonem imitati sunt, qui hactenus etiam Homerus scriptorum solutae orationis dici potest, eo magis et hoc tractavit Cl. Editor, cum sine dubio imitandi certissimum praesidium sit, videre quid, et quo modo, alii scriptorem illustrem ac bonum imitati sint.

Septem excursus in singula quaedam Phaedonis loca, maxime destinati sunt examinandis argumentis quibus Plato vel animum esse immortalem docuit, vel sensus fallaces, vel animi hoc in corpore vitam superioris cuiusdam reminiscentiam: quae non solum Pythagorica potius sunt, et a Platone doctrinae ostentandae causa inserta, quam Socratica, utilia, et vera; sed ad ipsam quoque rem intelligendam parum prosunt. Praesertim ergo concludendi fraudes, vel in festinando, vel in dissimilitudine eorum quae ut similia dicuntur, Cl. Editor detexit, omninoque per totum libellum diligenter monuit, si qua argutius, quam verius dicerentur. Confecit praeterea Phaedonis summam uberiorem (p. 142 — 155.), ut in usitata dialogis digrediendi frequentia et multitudine eorum, quae per occasionem dicuntur, haberent lectores continuatum velut filum, quod cogitando sequerentur, quove ducti devia facilius animadverterent. Neque tamen vel de excursibus illius, vel de hac dialogi summa, diligentius exponere nunc licet: intelleximus vero, Cl. Editorem subtilem esse disputatorem. Adiecit denique *Brevem de dialogo Platonico institutionem* (p. 155 — 173.), quam legisse neminem poenitebit, in primis cum non meris praeceptionibus constet, aut observationibus, sed, quidquid dictum est, est exemplis Platonicis illustretur. Latinae dialogorum versiones, una cum Dacieriana et germanica Cl. Koehleri, consultae et examinatae sunt, nec cetera recentiorum studia erga Platonem ingrato animo neglecta, praesertim ubi philosophus quidam Berolinensis rationem Platonicam cum recentiorum placitis coniunxit, aut priscis illis substituit. Auctor, dum haec scribimus, a rectura ludi Annaebergensis avocatus, Scholam provincialem Misenensem regendam, principali decreto optemperaturus, suscepit. Quod ei munus vehementer atque ex animo gratulamur.

DE

DE L' AUTORITÉ DU CLERGÉ, &c.

h. e.

*De auctoritate Cleri, et potestate Magistratus civilis circa exercitium functionum Ministerii ecclesiastici. Auctore**, Parlamenti Advocato.*

Amstelaedami, Partes duae, 1766. octonis.

Summa prioris huius libri partis est haec, ut auctor ex principiis philosophiae et litterarum sacrarum demonstret, Deum, inde ab initio rerum omnium, destinasse homines vitae sociali. Horum vel singulorum, vel omnium, saluti prospici non potest, nisi dirigantur ad commune bonum vel ab uno, vel a pluribus, quibus reliqui pareant. Hinc mutua utriusque partis officia intelliguntur. Potestati principum subsunt omnia, in quibus externa vis locum habet. Est vero et alia quaedam societas hominum fidelium, cuius finis est aeterna felicitas per fidem in Christum consequenda. Haec fides pertinet tantum ad animum, cui Deus ipse liberum arbitrium concessit, quique adeo non potest ulla vi cogi. Est vero etiam aliquis externus cultus in quo, quoniam non attingit essentiam religionis, innovari ex unius cuiusque magistratus voluntate multa possunt, et ad quem cives, si nolint ordini bene constituto morem genere, per vim adigi possunt. Internus Dei cultus, qui fit animo, i. e. intellectu et voluntate, exemtus est potestate civili, solique Deo per fidem et pietatem praestatur, ad quam per verbum divinum excitandam et confirmandam doctores ecclesiae constituti sunt. Horum igitur, et totius ecclesiae munus, tantum est in docendo, non in cogendo, quoniam animus humanus natura sua liber est nec ullo modo cogi potest. Hinc intelligitur, verum dominium esse, nisi in magistratibus civilibus,

bus, non posse. Contra haec asseclae curiae Romanae, ad defendendam potestatem ecclesiasticam, afferunt verba Christi: Quicquid ligaveritis in terra &c. it. Si ecclesiam non audit &c. Dirimunt praeterea doctores ecclesiastici quaestiones fidei et morum; et qui iis nolunt dicto audientes esse, eos excommunicant. His bene respondet auctor noster, eiusmodi homines, propter grave aliquod scelus ab ecclesia excommunicatos, poenam divinam inde a tempore commissi flagitii iam commeruisse. Quid? quod Paulus ad Tit. III, 11. clare dicit, hominem haereticum sua sponte incurrere in iram et poenam divinam, quoniam disertis scripturarum sacrarum placitis sese praefractorie opponat. Homines tum demum puniuntur, cum constat, eos libere peccasse, nec poena excommunicationis eorum libertatem tollit. Doctores ecclesiae nemini, nisi volenti, poenam irrogare possunt. Nam si v. c. quis, ex ipsorum voluntate ab ecclesia arcendus, tamen se immisceat coetui Christianorum, non potest inde repelli, nisi vi civili. Per poenam tantum corpus cogi potest, animus nullo modo. Hinc nec poenae metus quemquam cogit. Tota obedientiae notio evanesceret, si quis ad eam praestandam ulla vi cogeretur. Deus adeo ipse non vult quemquam vi sua ad fidem et obedientiam adigere, multo minus illa coactio, locum in doctore ecclesiae habere potest. Non miscenda est hoc loco necessitas obligationis et exsequutionis. Quemadmodum illa ab unoquoque agnoscetur, ita haec a nemine vi extricari potest. Ast nonne Petrus et Paulus diserte in litteris sacris dicuntur punivisse Ananiam et Elymam? Nonne haec exempla aperte favent potestati ecclesiasticae? Minime vero. Primum enim miracula, illis temporibus usitata in ecclesia, neminem coegerunt ad religionem Christianam suscipiendam; multi potius, et in primis Pharisaei, cognitis iis illi tanto magis restiterunt. Deinde haec vis miraculorum patrandorum dudum desiit, quippe ecclesiae non omni tempore necessaria sunt. Nulla igitur potestas, quae

propric

proprie dicitur, nullum imperium aut dominium relictum est ecclesiae doctoribus, in quo coactio locum habere possit. Cum porro magistratus politicus a Deo sit ad conservandum huius vitae ordinem constitutus, debet sane illico insurgere adversus violatores aut turbatores illius. Contra doctorum potestas est mere spiritualis, eiusque obiectum est aeterna felicitas. Ad hanc nobis, dum vivimus, aditus patescit per fidem in Christum et vitae sanctitatem, cuius studium doctores ecclesiae in omnibus hominibus excitare et confirmare per verbum divinum debeant. Ipse Jesus Christus professus est, se non venisse in hanc terram, ut homines in hac iam vita iudicaret, sed die demum extremi iudicii. Qui igitur potest sibi ecclesia aliquam arrogare potestatem, quam auctor ipsius Jesus Christus, dum esset in his terris, nunquam exercuit? Huius rei uberius explicandae caussa auctor dicit, bona spiritualia proprie pertinere ad universam ecclesiam, eaque ecclesiae iussu distribui a doctoribus, doctoresque adeo ipsos muneris functi rationem reddere ecclesiae debere. Romani contra doctores, ademta ecclesiae bona, inprimisque potestatem clavium, transferunt ad pontificem, utentes vel potius abutentes ad hanc rem loco Matth. XVI, 18. 19. quem tamen et patres ecclesiae, nominatim Augustinus, et Scholastici doctores non de *uno*, sed unitate, i. e. non de Petro uno, sed de ecclesia universa interpretantur. Huius explicationis veritas patet ex Joh. XX, 19. ubi Christus omnibus discipulis Spiritum Sanctum, et cum eo potestatem regni coelestis tribuit. Non igitur arbitrio pontificis Romani subsunt omnes ecclesiae. Concilium universale repraesentat omnem ecclesiam, cui Deus, ipso Bellarmino non negante, infallibilitatem promisit. Recte igitur patres Concilii Basileensis, contra pontificem Romanum, Concilio universali, i. e. toti ecclesiae, primas partes in decidendis fidei controversiis, vindicaverunt.

E Magistra-

Magiſtratus civiles acquieſcere debent in externa civium obedientia, ſi vel maxime eorum animi non conſentiant cum ea. Contra doctores eccleſiae, ab hominibus vere Chriſtianis multo meliorem exigunt obedientiam, nimirum internam, quae oritur ex amore in Deum, et ex perſpicua cognitione officiorum. Cum his pulcherrime conſpirat et ratio humana, et litterae ſacrae, (vid. ad Rom. XIII, 1. ſeq. 1 Petr. V, 1. 1 Tim. II, 1. 2.) omnium maxime autem Chriſti ipſius exemplum Joh. XVIII, 36. Luc. XII, 14. Poteſt igitur aliquis eſſe civis in his terris, qui non ſit Chriſtianus; Chriſtianus autem non, niſi ſit idem civis. Eſſentia hominis Chriſtiani eſt in fide, per quam intelligit, hanc terram non eſſe veram ipſius patriam, ad coelum potius ſibi omni ſtudio contendendum eſſe. Civis igitur ſolus, qua civis, habet aliquod ius in has terras, non Chriſtianus; huic veluti hoſpiti migratio per hunc mundum in coelum conceditur. In hac allegoria reliqua auctoris oratio procurrit.

Poteſtas ſpiritualis tantum ad animum pertinet; qui quoniam eſt cum corpore adſpectabili coniunctus, ſequitur, et membra eccleſiae eſſe viſibilia. Animae humanae nihil percipere poſſunt ſine externis actionibus. Omnis autem vis ſpiritualis eſt in docendo, ſine quo fides in illis gigni aut confirmari nullo modo poteſt. Vid. ad Rom. X, 14. Porro eccleſia, boni ordinis cauſſa, certis quibusdam regulis gubernari debet, quemadmodum omnes reliquae ſocietates. Hoc aliter fieri non poteſt, niſi accedente miniſterio corporis externo. Etiam, ſi civis officio ſuo ſatisfacere non poteſt niſi per intellectum, tamen propterea intellectus ipſe non eſt poteſtati civili ſubiectus. Ita nec corpus hominis Chriſtiani ſubeſt poteſtati ſpirituali, hanc ſolam ob cauſſam, quoniam omnia per illud veluti per inſtrumentum agit. Hinc efficitur, totum hominem externum, ne doctore quidem ipſo excepto, parere magiſtratui politico in omnibus rebus debere,

debere, quae fiant externis actionibus, etiamsi sint cum ipsa religione coniunctae. Etenim quis negat, eiusmodi actiones externas, religionis caussa susceptas, habere aliquam cum ordine et tranquillitate publica coniunctionem? Quam si quis turbet, aut turbare videatur, in eum sane potest recte inquirere magistratus civilis, boni ordinis servandi caussa a Deo ipso constitutus, cui soli rationem muneris non recte administrati reddere tenetur.

Iam quibus finibus circumscribenda sit potestas civilis, auctor docet. Si Deus hominem in hac terra constituit, ut, dum vivat, bonis illius fruatur: sequitur, ea bona, proprie pertinentia ad societatem civilem, non posse ab illa ad societatem spiritualem s. ad ecclesiam transferri. Utrique societati sua veluti portio a Deo tributa est, civili terrestrium, ecclesiasticae spiritualium bonorum fruitio. Constat porro inter omnes rerum publicarum peritos, unicuique bonorum possessori solvendum esse aliquod tributum, unde consuli securitati publicae possit. Quantum autem singuli pendere debeant, id nemo poterit melius, quam ipse princeps, definire, quoniam ipse solum habet optimam necessitatum communium peritiam. Nam si velimus ea in re unicuique arbitrium relinquere, haut scio an partium studio locum faciamus; ditissimus enim quisque satis tenuem conferret pecuniolam.

Hanc disputationem auctor transfert ad bona ecclesiastica. Doctor ecclesiasticus fruitur reditibus, non quoad est ecclesiae aliqua pars. Christus diserte noluit Apostolos suos lucrum aut divitias huius vitae docendo quaerere. Ab initio rerum Christianarum alebantur doctores arbitraria liberalitate eorum, quos docebant. Postea quam vero doctrina Evangelii latius propagata esset per totum imperium Rom. et ibi veluti suam sedem invenisset, assignabantur iis certi quidam agri, et alia bona immobilia, e quorum reditibus vivere possent. In quibus donationibus Principes saepenu-

mero ultra necessitatem, et cum communis boni detrimento progressos esse, quis nescit ex historia ecclesiastica? Cum vero constet, finem omnium, in quocunque imperio legum, esse hunc, *ne quid respublica capiat detrimenti*, cui adversari ne ipsi quidem principes possint: facile intelligitur, eiusmodi donationes, inconsiderate factas, ab ecclesia revocari ad communem utilitatem, si necessitas ita ferat, iure quodam suo posse. Nec privilegia ipsa, certas ob caussas quibusdam vel personis vel bonis concessa, videntur principum potestati aliquid detraxisse; possunt enim ab iisdem tolli, caussis, propter quas data erant, cessantibus. Huius rei multa occurrunt in historia ecclesiastica exempla. Vid. August. ep. 48. coll. cum eiusd. Tract. VI. in Ioh. Hincmari locus, quem auctor noster ex epistola 41. excitavit, admodum perspicue hoc docet: *Si per iura regum possidentur possessiones, non possunt ut regi de ecclesiasticis possessionibus obsequium non exhibeant.* Et sic per multas paginas procurrit auctoris oratio, qua docet, homines ecclesiasticos subiectos esse legibus civilibus, nec contra eas assurgere, sine rerum novarum suspicione et poena, illos posse.

Progreditur auctor posthaec ad varia conventuum ecclesiasticorum genera. Convenitur 1) in aedibus sacris religionis publice exercendae caussa, cuius summa est in precibus publicis, in docendo et discendo, et in usu Sacramentorum. Cum vero constet, precum formulas in cultu Dei publico non omnes esse a Christo aut Apostolis, earumque adeo aliquas interdum admodum fuisse impias, et innumeris rixis in ecclesia locum fecisse: necesse est, ut eae a magistratu politico examinentur, deligantur, et praescribantur, ne redeant illae infelices contentiones, quibus olim et ecclesiae et securitati publicae pessime fuit consultum. Doctores ecclesiae populum erudire aliter non possunt, nisi per externa quaedam signa, i. e. per verba, quae ipsis non sunt divinitus suggesta, in quibus adeo vel error, vel etiam impietas locum

locum facile sortitur. Historia quidem ecclesiastica tristissima continet talis improbitatis exempla. Fuerunt enim homines ecclesiastici qui contra diserta Scripturarum S. placita, falsa religione captas plebis mentes velut furialibus stimulis ad omne scelus, et ad omnem libidinem adversus magistratus agerent, qui concitatae multitudinis manibus arma iniustissima ministrarent contra principes, quibus et ipsi doctores, et populus ab illorum ore pendens, obsequium debebant, rationi et litteris sacris convenientissimum. Quanquam autem ab initio principes strenue et cum felici successu vim et auctoritatem suam opposuerint isti res novas molientium furori; tamen postea ab ipsis civibus suis, maligna pontificum et cleri Romani suggestione, relicti, cedere communi illius temporis superstitioni cogebantur. Adeo verum est, quod dixit scriptor vetus: *Nihil in speciem fallacius est, quam prava religio. Ubi deorum numen praetenditur sceleribus, subit animum timor, ne fraudibus humanis vindicandis divini iuris aliquid immistum violemus.* Quoniam igitur doctores in institutione populi multas turbas movere possunt, facile intelligitur, si quid doceatur, quod obsit securitati publicae, id impediri a magistratu politico et posse, et debere. 2) Altera conventuum ecclesiasticorum species est in Conciliis, in quibus quaestiones controversae, et religionis, et disciplinae externae, dirimuntur. Horum auctorum pontificem Romanum esse non posse, tum antiqua historia, tum res ipsa declarat; quippe nullo polleat imperio. Imperatores, assumta religione Christiana, non solum convocaverant universae ecclesiae doctores ad concilium, verum etiam illud vel ipsi praesentes, vel per legatos suos gubernaverant, praevia aliqua oratione deliberandi initium fecerant, ut omnia bene et ordine fierent curaverant, sola rei controversae quaestione doctoribus relicta. Disiuncto autem in varias partes, et inter multos diviso imperio Rom. horum omnium arbitrium ad pontifices pervenit voluntatate Principum, quorum successores, si volent, illius iuris, proprie ad se

ſe pertinentis, vindicias poſtulare merito poſſunt. Magiſtratus civilis intereſſe et praeeſſe conciliis propterea debet, ut ne quid ſaluti et ſecuritati publicae contrarium decernatur, ut decretis ipſis ſua auctoritas concilietur apud cives, ut diſcant ab ipſo principe eorum aequitatem, utilitatem, et neceſſitatem iis obediendi, et quae ſunt alia eiusdem generis. 3) Tertia conventuum eccleſiaſticorum ſpecies, ſecundum auctorem noſtrum, eſt cleri Franco-Gallici. Quorum inſtitutorum cauſſas et hiſtoriam, accurate copioſeque enarratam lectorum noſtrorum ſtudio vehementer commendamus. 4) Iam pervenit auctor ad quartam conventuum eccleſiaſticorum partem, i. e. ad monaſteria, quae et ipſa una cum hominibus ibi degentibus ſunt poteſtati civili ſubiecta, quoniam vota, quibus ad vitam ſeparatam, ad coecam aliquam obedientiam ſoli pontifici Rom. praeſtandam adſtringuntur, nec religioni, nec naturae ſunt conſentanea, neque adeo ullo modo ſunt cum ſa'ute aeterna coniuncta. Diligenter igitur magiſtratui politico cavendum eſt, ne iſta collecta turba monachorum tranquillitati publicae noxam afferat, et, ſubnata periculi iuſta ſuſpicione, puniendi ſunt eodem modo, quo ceteri cives turbulenti. Monaſteria porro ipſa, ſi neceſſitas ita ferat, tolli, et cives, quo minus illorum votis ſeſe alligent, a principe prohiberi certis legibus poſſunt, quibus migratis et ipſa vota fiunt irrita. Quae iam dicuntur de poteſtate principis, ordinem aliquem eccleſiaſticum, antea vel per errorem, vel noxa eius nondum ſatis cognita, receptum, iterum tollendi, quomodo haec diſputatio transferatus ad Jeſuitas Franco-Gallicos, et quibus de cauſſis, (commemorantur autem quatuordecim,) ſint e Gallia eiecti, ea omnia perlegiſſe neminem poenitebit.

Poſthaec auctor progreditur ad poenas eccleſiaſticas, quas propterea negat eſſe poſſe externas, quoniam eccleſia ipſa, quadenus efficiat aliquam ſocietatem ſpiritualem, tota ſit interna, nulla polleat poteſtate externa. Excommunicationis

tionis ecclesiasticae vis omnis pertinet tantum ad animum, non ad corpus, et illa, quae dicitur excommunicatio ipso facto, repugnat prorsus praeceptis Christi, exemplo Apostolorum et Canonum. Quoniam vero, qui excommunicatur, ex opinione hominum, omnem fidem et bonam famam in societate humana amittit, propter hanc ipsam caussam Principis est, iudicare de criminis intenti vel veritate, vel falsitate. Quaeritur, an et princeps excommunicari, i. e. bonis ecclesiae spiritualibus indignus censeri possit? Potest vero, salva ipsius potestate civili, cui si cives, vel coeca quadam superstitione rapti, vel hominum ecclesiasticorum auctoritate decepti, sese subtrahant, sane pessimum ab utraque parte committetur flagitium. Etenim talis poena ecclesiastica plane non tollit externam et naturalem parentum et filiorum, principum et subditorum, coniunctionem.

An magistratui civili etiam in doctrina publica aliqua potestas relicta est? Praemissis iis, quae supra de hac quaestione disputata sunt, auctor respondet, principes invigilare debere doctrinae, non quidem quoad ea pertineat ad fidem, sed quoniam habeat et habere possit aliquam cum reipublicae vel utilitate, vel noxa, coniunctionem Videndum igitur est, ne perverse et impie docendo, rixae et turbae moveantur in societate civili. Sic et Christus coram Pilato, Paulus coram Felice et Agrippa, Iustinus Martyr et alii ecclesiae doctores coram Imperatoribus, defenderunt doctrinae suae integritatem, qua cognita demum publice recepta est.

Disciplina ecclesiastica inseruit ordini externo, continetque ritus unicuique religionis sectae proprios. Qui uti non sunt legibus divinis praescripti, ita, si e re communi videatur, aboleri, mutari, et emendari a Principibus iure quodam suo possunt.

Altera huius libri pars prope tota absolvitur disputatione longe copiosissima de potestate magistratuum circa dispen-

dispensationem communium totius ecclesiae bonorum, i. e. sacramentorum, quorum auctor noster secundum placita religionis suae septem constituit, singula per partes percurrens. Baptismus non nisi homini adulto usu rationis praedito, negari propter certas aliquas caussas potest: quae si sint iniustae, canonibus ecclesiasticis contrariae, aut animum hominis ecclesiastici ira et odio aestuantem prodant, facile intelligitur, eiusmodi libidinem coerceri poenis civilibus et posse, et debere. Interdum et testes, in baptismo liberorum advocati, arcentur a munere sacro. Quae res cum bonae ipsorum famae aliquam maculam inurat, sane et ipsa erit a magistratu politico diiudicanda. Confirmatio, quae sensu ecclesiastico sic dicitur, nec omnino necessaria est, nec negata arrodit famam civium. Hinc potest illius usus sacerdotum arbitrio relinqui, nisi fortasse inde aliquod reipublicae incommodum suboriatur. Sacramentum poenitentiae et absolutionis natura sua non est adstrictum potestati civili; manifeste impii merito illius beneficio exuuntur, dummodo id privatim fiat, nec contemtui illorum civili occasionem suppeditet. Libido tamen sacerdotum iustis limitibus circumscribenda est, ne, quod saepe factum est, abutantur sua potestate, et istius poenae onere innocentes maligne affligant. Talibus improbitatis exemplis admoniti principes, studiose inquirent in eorum caussas, quarum integritate cognita, iustas ab sacerdotibus poenas sumere debent. Usus coenae dominicae publicus nemini negari potest; sacerdotis est, peccatorem de gravitate sceleris admonere, indignum declarare beneficiis divinis; potest ei dicere, sibi melius consultum fore, si usu sacrae coenae abstineat tam diu, donec ad meliorem frugem redisset, ut ne indignitate sua iram et poenam divinam adversus semet ipse sollicitet. Qui si tamen, neglectis his admonitionibus, accedat ad aram, non potest inde vi arceri ab sacerdote. Nam nec Christus Iudam ab usu sacrae coenae removit, quanquam bene animi improbitatem cognovisset, et Paulus graviter obiurgat

impios

impios, iisque abſtinere ſuadet ſacra coena, iudicio indignitatis Chriſtianis relicto. Praecepta canonum veteris eccleſiae vitam viventibus inhoneſtam, veluti hiſtrionibus &c. omnino interdixere uſu coenae dominicae; foeneratoribus contra, hac diſerte addita cautione, *ſi ſint confeſſi et convicti*. Idem dixit Yvo Carnotenſis ep. 86. qui vixit ſeculo undecimo. Quid? quod canones vetuſtiſſimae eccleſiae, homines morituros, quanquam iudicio ipſarum legum eccleſiaſticarum nondum dignos, tamen privari iſto beneficio diſerte noluerunt; quod ipſum poſtea canone Concilii Nic. XXX. confirmatum reperitur. Habemus peculiare Caroli M. capitulare, quod *hortatu omnium fidelium ſuorum, et maxime epiſcoporum ac reliquorum ſacerdotum*, legis civilis vim et auctoritatem accepit, in quo, morti proximos extrema unctione, abſolutione, et viatico impertiendos eſſe, diſerte praecipitur. Quibus canonibus repugnare ſacerdotes ſine metu poenae civilis propterea non poſſunt, quoniam magiſtratus canonibus ipſis auctoritatem parare, civium bonam famam defendere, tranquillitati denique publicae proſpicere, iure quodam ſuo tenentur. Hanc diſputationem auctor prope totam tranſtulit ad extremam unctionem.

Per ordinationem ſacerdotibus tribuitur aliqua diſpenſandorum bonorum ſpiritualium, quae proprie ad eccleſiam pertinent, poteſtas, coniuncta tamen cum officiis huic muneri reſpondentibus. Ne igitur homines indigni huic muneri praeficiantur, eccleſiae; ne turbas excitent in ſocietate civili, magiſtratibus cavendum eſt. Eccleſiae nomine non modo ſacerdotes, verum etiam reliqui unius cuiusque loci Chriſtiani comprehenduntur. Quoniam vero eccleſiae bona, quibus admininiſtrandis ſacerdotes deſtinantur, ad omnes omnino Chriſtianos pertinent, facile intelligitur, munus ſacerdotale, niſi conſentientibus omnibus, conferri nemini poſſe. Atque hoc ſic, inde ab Apoſtolorum temporibus, per multa ſecula valuit. Quae res cum paullatim ſucceſſu tem-

poris mutaretur, factum est, ut ius sacerdotue creandorum ab ecclesia ad episcopos perveniret. Quemadmodum vero ecclesia ipsa noluerit indignos huic muneri admoveri, ita nec illius vicariis, i. e. episcopis licet; contra canones aliquem creare sacerdotem, et, si appareat eorum aliquod partium studium aut cupiditas, principes tenentur illi sese auctoritate sua opponere. Multa quae in sequentibus bene dicuntur de ordinationibus sacerdotum Franco-Gallicorum, eorumque finibus publice constitutis, de coelibatu clericorum non necessario, et aliis eiusmodi rebus, ea igitur omnia hic brevitatis caussa silentio praetermittimus.

Matrimonium dupliciter spectari potest, ut sit vel sacramentum, cuius originem auctor noster modo Christo, modo ministris ecclesiae tribuit; vel contractus civilis, qui, augendae societatis humanae caussa initus, locum habere sublato sacramento potest. Hinc illius arbitrium pertinet ad potestatem civilem, nec possunt sacerdotes quemquam sine gravi poena ab illo arcere. Matrimonium enim, inde ab initio receptae per imperium Romanum religionis Christianae, per aliquot secula, nullam habuit cum potestate ecclesiastica coniunctionem. Justinianus ab initio coniugia, consensu utriusque partis, coram aliquot testibus declarato, rata volebat esse, et diserte dicit (l. XXIII. §. 7. cod. de Nupt.) hunc fuisse priorum temporum morem. Postea ortis inde quibusdam incommodis, matrimonia hominum illustrium fieri voluit antecedente contractu, in quo de dote nuptiarum caussa danda stipularetur. Honestioribus aliis praecepit, ut adirent templum aliquod, ibique coram sacerdote et tribus quatuorve clericis consensum declararent. Huius consensus testimonium sacerdos scripta aliqua epistola exhibebat, cuius verba sollemnia ipse praeivit Justinianus. In ceteris vilioris conditionis hominibus, veluti opificibus, rusticis, militibus, &c. solus consensus aliquot testibus confirmatus sufficiebat. Commemorat auctor e Codice et Novellis multas impera-

imperatorum leges, ante et post Justiniani tempora factas, e quibus apparet, matrimonia tum temporis mere fuisse civilia. Leo imperator, qui vixit circa finem seculi noni, primus nuptias sacrae benedictionis testimonio ratas fieri secundum leges civiles declaravit; addit tamen et ipse, hoc ab usu priscorum temporum recedere. Quam maligne clerici, ad stabiliendam suam potentiam abusi sint hac constitutione, et quam ei vim tribuerint, longum foret ab auctore repetere. Relinquimus haec omnia lectoribus.

In recensendo huius libri capite ultimo, tanto poterimus esse breviores, quanto sunt res, quae ibi tractantur, eruditis notiores. Eius summa est de necessitate clericorum finibus civilis potestatis circumscribendorum. Explicantur igitur primum malignae clericorum artes, quantopere bonis hominum insidiati sint, quibus modis decimas ad se rapuerint, quibus fraudibus induti sese in haereditates aliorum insinuaverint, qua ratione, et ob quas caussas se matrimoniis immiscuerint. Deinde docet auctor, quomodo per iurisdictionem contentiosam, pervenerint eo auctoritatis, ut omnium rerum arbitri et iudices fierent. Denique insignis audacia hominum ecclesiasticorum adversus principes et magistratus insurgentium copiose ex historia ecclesiastica demonstratur, unde demum efficitur, istam tam impotentem libidinem merito esse atque fortiter a potestate civili coercendam.

Ceterum, et lingua et scribendi genus liberius, prodit scriptorem Franco-Gallicum, et simul suppeditat caussas, quare hic liber pontificem et clerum Romanum tam male habuerit. Veritas omni tempore odium peperit; tamen propterea reticeri non debet.

ADRIANI KLUIT VINDICIAE ARTICULI ὁ, ἡ, τό, in Novo Testamento Pars prior, Tomus tertius, seu postremus, sistens illustrationes et emendationes receptae quam vocant Novi Testamenti Lectionis, cum generales, tum speciales Articuli ὁ, ἡ, τό.

Traiecti ad Rhen. apud Abrah. a Paddenburg 1771. plag. 18. in 8.

Quam salubris et fructuosa sit accurati interpretis, in observandis ac iudicandis singulis linguarum veterum legibus, et partibus earum vel minimis, diligentiá, magna cum sua laude, nec minori lectorum utilitate, nuper docuit Auctor harum tractationum doctissimus quarum nunc tertiam partem accepimus, eamque primariam, ac inter ceteras praecipuam, qua, quem usum superioribus libellis disputata in N. Test. locis intelligendis habeant, copia exemplorum uberrima declaratur. Nam cum priori libello de Analogia, hoc est de legibus usurpandi Articuli in universum disseruisset, in altero vero quasdam cautiones hac in re tenendas subiecisset: addidit ecce tertium illius, quod diximus, argumenti, quod ipsi quidem tribus tractare placuit capitibus quorum primo in N. Test. plurima loca istarum observationum ope posse explicari ostenditur: Secundo, esse in N. T. loca utriusque generis, in quibus articulus perperam sit vel positus vel neglectus, ostenditur. Tertium caput defensionis huius operae caussa adiectum, studium exercendae in N. Test. interpretatione Critices, et per rei naturam cum licitum, tum necessarium esse demonstrat, et Belgarum maxime exemplo usurpandum comprobat.

Sed singula capita percurrendo, quae occurrant potiora videamus. Ergo priori capite instituit Auctor demonstrare, multa, quae contra Analogiam videantur esse, ei

ei minime adversari, quin potius eam oppido potenter adiuvare. Docetur maximam vim nonnumquam inesse vocibus sine articulo positis, v. c. in voce ἀνὴρ Act. 13, 21. 22. σωτὴρ Act. 13, 23. unde articuli absentia vindicatur multis locis, inprimis Luc. 2, 11. c. 24, 19. Phil. 3, 26. repudiato Wolfii in Curis Philol. decreto, non semper Articulum positum ad demonstrandum valere, neque omissum demonstrandi vim abolere. Huc refertur illud quod dupliciter legitur υἱὸς ἀνθρώπου et ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου; huc illud, quod in N. T. υἱὸς Θεοῦ saepe sine articulo ponatur, Matth 27, 54. quare in editione Elseviriana Luc. 4, 10. articulum perperam addi, Manuscriptorum codicum auctoritate tollendum. Hinc adseritur, ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρὸς Joh. 1, 14. parum recte explicari ab interpretibus qui particulam ὡς affirmandi notione sumant, cum, quod de formula ὡς ἀληθῶς, idem significante, quod ὄντως, observet Dorvillianus in Aristophanis Plutum Scholiasta, ab huius aeque ac alterius loci Act. 17, 22. ὡς δεισιδαιμονεστέρους rationibus plurimum abhorreat; nam etiam ibi ὡς consuetam et familiarem sibi notionem, *quasi, tamquam*, retinere. Attendendum autem esse verba ipsa Johannis non eo valere, ut absolute Christus Dei filius praedicetur, sed comparative respectu primogenitorum inter Judaeos. Salmasianae et Casaubonianae, de omisso vel adiecto articulo voci φάτνῃ Luc 2, 7. lites, leves illae et inanes, exiguae observationis monitu componuntur. Quaestionibus variorum diversis, et scissis interpretum de gallo, quo audito Petrus levitatis suae admonitus resipuit, sententiis, occurritur, et ex verbis ipsis ἀλέκτωρ ἐφώνησε Matth. 26, 74. Marc. 14, 68. demonstratur, aliquem ex genere pullorum, quos Romani, Auspiciorum capiendorum caussa, caveis inclusos alere, inque provincias et castra secum ferre solerent, gallum denotari. Adiungitur discrimen inter dicendi formas, κατὰ ἑορτὴν, et κατὰ τὴν ἑορτὴν; quarum illa festa omnino singula, hac Paschatos festum solum designari, docetur, et vera locorum Matth. 27, 15. Marc. 15, 6. Luc. 23, 17. explicatio traditur. Tum

ἡ κατ' οἶκον αὐτῶν ἐκκλησία 1 Cor. 16, 19. et Coloss. 4, 15. quid indicet, nempe Christianorum in Asia domatim dispersorum coetum, adiicitur. In extremo capite nova, et parum ut arbitramur probabilis, obscuri multorumque explicationibus sollicitati loci 1 Cor. 15, 19. explanatio proponitur haec, βαπτίζεσθαι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, esse immergi malis calamitatibusque gravissimis propter mortuorum curam ac sepulturam, qua illius temporis Christiani prohibebantur.

Sequitur Caput secundum, quo docemur multa dari in N. T. editionibus loca, in quibus articulus vel ex analogia, sive legibus illius usurpandi, vel ex Mstis, vel ex utroque simul, corrigi debeat. Nusquam autem plura huius aberrationis exempla, quam in Apocalypsi Johannea exstant, ex caussis, quae commemorari possunt, potissimum his. Duo sunt omnino veteres editiones primariae, Erasmiana et Complutensis, quae quum octennio ante absoluta, anno demum 1522. prodierit, prior edita est Erasmiana 1516. Erasmus autem in Apocalypsi unum tantum codicem, eumque mutilum et mancum, et e Latina interpretatione restituendum adhibuit, et ex male Latinis utcunque Graeca supplevit. Ergo omissi articuli prima caussa negligentia et inscitia usurpandi articuli, quae in Erasmo fuit; quod demonstratur plurimis ex Apocalypsi exemplis, quae commemorare longum foret, vid. a pag. 633–639. Huic proxima caussa est quae reperitur in adliteratione, hoc est quum eaedem syllabae in duabus vocibus se sequuntur. Vid. Apoc. 6, 14. c. 15, 2. 1 Cor. 12, 20. &c. In quo eleganter fit, quod de verbis Hebr. 12, 15. μήτις ῥίζα πικρίας ἄνω φύουσα ἐνοχλῇ observatur, comparando Deut. 29, 18. ubi legimus μήτις ἐστὶν ἐν ὑμῖν ῥίζα ἄνω φύουσα ἐν χολῇ καὶ πικρίᾳ, ea sic restituenda videri, μήτις — ἐν χολῇ ᾖ. Ceterum vox οὐρανὸς quoties occurrit, quoad articulum rectissime legitur, praeter unum locum Act 3, 21. ὃν δεῖ οὐρανὸν μὲν δέξασθαι, ubi τὸν iam dudum excidit. Succedunt intrusi perperam articuli exempla. Ut 1 Joh. 5, 20. ubi

ubi ἡ ζωὴ male pro ζωή: Luc. 10, 6. ὁ υἱὸς εἰρήνης, inscienter inserto a Bezae sedulitate articulo, pro υἱὸς εἰρήνης legitur. Ergo vir doctus comparationem articuli cum Hebraico praefixo ה, quo fere in interpretandis huiusmodi locis recte uti videmur, non videtur agnoscere, nec respicere: 2 Petr. 1, 21. aut οἱ ἅγιοι τοῦ Θεοῦ ἄνθρωποι legendum, aut ἅγιοι Θεοῦ. Hinc ἐκλεκτῇ κυρίᾳ 2 Joh. 1. explicatur, et Κυρία nomen esse proprium monetur. Absolvitur autem caput hac observatione, vocem Θεὸς et ὁ Θεὸς quoties occurrat, numquam in Articulo fallere, nisi excipiatur 1 Tim. 3, 16. Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί; ubi si vera et integra vox Θεὸς, ex Analogia, quod nemo quantum meminimus ex interpretibus monendum putavit, ὁ addendum fuerat.

Jam correctionum et emendationum in interpretando vo Testamento instituendarum laborem etsi refugiat plurimorum ignavia socordiaque, et superstitio adhibendum esse neget, quum peritorum iudicium defendat et commendet, idque tanto consensu fiat hisce temporibus multorum, ut qui modo via ac ratione aliquid hoc in genere tentet, ei, ne molestos experiatur sibi qui dicendae sententiae ius habent, vix sit timendum: tamen Auctori excusandi sui studii caussa tertium caput adiungere placuit, illius, quod supra docuimus, argumenti. Quod quidem trium tractatur sectionum distributione, quarum prima de variis Lectionibus in universum agit, deque earum origine. Qui receptam acriter lectionem iactant falsae opinionis arguuntur; Whitbii potissimum, qui lectionem textus hodierni in omnibus defendi posse affirmabat, sententia, spernitur et reiicitur, erroris convincitur, demonstraturque, tot discrepantiis ubique circumsonantibus receptam lectionem obtundi et paene nullam esse, omninoque de ea sic disputatur, ut, quod Caesar olim de republica iactasse fertur, id auctorem de Recepta Lectione sensisse existimes, eam esse appellationem modo, sine corpore, ac speciem. Secunda sectione magnam in indagandis veris lectionibus inesse difficul-

difficultatem, Belgarum Interpretum, in hoc iudicio saepe falsorum, exemplo comprobatur: tertia denique, in quibus ii haeserunt, loca, ad diligentius examen revocantur.

Duorum adhuc locorum mentio facienda est, quae extremo secundo capite restituuntur. Alter Luc. 23, 54. ἡμέρα ἦν παρασκευή, καὶ σάββατον ἐπέφωσκε, emendando per — παρασκευῆς σάββατον ἐπέφωσκε. Alter paullo difficilior 1 Cor. 7, 34. secus quam in editis est, suadente tamen Codd. lectione, sic constituitur: πῶς ἀρέσει τῇ γυναικὶ καὶ μεμέρισαι καὶ ἡ γυνὴ ἡ ἄγαμος καὶ ἡ παρθένος μεριμνᾷ, ita ut ἡ γυνὴ ἡ ἄγαμος sit pro simplici ἡ ἄγαμος, sicut Apoc. 21, 9. ἡ γυνὴ ἡ νύμφη, pro ἡ νύμφη, Luc. 2, 15. οἱ ἄνθρωποι οἱ ποιμένες. In quibus, ac ceteris quae tractantur locis, quorum vix minimam partem commemoravimus, an verum viderit, et aliquid effecerit conando, eorum qui volunt, facultatemque habent, esto iudicium. Quantum nos arbitramur id factum est in plerisque, diligentiae certe, acuminisque laude defraudandum non putamus. Caeterum libri, quum non Latina, ut titulus promittit, sed Belgica lingua conscriptus sit, lectio, non omnibus promiscue patet.

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiae

Calendis Februarii Anno MDCCLXXI.

PENSÉES THÉOLOGIQUES, &c.

i. e.

Obſervationes theologicae, quae ſpectant ad temporum noſtrorum depravationem atque errores.

Lutet. Pariſ. MDCCLXIX. Alph. 1 plag. 8. octonis.

Huius libri admodum utilis ſumma dirigitur contra libidinem eorum, qui temeritate atque impietate armati, adverſus religionis Chriſtianae ſanctiſſima dogmata inſurgunt, eaque et dictis impugnant, et factis tollunt. Quorum cum ſit magnus numerus in ea ipſa urbe, ubi auctor vivit, neceſſe putavit, partim ſibimet ipſi, partim aliis, qui nondum ſunt iſtorum hominum fraudibus irretiti, hoc libro conſulere, ut ita cavere diſcant praeſentis temporis periculum. Totum librum auctor circumſcripſit finibus viginti capitum, quae uti tractant res ſatis notas et ubique obvias, ita ſingula commemorare non eſt neceſſe, niſi in quibus recedit a communi eccleſiae Romano-Catholicae opinione. Omnia, quae ab auctore dicuntur, ſunt vel e ſcripturis, vel e patribus eccleſiae, (quorum multa loca cum delectu admodum utili

commemorat,) vel e libris aliorum theologorum petita. Ipsa adeo ea, quae in Baylii, Russavii, atque Voltarii libris, inter prava multa interdum bene dicta reperiuntur, sua fecit auctor, usus ipsorum pugionibus, adversus religionem Christianam hostiliter directis, ad defendenda illius placita castissima. Capite VIII quod est de discrimine potestatis ecclesiasticae atque civilis, auctor dicit, subesse quidem potestati clavium omnia ecclesiae, membra, inde a regibus usque ad infimae conditionis homines; neque enim posse principibus, haereseos criminis reis, contra ipsa scripturae verba immunitatem et veluti praerogativam aliquam concedi prae reliquis hominibus; cautionem tamen ex exemplo Pauli esse adhibendam, ne, quod nobis per se liceat facere, id semper utile et ab omni periculo alienum conseamus. Melius igitur A. tranquillitati publicae consultum putat, principem aliquem haereticum cum ecclesia coniungi, quam ab illa per excommunicationem divelli. Constantium enim ipsum, quanquam fuerit Arrianus, sectamque suam contra orthodoxos acerrime defenderit, nunquam tamen nec a Liberio, nec ab Anastasio, nec ab Osio, fuisse ab ecclesia remotum. Ceterum, cum vis excommunicationis tantum sit spiritualis, facile intelligitur, nullam potestatem pontificibus relictam esse in externa principum excommunicatorum bona. Nec pravi principum mores, apostasia, haereses &c. soluunt cives a fide illis praestanda; repugnat enim disertis religionis Christianae praeceptis, quibuscum et veteris ecclesiae doctores consentiunt. Doctrinam eorum, qui contenderunt, principes certis de caussis, veluti haereseos, tyrannidis, aut impietatis, posse a civibus, neglecta iurisiurandi religione, occidi, hanc igitur doctrinam diris devotionibus exsecratur, deletam ex hominum memoria cupit, atque ipsi religioni Christ. et humanae naturae contrariam declarat. Porro negat, pontifici Rom. summum atque ab omni erroris periculo alienum, in rebus fidei arbitrium. Nam Christus omnibus omnino Apostolis, sive toti ecclesiae, securitatem ab erro-

erroribus promisit, non uni Johanni, Petro, aut Andreae. Ceterum, quae de visibili rerum ad fidem pertinentium iudice, i. e. ecclesia, dicuntur, ea et opinionibus hominum Romano-Catholicorum respondent, et molestum auctoris laborem produnt. Nam in definienda notione ecclesiae, cuius aliquam partem facit pontificem Rom. multae apparent difficultates, e quibus se expedire cum reliquis ecclesiae Rom. doctoribus non potuit. Haec autem omnia consulto praeter mittimus.

Caput, de religione in universum, multa bene et utiliter dicta continet. Deum esse, probavere multi ex consensu omnium populorum, illius aliqua saltem cognitione pollentium. Cuius argumenti vis ut infringeretur, exorti sunt quidam, qui dicerent, in America repertos fuisse homines feros, sine cultu divino, sine religione et legibus, in silvis degentes. Ab horum autem moribus, auctor respondet, admodum ridiculum est, duci conclusionem ad hominum naturam. Quis enim, cum videt homines quosdam mutos, coecos, surdos, aut aliis naevis insignes, putet, reliquos homines natura sua esse surdos, coecos, mutos &c.? Idem iam dixit Porphyrius de Abstinent. animal. *Ex gentibus illis efferatis et inhumanis non oportet ab aequis iudicibus convicium fieri naturae humanae.* Duodecim sunt argumenta, quibus auctor veluti fundamentis divinam religionis Christ. originem superstruit, e quibus repetemus unum, quod nobis omnium maxime arrisit. Religio Christ. neque ad solos eruditos, neque ad solos ἰδιώτας pertinet, cum contra religio gentilis alia sit philosophorum, alia vulgi. Illa, philosophorum religio longe superat captum plebis, haec tacite ridetur a philosopho. Religio Christ. ad maiora et digniora assurgit, quam philosophorum de Deo et virtute placita; et tamen haec a paucis intelliguntur, illa omnibus hominibus, doctis atque indoctis, plana est atque perspicua. Capite XI. de doctrina Christ. quaerit auctor, annon fortasse ipsa sit cum sermone mutata, cum constet, theologos hodiernos lon-

ge aliis verbis de ea disputare, quam veteris ecclesiae doctores, solere. Hanc quaestionem absoluit negando, quoniam doctrina non sit in verbis, sed in sensu. Qui si potest verbis novis, accuratioribus, et clarioribus effici, uti illis sine periculo innovatae doctrinae ecclesia potest. Caput XII. est de mysteriis, complectiturque uno in loco, veluti in brevi summa, collecta praesidia adversus impetum hostium religionis omnium firmissima, nisi quod auctor secundum religionis suae dogmata etiam transsubstantiationem mysteriorum nomine comprehendit. Capiti XIII. de haeresibus, multa huc pertinentia bene insperfa sunt. Caute atque diligenter circumspiciendum est, ne fortasse hominibus innocentibus haeresium crimina intendamus; nec in hac re debemus verosimilitudinem, sed firmam et omnibus numeris absolutam certitudinem quaerere. Augustinus ita aliquo loco, cuius et auctor mentionem facit: *Malevolae*, inquit, *animae dulciter sapit, quod pessime suspicatur. — Omnes, aut paene omnes, amamus, nostras suspiciones vel vocare, vel existimare cognitiones.* Haereticorum opiniones tantum abest ut omnes sint falsae, ut earum potius magna pars convenire cum litteris sacris possit. Turpiter igitur sese dant aliorum irrisioni, qui gratiam divinam per se operantem, cum firma pietatis atque verosimilitudinis fiducia statuentibus, aliquam invidiae maculam adspergere conantur, hac induti orationis fallacia, quoniam haeretici idem dixissent. Doctrinae Christianae placita certa atque extra omnem dubitationis aleam posita, diligenter sunt ab opinionibus hominum doctorum controversis discernenda, in quibus uberiore cognitione opus est, quae interdum omnium optime paratur mutuis atque liberis scholae disputationibus. In omnibus autem eiusmodi quaestionibus, amor principem locum tenebit. Ita certo constat in ecclesia, de gratiae divinae ad omnes verae pietatis actiones necessitate. Modus autem, quo Deus istius suae gratiae vim in animos humanos exserat, nondum est ita ab omnibus difficultatibus expeditus, ut nulli amplius dubita-

dubitationi locus ſit; relinquatur igitur ſcholarum uberiori atque liberiori diſquiſitioni. Omnium optime autem verſatur auctor in capitibus de prophetiis atque miraculis. Quae cum ſint res facti, nitanturque teſtimoniis hiſtoricis, diligenter inquirendum eſt in eorum vel veritatem, vel falſitatem, ne vel coeca quadam temeritate abrepti certa abiiciamus, vel ſuperſtitione aut credulitate acti incertis et falſis fidem habeamus, inter quae duo vitia media via incedere difficillimum eſt. Hiſtoria omnis nititur teſtimoniis hiſtoricis, in quibus certitudo locum habere poteſt. Stultum igitur, atque ab omni vitae communis experientia alienum eſt, ab religionis hoſtibus negari veritatem miraculorum, in ſcriptura commemoratorum, his ſolis de cauſis, quoniam illa non ipſi viderint, aut non ubique ſint obvia. Etenim rerum, inſolenter factarum teſtimonia hiſtorica ſi ſint critice atque accurate diiudicata, habent parem certitudinem cum iis, quae quotidie in rerum natura accidunt.

Ex hac epitome huius libri videbunt lectores noſtri, ſua ſponte, dignum eſſe, qui totus perlegatur, praeſertim cum praeter utilitatem et brevitatis habeat aliquam commendationem. Ceterum, ne aliquid praeteriiſſe videamur, liber ipſe ſermone Franco-Gallico conſcriptus eſt.

TENTAMINA JURISPRUDENTIAE rationalis de iure puniendi divino et humano. Auctore *H. GOODRICKE.*

Groeningae, 1766. octonis.

Habent libri in Batavis editi fatum propemodum commune. ut tum demum noſtrorum hominum oculis obveniant. cum eorum memoria apud populares propemodum tota intercepta eſſe videtur. Huius libri, quem iam tenemus in manibus, eadem eſt ratio. Maluimus tamen illius

aliquam notitiam huic loco adſpergere, quam tacita praetermiſſione negligentiae ſuſpicionem apud lectores noſtros commovere, praeſertim cum quaedam in illo libro reperimus. quorum cognitione eos imbuere vel maxime cupimus.

In praefatione defendit auctor ſcribendi genus, quo uſus eſt, et paullo acerbius ſtringit calamum adverſus eos, qui in rebus talibus bonae Latinitatis ſtudium exigere ſolent. Quae vox querula et ſatyrica ſi prorupiſſet ex ore obſcurorum illorum noſtri temporis virorum, qui non ſolum ipſi cane et angue peius evitant ſcribendi elegantiam, et illius paullo ſtudioſiores acerrimo odio proſequuntur, verum etiam aliis paullatim hunc ſenſum ſuperſtitionis plenum inſtillant, ab his igitur malignis probatae Latinitatis obtrectatoribus ſi proveniſſet haec oratio, ſane non adeo miraremur; ſciremus enim, ipſos de linguae Latinae caſtitate, propter illius ignorantiam, aliter iudicare non poſſe. A ſcriptoribus vero Batavis, quorum plerique olim quidem fuerunt elegantes Latinarum venerum et ſpectatores et ſectatores, haut facile quis expectaverit tam malignum de ea re iudicium. Ergo ne res dogmaticae plane non capiunt Latinae linguae elegantiam? nec explicari, niſi oratione barbara, poſſunt? Male igitur feciſti, bone Cicero, quod de re dogmatica, de officiis, bene Latine ſcribere auſus es! Temere item tu, Quinctiliane, qui praeceptis bene et ornate explicandis inſtruere futuros oratores adgreſſus es! Omnem, quam, dum viveretis, tanto ſtudio aucupati eſtis, et per multa ſecula omnium doctorum ſuffragiis ſecure tenuiſtis, eleganter ſcribendi laudem, hodierni ſcriptores vobis denegabunt. Adſpergamus hic aliquid, veluti ἐν παρέργῳ, de bonae Latinitatis notis, quoniam eae vulgo ab anxiis quibusdam noſtrae aetatis ſcriptoribus non ſatis recte intelligi videntur. Clamant enim, et diram veluti crucem imprecantur iis, in quorum ſcriptis deprehendunt aliquam voculam uſu Ciceronis aut Livii non probatam. Erit igitur, ex illorum

rum sententia, scriptoris bene Latini nomine censendus is, qui in scribendo utitur verbis non nisi iis, quibus usi sunt scriptores singuli in suo genere optimi, eius aetatis, qua lingua Latina omnium peritorum consensu fuit florentissima; quique verbis et singulis, et cum aliis coniunctis, i. e. phrasibus, eandem subiicit notionem, quam iis probati auctores tribuerunt tum, cum de eadem re loquerentur. Hae notae si solae sufficerent ad dirimendam hanc quaestionem, facile possemus, dum intra vitae scholasticae angustias inclusi tenemur, bene scribendi gloriam adipisci. Etenim, si vel maxime non omnes boni auctores in scholis explicentur, (in bene constitutis autem tractabuntur plerique,) possemus tamen, dum ad scribendum accedimus, ad lexica recurrere, in quibus omnia probatae auctoritatis vocabula collecta reperiuntur. Atqui hoc volunt hodierni ignorantiae patroni, quorum libri sunt illi quidem verbis Latinis conscripti, phrasis tamen tota ita scatet Germanismis, ut intelligi, nisi a lectoribus linguae vernaculae adsuetis, non possint. Hi igitur, quoniam vident, aliquam saltem linguae Latinae cognitionem necessariam esse ei, qui hodie doctus vel esse velit, vel videri: eam omnem arctis lexicorum limitibus circumscribunt, et asseclas suos, quos nolunt ultra magistri eruditionem sapere, ad eas veluti ad instructos sapientiae thesauros amandant, unde petere scripturi, quicquid velint, possint. Severi, atque elegantes Latinae linguae arbitri, castitatem longe maiorem solent exigere ab iis, qui initiari his sacris, et ad iustam illorum cognitionem adspirare laudabili quodam conatu cupiunt. Ut quaeque natio diversa utitur lingua, ita diverso modo sensa animi profert, unde dignosci altera ab altera potest. Haec ἰδιώματα ita arcte sunt unicuique linguae adstricta, ut ad verbum transferri in aliam linguam non possint, nisi quis se turpiter dare peritorum animadversioni et risui velit. Linguae Latinae, quemadmodum et aliarum linguarum, indoles, non est in singulis verbis, sed in toto orationis habitu, in apta et naturali

singula-

ſingularum propoſitionum combinatione et conformatione, in tropis huic linguae propriis et aſſumendis, et perſequendis; in uſu adiectivorum quibusdam ſubſtantivis veluti perpetuo adhaerentium; in participiis frequenter adhibendis, et ita orationi univerſae innectendis, ut et brevitati et perſpicuitati conſulatur, in collocatione verborum numeroſa, qua orationi conciliatur; aliqua gravitas Romanae nationi propria; in multis denique aliis rebus, quas ſentire magis et imitari, quam certis praeceptis explicare harum rerum periti poſſunt. His dotibus elocata oratio ſi prodeat in conſpectum elegantium ſpectatorum, ſine dubio probabitur, nec poteſt non largam habere pulcritudinis commendationem, ſi vel maxime hic et illic adſperſa ſit vocula, Ciceroni, Livio, aut alii aureae aetatis ſcriptori non uſurpata. Nam vivida poſteriorum temporum ingenia in omnibus diſciplinis excogitaverunt res veteribus incognitas, quibus deinde uſus impoſuit nomina notionibus exprimendis accommodata. Haec vocabula ſunt vel plane recens cuſa, vel habent ſaltem ſignificationes uſu veterum ſcriptorum non probatas. Obibunt tamen et ipſa, ſi ſint ad analogiam linguae Latinae conformata, vicem antiquorum verborum. Quid igitur? Utrum ſcribendo explicaturi ideas, quarum in ignoratione veteres Romani verſabantur, omnino abſtinebimus a verbis, quibus uſus hominum doctorum ex quocunque genere Romanam veluti civitatem donavit? An orationem, qua notiones noſtrae aetatis exponimus, ita alligabimus priſcis vocabulis, ut ab illorum imperitis plane non, a peritis vero nonniſi cum aliqua moleſtia poſſit intelligi? Haec κακοζηλία parit ſcribendi genus affectatum, quo nihil poteſt eſſe intolerabilius. Poteſt unusquisque, noſtra quidem ſententia, ſalva linguae puritate adhibere nova vocabula, diuturno hominum doctorum uſu probata, ſi modo ſit reliqua oratio in eas, quas ſupra attigimus, virtutes induta. Quod niſi velimus concedere, nec Lactantius erit ſcriptoris bene Latini nomine cenſendus; nam

nam in ipſius libris bene multa reperiuntur, quae aurea illa aetas plane ignoravit. Hinc intelligitur, nec eorum ſententiam ſtare poſſe, quae rebus cognitionis elegantiam orationis accommodari poſſe neget. Horum refutandorum cauſſa ſufficit commemorare, libros ex hoc genere, in hac ipſa Academia ſcriptos a viro venerabili, quem libenter cum honoris praefatione nominaremus, niſi hunc impetum ipſius viri modeſtia intra animi anguſtias cohiberet. Hi libri dudum ſunt cum plauſu eruditorum excepti, commendabunturque perſpicuitatis et elegantiae nomine tam diu, donec eſſe deſierint, qui de his rebus iudicare cum fiducia intelligentiae poſſint. Ceterum rogamus lectores noſtros, ut, quod paullo fortaſſe uberius de lingua Latina diſputavimus, id noſtro illius commendandae aliquo ſtudio amanter concedant.

Iam redibimus in viam, unde digreſſa eſt noſtra oratio. Omnem librum Goodrickius diſpeſcuit in duas partes, quarum altera eſt de iure puniendi humano, nititurque ſecuritate ſocietatis humanae; altera agit de iure divino puniendi homines peccatores, quod intelligitur ex arcta coniunctione Dei creatoris, conſervatoris et moderatoris rerum humanarum, cum naturis intelligentibus, et inde oriunda ipſius in homines poteſtate. Deus in puniendis hominibus duo ſpectat, partim ut ipſorum ſaluti conſulatur, et peccatis futuris caveatur, partim ut divinae et legi et iuſtitiae ſatisfiat. Hanc alteram partem uberius explicat auctor, repudiatis tamen verbis tropicis, quibus ea res cum detrimento perſpicuitatis explicari vulgo ſolet. Juſtitiae Dei violatae ſatisfit per poenam ab eo praeſtandam, qui peccavit, vel per aliquid quod poenae loco conſetur. Jam quaerit auctor, utrum ratio humana ſibi ſoli relicta poſſit, an per verbum divinum, intelligere neceſſitatem Dei peccata vel puniendi, vel aliud quid depoſcendi, quod magnitudini illorum reſpondeat. Reiectis argumentis eorum, qui id fieri poſſe aiunt,

H auctor

auctor rem aliis uberius cogitandam relinquit, nec eam vel audacter affirmare, vel temere negare audet. Quaestionem alteram, an, negata hac divina puniendi necessitate, eam, si non semper, aliquibus certe in caussis, agnoscere homo suo arbitrio expositus possit, hanc igitur quaestionem affirmat propterea, quod ista necessitas non sit nec physicae, nec morali Dei perfectioni contraria. Cum hac quaestione naturali quodam vinculo coniuncta est tertia, de necessitate satisfactionis Christi. Hanc vere contigisse, multis et perspicuis litterarum sacrarum dictis probatur. Necessitatem vero illius ita conatur defendere, quod ea pertineat ad actiones Dei liberas, quas omnes dicit esse moraliter necessarias; inde enim, quod Deus sibi satisfieri per Christum voluerit, idque etiam vere contigerit, facilem esse conclusionem ad moralem istius satisfactionis necessitatem. Addit et alias rationes, e notionibus sanctitatis, iustitiae, et bonitatis divinae petitas. Quibus uberius explicatis concludit tandem, Deum non posse ex arbitrio hominibus peccata et poenam illa comitantem condonare, nec ex illius attributis, veluti iustitiae, poenae necessitatem omnibus in caussis deducendam commode videri. Dicit enim, e notione iustitiae divinae nondum sequi, Deum semper debere, omnibusque in caussis, peccata punire. Amplius progreditur auctor, necessitatem satisfactionis e commodis illius, et poenarum consilio, demonstraturus. Quod cum multo sit laxius extendendum, quam ad meram peccatoris emendationem, sane hanc Deus nec solam, nec semper potest spectare, cum hominibus veniam peccatorum concedit. Deinde haec poenarum sumendarum necessitas et inde intelligitur, quod alias nec legi ipsi, nec eius auctori, suus honos, sua auctoritas conservari potest. Noluisse Deum hominibus peccata sine satisfactione remittere, patet ex multis scripturarum sacrarum locis. Cuius rei quaedam debent esse caussae, quarum investigatio est veluti saluberrimum animi humani pabulum. Has auctor refert ad cognitionem

nem

nem peccatorum, et ad reliqua commoda e ſatisfactione Chriſti oriunda, in quibus uberius explicandis omnis liber abſolvitur. Cetera, quae inſunt in hoc libro, bona, ipſis lectoribus delibanda relinquimus, quos totum librum perlegiſſe tantum abeſt ut poenitere poſſit, ut eius potius commendatione nos magnam apud eos gratiam inituros ſperemus.

ORATORUM GRAECORUM Volumen tertium, Aeſchinis omnia complectens. Editionem curavit IO. IAC. REISKE.

Lipſiae, typis Sommeri: 1771. Alph. 2. plag. 6. in 8.

Cum huius operis tomos duos priores indicavimus, ſatis videmur de omni eius conſilio et inſtitutione dixiſſe. Quod autem illo tempore nobis non fuit integrum, de ipſis animadverſionibus Reiskianis exponere, cum non niſi graeca Demoſthenis in manibus haberemus, unde non niſi coniecturas quasdam et emendationes excerpere potuimus, id in hoc volumine licebit, quod ſingulis locis adiectas interpretum omnium animadverſiones continet.

Occurrunt autem in hoc tomo Aeſchinis orationes et epiſtolae, cum integris notis Wolfii, Brodaei, Jurini, et Taylori, quae non, ut in Taylori editione, ad calcem operis reiectae, ſed ipſi ſingularum paginarum textui ſubiectae ſunt, interpoſitis ubique Reiskianis. Sequuntur pag. 649. epiſtolae, eum iisdem notis, quas editio Anglica habet: tum p. 703. notulae Salmaſii ad Aeſchinem, p. 705. ſupplementa annotationum Marclandi, quae Cl. Reiskius ex ſchedis Taylori, a Cl. Askewio miſſis, hic protraxit, p. 709. acceſſio ad notas Reiskii, qua poſita in notis partim con-

 firmantur,

firmantur, partim retractantur: cetera, quae fortasse omissa sunt, aut mutatione egent, in indicibus exponentur. Primus edidit p. 713. scholia ex apographo Oxoniensi, Ultraiectino, et Tayloriano, (Taylorianum vero idem Askewius cum ceteris schedis misit,) non magnum tamen pretium iis statuit, certe tanti ea esse negat, quanti a plerisque facta sint, qui ea passim commemorant. Libellus variarum lectionuum p. 770. continet, quidquid Taylorus in schedas retulerat e codd. Lockerano, Harleiano, Meadino Bernardino, Coisliniano, et quatuor Parisinis: neque enim omnes Taylorus editioni suae inseruerat. Similiter epistolarum varias lectiones e duobus codicibus excerpserat Taylorus, quos tamen non descripsit. Accedunt lectiones e cod. Helmstadiensi, quem Cl. Reiskius primus tractavit, tractandoque reperit, optimum omnium Aeschinis codicum esse, ac tantum ei pretium statuendum, ut propemodum nobilissimus omnium, quotquot usquam terrarum hodie exstant, (p. 772.) nominandus videretur. Antiquus non est, sed nitide in membrana, una eademque manu, quasi eodem die, scriptus a Georgio Chrysococca, in usus Aurispae, qui Seculo XV. medio vixit. Praeter orationes et epistolas Aeschineas, insunt epistolae Isocraticae, cum quae vulgo edi solent, tum ea, quam Hoeschelius ad Photium edidit: sequuntur epistolae Socraticorum, a Leone Allatio editae, et Dionysii Halic. libellus de vita Lysiae. Specimen codicis aeri incisum Cl. Editor p. 380. exhibuit. In hoc quidem tomo lectiones ex oratione in Timarchum reperiuntur; ceteras enim tomo sequenti reservavit.

Jam vero de notis Reiskianis breviter exponemus, quarum maxima quidem pars in iudicandis variis lectionibus coniecturisque ac defensione earum lectionum, quas Cl. Editor ex ingenio recepit, versatur; neque tamen desunt, quae sensum περιφράσει aut uberiore explicatione illustrant, de ritibus antiquis, quatenus verborum interpretatio

tio

tio inde pendet, agunt omninoque difficiles locos notant. Cum ergo p. 83. quidam dicuntur Pittalacum *μαστιγῶσαι τὰς ἐξ ἀνθρώπων πληγάς*, pro quo Wolfius et Palmerius *πληγὰς ἐξανθρώπους*, *inhumanas*, poni voluerunt, defendit vulgatam lectionem, et *verbera, quanta maxima infligi possunt*, interpretatur, pluribusque locis Dionysii Halic. hoc dicendi genus illustrat. In formula testimonii p. 75. Misgolas de Timarcho dicit: *κατὰ τὴν γνῶσιν μοι τὴν πρὸς αὐτὸν πολυωρῶν οὐ διέλιπεν.* Hic Cl. Reiskius, particula *κατὰ* sublata, verba reliqua, *πολυωρῶν τὴν γνῶσιν μοι τὴν πρὸς αὐτὸν*, sic interpretatur, *qui contractam mecum familiaritatem officiorum assiduitate percolit.* Praeterea malit *τὴν μοὶ*, quam *μοὶ τὴν*; alteram lectionem *μὲ* minus exquisitam iudicat, ac *διέλιπεν* pro *διέλιπον* posuit. Quae p. 79. notantur, *τηλίαν* esse tabulam, in quam tali e fritillo coniiciantur, ea Scholio confirmantur: *ἡ τηλία σανὶς ἡ κυβευτική*; ac his rursus simillima sunt, quae Etymol. M. habet. Rursus p. 62. *ἐπιγράφειν τοῖς πράκτορσι* defendit, (Taylorus enim *ἐγγράφειν* maluerat,) verbisque hunc sensum inesse iudicat: quaestorem, cum nomina aerarii facti in tabulas publicas referat, aut exactori consignata tradat, una cum potestate exigendi, dici *ἐπιγράφειν*: sed haec in indice Demosthenco pluribus se demonstraturum pollicetur. *Συνδικεῖν τῷ δημοσίῳ* p. 45. ut p. 47. *συνδ. τ. δήμῳ*, Wolfius verterat: *publicae causae patronum esse*: quae interpretatio nobis quidem semper vera visa est, praesertim cum apud Demosth. de cor. c. 42. invenissemus, *σύνδικον ὑπὲρ τοῦ ἱεροῦ τοῦ ἐν Δήλῳ*, suffragiis populi creatum, eiusque munus *λέγειν*, *agere causam*. Cf. Budaei comm. ling. graec. p. 109. Jurinus autem sic acceperat: *esse e numero iudicum, qui e populo sorte ducuntur*, sive, *una cum populo iudicare*. Quod cum vix probari possit, Cl. Reiskius aut *δήμῳ* legi vult, id quod facile concedimus, aut adeo *μηδὲ διοικησάτω τῶν δημοσίων μηδὲν*, quo tamen, si locum Demosthenis recte comparavimus, non opus videtur. Pag. 47. ubi multa interdicta sunt ei, qui scortis masculis usus est, sequitur:

 ἐάν

ἐὰν δέ τις ταῦτα (quae interdicta sunt) ποιῇ, quae verba cum satis perspicua videantur, non erat fortasse, quare Cl. Editor mallet: ἐὰν δ. τ. παρὰ τ. ποιῇ. Vulgatam lectionem, τοῖς ἑρμαίοις συγκατιέναι, mutavit, ex auctoritate Aldinae editionis, in συγκαθιέναι (sc. ἑαυτὸν), *demittere se* (in periculum): negat enim, Graecos dicere συγκατιέναι. Locum p. 56. κἂν πάνυ κακῶς, κἂν ἁπλῶς λέγειν, laborare censet glossemate, ideoque cum κακῶς sit *inornate, ieiune*, tollendum arbitratur illud κἂν ἁπλῶς. Pag. 53. edidit, ὧν ὀλίγῳ πρότερον ἐν τῷ λόγῳ ἐπεμνήσθην, nam verba ἐν τῷ λόγῳ, hactenus ab editoribus omissa, sed in duobus codicibus a Tayloro reperta, restituenda putauit Aeschini, qui et alibi sic locutus est. Habet ea Helmstadiensis etiam liber. Ibidem revocavit ἐκεῖνοι μέν γε, quod Wolfius in ἐ. μ. γὰρ mutarat; significat autem, *ac illa quidem*. Cod. Helmstad. nec γὲ, nec γὰρ habet. E coniectura posuit p. 73. ἐκεῖνό γε οὐ δέδια, μήποτέ με δύνωνται ἀφελέσθαι τὴν ἀλήθειαν. Sed antea edebatur: ἐκ. γε οὐδεμήποτε δύν. ἀφ. τ. ἀλ. Helmstad. habet, οὐδέποτε et δυνήσονται, quae haud dubie vera lectio est: *illud quidem numquam poterunt, eripere mihi id, quod verum est*, exstirpare veri vestigia. Similiter e sua opinione posuit: ὡς δὲ παρῄει ἐπὶ τὸ βῆμα, cum παριέναι in hac re solemne verbum sit. Verum nonne παρῆν ἐπὶ τὸ βῆμα eodem modo potest intelligi, *cum adesset, ut pro tribunali diceret*. Pag. 101. monetur, interdum ab Aeschine cum dici ψῆφον διδόναι, qui in caussa sit, cur de eo in suffragia eatur; de quo nobis tamen aliquid dubitationis superest. Recte recepit p. 109. et 110. συνδικάζειν et δικάζειν pro δικ. quod iam Taylorus restituendum esse viderat. P. 116. illa occurrunt: ἡ φύσις ἡ τούτου ἀεὶ ἐπεθύμει — — — καὶ ἀπεφέρετο εἰς τὸ καθ' ἡμέραν ἔθος, *auferebatur ad quotidianos mores*. Wolfius, probante Tayloro et Jurino, ediderat καὶ μηδὲν ἀπεφ. in quo Reiskium ab iis recessisse laetamur, adeo plana et bona est vulgaris lectio. P. 127. docet, quo anno Timarchus sit accusatus. Cum enim anno ante, quam accusatus est, fuerit

βουλευτὴς

βȣλευτὴς, Archonte Nicophemo, quo munere βουλευτοῦ non nisi semel per omnem vitam fungi Athenis licuit, sequitur, eum ao. 1. Olymp. 105. accusatum esse: nam Nicophemus ao. 4. Olymp. 104. Archon fuit. P. 385. in orat. contra Gesiphontem legitur ἄν τις ὄντως λάχῃ προεδρεύειν, ubi Taylorus viderat, ὄντως non commode positum esse; sed Cl. Reiskius simile iudicat superioribus, ἐκ τοῦ δικαιοτάτȣ τρόπȣ λαχόντες, et interpretatur, δικαιῶς λάχῃ. Fuerit ergo ὄντως, *ipsa re, forte*, non malis artibus. Corruptus est locus p. 396. εἴ τίς ἐςι μέτριος ἐπὶ τῶν τὰ παράνομα γραφόντων, nam ἐπὶ redundat: cum autem sit in omnibus libris, Reiskius Cel. lacunam, quae videtur, ita explet: εἴ τίς ἐςι μέτριος ἐπικουρῶν τινὶ τῶν τ. π. γρ. Sed fortasse ἐπὶ ortum est ex ἔτι, *modo tales dici amplius possunt* μέτριοι. P. 406. τὰ γέρα, quae Sacerdotes accipiunt, refert ad praecipuum quendam reditum, qualis hodienum sodalitatum capitibus et praesidibus concedi solet. Bis occurrit, τραγῳδοὶ γίγνονται, p. 431. et 541. de fabulis, quae eduntur, pro quo, in altero saltem loco, τραγῳδίαι γίγνονται poni nequit, quod sane foret lenius. Itaque Reiskius Cel. hanc loquendi formam soloecismis Aeschinis adnumerat.

Sed satis exemplorum. Pauca reliqua sunt de praefatione et sequenti tomo. Multis ergo in praefatione descripsit Aldinam editionem, ductam e codice, qui nunc Florentiae servatur, et de quo Bandinus in catal. MSS. Flor. T. 2. col 336 egit. Stephanus, qui Aldinam recudendam curavit, etiam aliis usus est praesidiis, quae describuntur, adiecta de Stephano sententia, quae non magis ad laudem eius, quam reprehensionem pertinet. Et hanc Stephanianam editionem Cl. Reiskius nunc accurate repeti voluit, praeterquam iis locis, ubi e coniectura, vel codicibus, aliquid mutandum censuit. Alter tomus, praeter indices graecitatis, legum locorum, rerumque, Wolfianam versionem operum Aeschinis continebit, vitamque Oratoris, ab eodem Wolfio

Wolfio ſcriptam, cum Matthaei diſputatione de Aeſchine, et Taylori prolegomenis ad Demoſthenem et Aeſchinem, quae in Schedis ſaepe memoratis ex Anglia miſſa ſunt. Paginis ſingulis adſcriptae ſunt paginae et verſus Stephanianae, quam in indicibus conficiendis ſecutus eſt. Suas annotationes, quas meditato ſcribi potuiſſe fatetur, humanitati lectorum commendat.

SAXONIS GRAMMATICI HISTORIAE DANICAE Libri XVI. e recenſione Stephani Joannis Stephanii, cum prolegomenis et lectionis varietate; edidit CHRISTIANUS ADOLPHUS KLOTZIUS.

Lipſiae, ſumtibus Hollianis 1771. in 4. maj.

Quem modo nuper veteranum militem in Apollinis Romani caſtris glorioſam militiam deſudantem vidimus, *Klotzium*, ecce! non infeliciori ille impetu auſus eſt, de gentium ſeptentrionalium hiſtoria mereri, et praeclare quidam. Mirum profecto, Graecarum pariter ac Romanarum Muſarum deliciis adſuetum virum, non exhorreſcere paullum horrida iſta barbarie, qua prima ſeptentrionis hiſtoria obſcuratur. Sciunt harum rerum periti, quibuscum difficultatibus ei luctandum ſit, qui in excutiendis fabellis ab ultima repetitis antiquitate, in bene digerendo rerum geſtarum ordine, in diiudicando vero et falſo, et in perſpiciendo populorum, quos altum premit ſilentium, ingenio non ſine fructu elaborare velit. At vicit haec impedimenta, multiplici variaque materia exercitatum *Klotzii* ingenium. Quo ſolo duce et comite, novam ipſe ingreſſus provinciam, novum nomini ſuo decus addidit. Debet ei gens Danica non ſolum novam patrii ſcriptoris editionem, ab innumeris, quibus ante ſcatebat, mendis exporgatam; ſed, quod maius eſt,

eſt, uberrimam de vita, Scriptis, et ingenio Saxonis, commentationem, accepit, qua non ſine iure gloriari poteſt. Quae, quanti ſit pretii, aequi lectores iudicent. Commemorabimus iis potiora doctiſſimae diſputationis capita, quam totam perlegiſſe neminem poenitebit. Vindicat Cl. *Klotz.* eam Saxoni laudem, quam clariſſimo hoc ingenii ſui monimento apud poſteros conſequutus fuit. Cuius ſive prudentiam ſpectes, gravitatem, orationisque elegantiam, qua res memoratu dignas explicuit; ſive antiquitatis cognitionem, locorum hominumque ſcientiam, aptam totius operis diſpoſitionem, miramque illius iucunditatem, clariſſimumque in narrando candorem, non timeas eum in numero locare illorum, qui palmam in hoc ſcribendi genere aliis praeripuerunt. Non ea ſunt Saxonis ornamenta, quae evaneſcant, aut emoriantur comparatione meliorum. Receſſit enim, immortalis operis auctor, ab aequalium ſtudiis macilentis, ſuamque aetatem ingenii praeſtantia ſupereſſe videtur. Sed, quid multa de Saxone praefamur, cuius opus tot annornm admiratione celebratum, ſaepiusque fuit editum? quo in explicando ſic verſatos viros doctos conſtat, ut in Livio ſolent, Thucydide, Salluſtio, aliis. Utinam aetatis noſtrae ingenium minus deflexerit a ſeveris illis maiorum legibus, nec deliciis nugarumque ineptiis tempus fallere, quam gravioris doctrinae ſtudio animum emendare, ingenium acuere, rerumque ſcientia augere malit! quo facto evaneſceret profecto multorum doctrina umbratica, qui delibato leviter ſolidioris eruditionis fonte, ſapere ſibi videntur, triumphum ante praelia canentes. Ad Saxonem iam revertimur, vitaeque eius ſcriptorem luculentiſſimum. Quo in recenſendo, neſcimus, quid primum laudemus, quid miremur. Allicit animum ſuavis illa dictionis elegantia, quae Romanam venuſtatem ſpirat; abripimur ſollertiſſimi ingenii acumine; miramur lectionis divitias ampliſſimas. Multi quidem Saxonis fata attigerunt. Praeter eos, qui univerſam ſeptentrionis hiſtoriam, literarum inprimis

fata atque viciſſitudines complexi ſunt, breviter egerunt de viro omnium laude digniſſimo *Gul. Caveus* *), *Aubertus Miraeus* **), et *Elias Dupinius* ***). Copioſior reliquis omnibus fuit *Stephanus Ioannes Stephanius*, is qui hiſtoriae Danicae novam editionem evulgavit. Hunc ante decem annos excepit *Ioh. Benedictus Carpzovius*, qui libello doctiſſimo Saxonis vitam enarravit ****). Utroque libro ita ſe uſum eſſe profitetur Cl. *Klotzius*, ut quaecumque ab iis mutuata ſumſerit, tribueret nomini illius, cuius eruditioni illa deberentur. Ex communibus tamen fontibus plurima, quae attulit, hauſit; qui cum omnium oculis expoſiti ſint, omnibus pateant, cuique inde haurire, aut rivulos quosdam derivare licet. Quae de patria Saxonis agitata fuit controverſia, eam ex livore atque odio exortam putat Cl. *Klotz.* ideoque facile componendam. Nam qui, ut perſuaderet hominibus, non ſatis rerum harum gnaris, in Germania inter Saxones noſtrum natum fuiſſe, Saxonem Joannem de Saxonia appellat, *Joannes Magnus*, Upſalienſis Epiſcopus, acerrimus fuit Danici nominis hoſtis. Quam impudentiam iure caſtigavit *Petrus Parvus Roſefontanus*, qui plura eiusdem viri mendacia refutavit. Conſtat enim inter omnes, in antiquis Daniae monimentis nomen *Sachſe* occurrere, nomenque iſtud Danicae genti ab antiquiſſima memoria ſatis notum et familiare fuiſſe. Plura quidem huius rei argumenta petere potuiſſet Cl. *Klotz.* e cognatione illa vetuſtiſſima Danicae gentis cum Saxonibus, Germaniae populo.

*) Scriptor. Eccleſ. Hiſtor. litter. n. 398.

**) Bibliotheca eccleſ. p. 594.

***) Nouvelle Bibliothéque des auteurs eccleſiaſt. T. IX. pag. 195.

****) in Diſſ. hiſtorico litteraria, de vita, eruditione, et ſcriptis Saxonis Grammatici &c. Helmſtadii 1762. habita.

pulo. Nec defuiſſet hic materia, quamplurimos ſeptentrionalium Scriptorum argutos errores redarguendi. Quamvis enim multa de prima utriusque gentis ſtirpe diſputaverint viri docti, largam tamen reliquerunt ſegetem iis antiquitatum ſcrutatoribus, qui falcem ei immittere velint.

Qui, ſi ad integros fontes accedere, atque haurire velint, facile poſſent

— — novos decerpere flores,
Inſignemque — capiti petere inde coronam,
Unde prius nulli velarint tempora Muſae.

Saxoni vero Daniae vindicato, Sialandia inſula, ex mente *Querfedii*, patria tripuitur. Atque etiam Sialandici cognomen habet Saxo in quibusdam huius operis editionibus. Quum autem noſtro *Longi* quoque ſit cognomen, ſtuduerunt nonnulli generis nobilitatem Saxoni dare, illiusque natales e nobili apud Danos Langiorum familia deducere. Quibus adverſantur alii, qui cauſam cognominis a proceritate corporis repetendam contendunt. Maiorem tamen veritatis ſpeciem eorum opinio prae ſe ferre videtur, qui nobili loco ortum Saxonem dicunt. Ipſe enim in praefatione operis dicit, maiores ſuos ſub Waldemaro I. ſtipendia feciſſe, et parentem avumque fidiſſimis bellici laboris operibus caſtrenſem coluiſſe militiam. Quicquid harum rerum ſit, non auſim in hac coniecturarum varietate certi aliquid definire. Nec eget profecto his ornamentis illius viri nomen, qui ſibi meritisque veram nobilitatem debet. Quis enim fortunae luſus in verae laudis parte aliqua ponat? honorificentius *Grammatici* nomen retulit noſter ab aequalibus, uti moris fuit antiquo aevo nomina dare viris a locis ubi nati, ab artibus quas profeſſi erant, aliisque a rebus. Quod quidem cognomen tribuiſſe Saxoni librarios, vel recenſitores librorum vete-

rum, *Casp. Barthius* existimat. *Daniel Heinsius* contra, ipsum arbitratur Saxonem hoc sibi nomen imposuisse, ut sua auctoritate, suo exemplo restitueret pristinam dignitatem nomini honorifico. Honorificentissimam enim personam sustinuisse olim Grammaticum, vastamque rerum scientiam Grammatici munus nomenque complexum fuisse, vel indocti intelligunt. In definiendo anno Saxonis natalitio, non una eademque omnium est opinio. Constat tamen, floruisse iam (sive edidisse ingenii specimina non improbabilia; florere enim non est nasci,) anno salutis recuperatae MCL, vel ut alii volunt MCLVI., quae tempora, subtilibus rationibus subductis accuratius definit laudatus *Carpzovius*, cui quoque hac in re Cl. *Klotzius* suffragatur. Quae ad iuventutem Saxonis, magistros, institutionem spectant, ea incognita nobis sunt omnia. Credunt quidem nonnulli, Saxonem Parisiis literis operam dedisse, quia seculo duodecimo Cimbri et Dani, literarum addiscendarum causa, Galliam frequentaverint. Quorum in numero nostrum fuisse, dubitat Cl. *Klotzius*. Neque credo, inquit, eo tempore, quo Scholasticorum nugae vigebant ubique, atque etiam Parisiis fervebat disputationum frivolarum ardor, Saxonem idoneum dicendi magistrum in Gallia reperire potuisse. Suis ille ingenii viribus nisus, summum procul dubio fructum retulit ex arcta quam cum antiquis Latii Scriptoribus contraxerat familiaritate. Facile carent indolis felicioris ingenia magistrorum vocibus, et quibus venustatem naturae favor adspiravit, ii statim in consuetudinem elegantiorum hominum se insinuant, illorumque ad similitudinem se componunt. Quem vero magistrum Parisiensem non contemnere poterat Saxo, Liviis cinctus, Virgiliis, Horatiis? Sacrarum vero literarum studium illum fuisse amplexum, inde patet, quod in Episcopatu Lundensi *Capitularis*, (sit venia verbo, licet barbaro, usu tamen satis trito,) et mox Ecclesiae cathedralis Roschildensis *Praepositus* fuit constitutus. Cuius dignitatis testem affert Stephanius codicem antiquum

tiquum bibliothecae Hafnienfis; quo *Ottonis Sperlingii*, viri alias non indocti, nugae, facile refelli poffunt. Quod munus quum gereret Saxo, miffus fuit ab *Abfolone*, Epifcopo Rofchildenfi, a MCLXI. Parifios, ut inde Monachos in Daniam fecum abduceret, qui pravos mores monachorum Efkilfionenfium corrigerent. De anno, quo fit mortuus, diffentunt viri eruditi. Proxime *Klotzio* a veritate abeffe videtur eorum opinio, qui mortuum effe putant fcriptorem noftrum a. MCCVIII. feptuagenario maiorem. Quamquam vero anno MCXX. facro ordini uxorum confortium pontificium edictum eriperet, toto tamen eo Seculo facerdotes, notante *Erico Pontoppidano*, uxores in matrimonium duxerunt. Inde *Huitfeldi* narratio de duobus Saxonis filiis, Petro, Lundenfi Praepofito, et Septimio, Canonico Rofchildenfi, nemini videbitur fufpecta. Finita hac de Saxonis vita domeftica narratione, properat auctor ad ipfam hiftoriam Saxonis Danicam, cuius primum editiones, poft argumentum, recenfet. Confcribendae hiftoriae patriae confilium ceperat Saxo auctore Abfolone, magno illius aevi viro, de quo multa adducuntur. Ifto in opere conficiendo viginti annos confumfit, dignum illud redditurus pofteritatis laude. Mortuo interea Abfolone, infcripfit illud Saxo nomini *Andreae Sunonis*, Abfolonis in munere graviffimo fucefforis. Delituit diu praeftantiffimum opus, tenebris oppreffum. Primus illud edidit *Chriftiernus Petraeus*, ecclefiae Lundenfis Canonicus, qui non fine magnis fumtibus operis codicem fibi paravit. Tradidit ille typis defcribendum exemplar *Jodoco Badio Afcenfio*, cuius opera prodiit demum Saxo Parifiis a. MDXIV. forma chartarum maiore. Titulus, quem editio illa praefert, hic eft: *Danorum regum heroumque hiftoriae, ftilo eleganti a Saxone Grammatico, natione Sialandico, nec non Roskildenfis ecclefiae Praepofito, abhinc fupra trecentos annos confcriptae, et nunc primum litteraria ferie illuftratae, terfiffimeque impreffae.* Plura in fronte operis non leguntur. Extrema vero voluminis pagina haec exhi-

 bet:

bet: *Hactenus Saxo Grammaticus Sialandensis, vir disertissimus. Quae accurata diligentia impressit in inclyta Parrhisiorum Academia Judocus Badius Ascensius Idibus Martiis MDXIV. supputatione Romana.* Praefixae sunt tres epistolae huic editioni. Prima Lagonis, qua ad edendum Saxonem Christiernum hortatur; altera Christierni, qua se lubentem volentemque hoc negotium suscepisse Lagoni nuntiat. Tertia Badii ipsius ad Lagonem. Sequitur tabula, qua reges Daniae regnaverunt serie eosdem exhibens, cui additus est *rerum et nominum praecipue illustrium historiae Danicae index, serie literaria collectus.* Narrationis ipsius argumenta breviter indicata sunt in margine voluminis. Haec editio repetita fuit a. MDXXXIV. Basileae a *Joanne Oporino*, consilio *Joannis Sphyractis*, Basileensis. Tertium in lucem edita fuit Historia Danica Francofurti ad Moenum. Prodiit ibi ex officina Wecheliana a MDLXXVI. hoc sub titulo: *Danica historia, libris XVI. annis abhinc trecentis quinquaginta, summa verborum elegantia, magna sententiarum gravitate, intermixtis aliarum quoque gentium historiis conscripta, auctore Saxone Grammatico, Sialandico — Dano, historico laudatissimo, et, quod ea aetate omnino mirandum, tam verbis, quam rebus politissimo. Cum indice rerum memorabilium locupletissimo.* Praefuit huic editioni *Philippus Lonicerus*, qui tamen nihil aliud egit, quam ut epistolam praefigeret ad Consulem Francofurtanum. Redarguit eius negligentiam *Stephanius*, qui editionem istam innumeris mendis scatere dicit. Tandem omnium vicit diligentiam *Stephanus Johannes Stephanius*, in Academia equestri Sorana eloquentiae et historiae Professor, regii historiographi titulo exornatus. Placet hic ingenuus *Klotzii* animus, qui ab invidiosorum quorundam depravatis moribus adeo abhorret, ut immortaliter de Saxone meritum fuisse Stephanium palam profiteatur. Huius igitur Stephanii cura, sumtus liberaliter praebentibus aliquot regni Danici proceribus, immo ipso rege Christiano IV. non exiguam pecuniae vim offerente, prodiit splen-

dida

dida Saxonis edito, forma maiore, hoc titulo: *Saxonis Grammatici historiae Danicae libri XVI. Stephanus Joannis Stephanius summo studio recognovit, notisque uberioribus illustravit. Sorae, typis et sumptibus Joach. Moltkenii, 1644.* Altera quasi voluminis pars annum sequentem praefert, atque prolegomena notasque continet, quarum iam specimen ediderat Stephanius a MDCXXVII. Lugduni Batavorum. Quam editionem, licet multum *Stephanius* de ea glorietur, scatere dicit Cl. *Klotzius* innumerabili errorum copia; quibus membra orationis distinguuntur signa, tam vitiose posita esse, ut saepe, quid Saxo dicere voluerit, nescias, diuque fatiges animum lectioni intentum. Quo loco admonitus, novae editionis rationem breviter explicat. Apponamus ipsa, quibus utitur, verba. " Operis, inquit, exscribendum tradidi Stephanianum exemplum, a me quam diligentissime correctum. Tot me credo vitia sustulisse, ut eorum numerus iniri nequeat. Praesertim rectius positis distinguendi sermonis signis, implicitum antea, et subobscurum plurimorum locorum sensum, me clariorem et faciliorem reddidisse arbitror. Quoties Stephanius in animadversionibus coniecturas suas commemoravit, eas subiunxi, atque etiam diversas aliarum editionum lectiones, ab eo notatas, addidi. Pluribus vero de lectionum varietate sententiam dicere nolui. Nihil enim mihi aliud propositum fuit, quam luculentam Saxonis editionem adornare, quae copiam faceret omnibus cognoscendae, et toties in illo laudatae a viris doctis, elegantiae et facundiae. Atque maiora praestitit quam quae se praestitisse fatetur, doctissima in Saxonem commentatione, qua in recensenda iam pergimus. Quem modo ob negligentiam aliquam reprehenderat, illius doctrinam defendendam sibi sumit contra Cl. *Gebhardi* iniurias qui animadversiones Stephanianas parum utiles appellat, in historia Danica, haud ita pridem conscripta. Placebit lectoribus copiosum de meritis Stephanii iudicium, quod hic intexuit.

Inter

Inter *Dukeros*, *Barthios*, *Casaubonos*, *Lipsios*, Stephanio locum dare nullus dubitat. Neque tamen omnia ei in Stephanio placent. Vehementer inprimis improbat illam animi imbecillitatem, quae se lubenter credulam praebet, sibique verba dari facile patitur His Saxonis editionibus adiungit cum interpretes illius, tum alios qui illustrandam sibi sumserunt historiam Danicam, aut particulam aliquam magni operis evulgaverunt. Quibus expositis, ipsam illius historiam quam accuratissime examinat, eiusque singulas partes diligentissime considerat. Nec cum iis consentit, qui uno verbo, et oraculo quasi e tripode dicto, fidem Saxonis damnant, ipsumque ad vilem hominum turbam reiiciunt, nec qui nimiis laudibus opus eius ad coelum usque efferunt. Media incedit via, nec liberioris censurae veritate operis minui praestantiam arbitratur. Verissime, fatetur, *Oporinum* de Saxone nostro iudicasse: inter medii temporis historicos haud scio, an quisquam alius, quantum ego iudicare possum, hoc Saxone Grammatico, Danicarum rerum Scriptore, excellat magis; quive cum veterum etiam quolibet, sive dictionis elegantiam spectes, sive rerum consiliorumque ac eventuum varietatem requiras, conferri melius possit. Negat, truncatum hoc opus aliqua parte ad nos pervenisse. Summam totius operis, quam illud continet, enarrat, fontesque indicat, e quibus rerum scientiam hauserit Saxo. Hos ipse Saxo commemorat in praefatione operis. Consuluisse se ait titulos antiquos, saxis ac rupibus inscriptos, poetarum carmina, quibus res magnifice gestas antiqui Dani cecinerunt monimenta Islandorum. Multa denique addit se didicisse ex Absolone, operis huius auctore et fautore prudentissimo. Quos fontes parum candide examinasse dicit *Thorm. Torfaeum*, et, qui eum sequuti sunt, *Holbergium*, et nuperrime *Malletum*, facundum scriptorem. Quam de ipsis fontibus copiosam instituit disquisitionem, eo valet, ut quantum his reprehensionibus tribuendum sit appareat. Dexterrimum hic invenit Saxo causae suae patronum.

Acutis-

Acutiſſime, ut ſolet, Cl. *Klotzius*, Danum noſtrum ab illatis iniuriis vindicat, licet aliquod partium ſtudium in eo animadverti non diſſiteatur. Quo in laudando ne ipſe coeco viri amori ſtudioque partium plus, quam veritati, dediſſe videatur, libere reprehendit, quae reprehenſionem merentur. Improbat totam narrationem, quam de gigantibus Saxo protulit; errorem pio ex animo ortum, quo abreptus dicit, Chriſto nato in univerſo terrarum orbe pacem viguiſſe; fabulas de Cypro inſula; et quae de vi Muſices narrat, qua, credit, mentis ſanitatem ereptam fuiſſe adeo regi Erico, ut ille furore accenſus arma caperet, et quatuor milites interficeret. Huc etiam refert, quae de Wilhelmi ſacrario mire everſo, cinerumque violatoribus punitis, de maris colore mutato, de dracone cuſtode theſauri, narrat, et quae huius generis ſunt alia prodigia.

Multa ſane occurrunt apud Saxonem, quae cum praeter naturae vires acciderunt, tum quorum cauſam longe aliam reddet Philoſophus quam Saxo. Duriſſima tamen, et iniquiſſima eſt *Becani* ſententia, qui hac de cauſa Saxonis hiſtoriam minus habere veritatis dicit, quam Arioſti Orlandum. Mitior eſt et verior *Klotzii* noſtri ſententia, qui ſumma cogitationum facta, ita ſtatuit: in antiquioribus rebus ſecutum eſſe Saxonem non ſatis certos ubique auctores; quo propius ad ſua tempora accedat, eo maiorem auctoritatem illius eſſe; quae de ſua aetate dicat, ea fide et laude ſumma digna eſſe, potiſſimum ideo, quia multa ab Abſolone accepit, quae aliorum ſcientiam fugerant. Ipſarum quoque fabularum iſtarum, quas malevoli tantopere reprehendunt, uſum non exiguum eſſe, una cum *Sheringhamio*, arbitratur. Utinam exſtarent in Germania illa carmina, quae collegiſſe dicunt Carolum Magnum! Ultimo tandem loco diſſerit Cl. Auctor de ſcribendi genere, quo uſus eſt Saxo. Certatim quaſi laudatum fuit illud ab omnibus, qui recte de Latini ſermonis elegantia iudicarent; aut, ut fit, ſibi ipſi non male iudi-

care viderentur, quodque ab aliis acceperant id repeterent. Nota satis sunt *Erasmi*, *Ludovici Vives*, *Caspar Barthii*, *Conringii*, *Vossii*, aliorum, praeclara de dictione Saxonos iudicia. Fusius vero auctor noster Saxonis Lanitatem examinat. Accepit ille e *Martiano Capella* verba quaedam, atque a *Valerio Maximo* formulas interdum quasdam, quae maculae pulchrum corpus deformant. In carminibus tamen religiosius sermonis puritatem observavit, quam in sermone soluto. Contraxit eius oratio sordes quasdam eorum, quibus linguae latinae nitor obscuratus fuit, temporum. Huc pertinet verborum inter se coniungendorum ratio, exemplis bonorum scriptorum contraria, certe aliena ab optima aetate. Coniunxit etiam Saxo adverbia et praepositiones sic, ut, mentiatur licet haec coniunctio veterum exemplum, plane tamen ab ea abhorreat. Prae reliquis huc referendae sunt formulae quaedam dicendi, e quibus intelligitur, quantum obfuerit optimo ingenio pravae aetatis contagio Quae quidem omnia allatis exemplis illustrantur. Juvabit multos Romanae dictionis amatores, hanc quoque commentationis particulam attento animo perlegisse. Non enim trita iam, aut quae se sponte ubique offerunt, hic invenient, verum eas animadversiones, quae, auctorem non degustasse leviter literarum scientiam, sed plenis epotasse haustibus, luculentissimo documento comprobant. Dicavit auctor splendidissimam hanc Saxonis editionem Serenissimo Danorum regi, a quo, dignum meritis, retulit praemium. Donavit ei rex Serenissimus numum aureum, cui maius pretium addunt regii, quos exhibet ille, vultus, quam ponderis gravitas. Prima numi pars regiam ostendit faciem, his interclusam verbis: *Christianus VII. D. G. Dan. Norv. V. G. Rex*; altera vero duplicem coronam duobus cornubus, Amaltheis distinctam, honorificentissima hac cum inscriptione: *Pro Meritis MDCCLXXI.* in ima parte artificis legitur nomen *Adzer*. Quae dum scribimus, virique ingenium feracissimum miramur, heus! tristissimus advenit nuntius. Horret

animus

animus inopinatam referre calamitatem, quae eripuit Germaniae, quo iure ea ſuperbiebat, ornamentum. Occubuit ante diem, Graecarum pariter ac Romanarum litterarum omnisque antiquitatis ſtator atque vindex acerrimus. Trigeſimum tertium aetatis annum vix egreſſus ultimo huius anni die, (cuius memoria luctuoſiſſima apud poſteros futura eſt,) ſatur conviva rebus mortalibus exceſſit. Satis quidem literis et gloriae vixit, non ſatis ſibi. Non omnis mortuus eſt, multaque pars ipſius vitabit Libitinam. Proxime memoriam Klotzianam inſeremus.

DE FUTURORUM ET PRAESENTIUM Hiſtoria: Auctore CAR. ANDR. BELIO, P. P. O. Poeſ. in Acad. Lipſienſi.

Etſi omnium artium et diſciplinarum natura, ambitus, fines, leges denique, quibus regendae ſunt, ſi quidem certa ex illis et perpetua utilitas haurienda ſit, partim a docta et ſapiente vetuſtate; partim inde a renatis litteris ab eruditiſſimis atque ingenioſiſſimis viris, quorum praeceptis et ſcriptis denuo illuſtrata eſt Europa, ita conſtituta ſunt, et quaſi fixa, ut nihil paene addi iam poſſe videatur: redeunt tamen ſaepe nimis ea tempora, in quibus de ſingulis generis huius quaeſtionibus, non ſecus ac ſi nunquam dictum fuiſſet, iterum praecipiendum eſt. Eſt hoc a diverſis viis, quas in eruendo vero atque pulchro ingenium humanum ſequitur, ſine omni dubio repetendum. Alii enim, ubi perfecta artium et librorum exemplaria ſibi propoſita cernunt, quae difficulter aequare, nedum ſuperare ſibi liceat, ſpeciem aliquam magnitudinis aut pulchritudinis comminiſcuntur, quae in quibusdam doctrinae et ſcriptionis partibus valere poſſit; in iis autem, quibus ipſi attribuere ſtudent, alieno loco poſita intelligitur. Hunc in modum *Seneca*, Philoſophus, eloquentiam romanam, in qua vix erat ulterius progrediendi

grediendi locus, *dulcibus vitiis*, ut appellat *Quinctilianus*, locupletavit, atque adeo mutavit, *rerumque pondera minutissimis sententiis*, sed quae parum acutis vehementer placere possint, *frangere* instituit. Rursus alii, minora iam atque angustiora ingenia, cum eas cernunt artium formas unice coli et amari, quae cum praestantiore mentis acie, singularem quandam contentionem, lectionem, assiduitatem non interruptam, neque inveniendi tantum ornandique peritiam, sed maxime deligendi iudicandique solertiam desiderent, omissis summis his dotibus, in tenuissimis rudimentis et exercitationibus subsistunt, eaque levitate cum nonnullo lepore sectanda, fastigium se artis conscendisse existimant. Et conscenderunt omnino; sed ut isti nostri circumforanei, in quibus populus studio stupidus animum occupat. Ita poeseos divinus spiritus, a permultis, hac ipsa aetate, ad canoras fabellas, ludendique artificia, detrusus est. Neque aliter fere cum Philosophia agi coepit, quae, postquam magnorum virorum adiuta acumine, admirandos inter homines progressus fecit, sensim ad compendiorum, ut vocant, vilitatem delapsa est iamque indignis locis, (apud adolescentes nimirum, facie magis, quam facetiis ridiculos,) et sordidam induta vestem, habitat, cum dominandum ei in omnes scientiae ditiones esset.

Sed maxime historicam artem ea fata presserunt, ut ab imperitis dubitari possit, sintne umquam probabiles illius regulae editae, aut exempla egregia ad posteritatem transmissa. Nam primum cum Romani imperii, litterarumque romanarum honore, ea fere omnis conciderat. Non iam vera et fide digna narrabantur, sed incredibilium rerum immensa seges; non ea, quae comperta esse poterant scriptoribus, sed omnis omnium Saeculorum, a mundo condito, historia; non eximia hominum acta, et semper memoranda, sed quae aeterna oblivione tegi praestabat; nec simplici oratione, pura, et candida, sed turgentibus verbis, et barba-

ra:

ra obſcuraque declamatione. Reſtituta bonarum litterarum auctoritate, cum vix inventi eſſent pauci quidam, qui feliciter Thucydidis, Polybii, Livii, et Taciti artem praeclaram, ſcriptis exprimerent, ut *Sleidanus* noſter, ut *Thuanus*, et his quodammodo ſimiles; ortum eſt ſubito genus hiſtoricorum, quod compilando, locis auctorum innumeris excitandis, conquirendis rebus minutiſſimis, et annotationum ſilva exſtruenda, ad immortalitatem conſequendam male diligens graſſaretur. Hanc operoſam induſtriam, parum ingenii referentem, cum, aliis gentibus, inprimisque Germanis noſtris, non prorſus iniuria, obieciſſent Francogalli, ipſi quidem, quod ſibi ſoli pulchri et nitidi viderentur, hiſtoriae ſcribendae rationem elegantiorem; ſed multo illam alieniorem a veritate, protulerunt, calamiſtris et fuco, et neſcio quibus orationis pigmentis placituram, neque abſtinentem omnino a fictionum audacia, et imaginibus ac comparationibus vel ingenioſis, vel plane ad riſum movendum aptis. Haec lues, cui etiam ἀνέκδοτα, nullo auctore propoſita, neque umquam edenda, debemus, nata eſt potiſſimum cum *Varillao*, illo tot ſermonum et geſtorum inventore *); ſed in gratiſſimam deinde ſpeciem mutata eſt a multis in eadem gente ſcriptoribus. Sic illi, cum hiſtoriam contaminarent, noſtri eandem verius quidem et ſeverius expoſuere; ſed intra methodum et fines parum decoros coarctatam. Plena omnia compendiorum; hiſtoria ſciſſa in innumeras particulas, et perpetuam, qua continetur, connexionem, et dignitatem ſimul ſuam amiſiſſe viſa, in elementis adumbrandis et recoquendis occupati, qui non modo ultra ea ſapiebant, ſed etiam ſplendidis operibus, ad hiſtoriae legem efformandis,

 memoriae

*) Infauſtae artis primum fere ſpecimen, in Opere, cui titulum *Anecdotes de Florence* fecit, edidiſſe videtur. Aemulum eius, ſed aliquanto moderatiorem, dicere poſſis *Maimburgium*.

memoriae rerum gestarum, et prudentiae incrementis, et honori patriae, et vero etiam suo, consulere potuissent. Alii, qui sibi non minus historici viderentur quam ceteri, vitam illustris viri aut feminae multis voluminibus complexi sunt, a magnis et fama dignissimis rebus, ad provinciae, aut urbeculae ignobilis historiam descenderunt; aut de quibus viri graves et docti, in maioribus libris, breviter et luculenter disseruerant, ea argumenta dissertatiunculis quibusdam suis, non clariora reddiderunt, sed fastidiosa. Denique, receptis in historiam pravis Gallorum argutiis et coloribus, pusillum a nonnullis reputari coepit, proferre res quemadmodum gestae sunt, et parce de illis iudicare. Itaque iam hoc inter praecipuas historici virtutes numerant, a fidissimis rerum scriptoribus dissentire, non testes curare, sed suam de modo, quo res gerendae erant, vel gestae sunt, sententiam, omniaque libidini et temeritati suae, in proferendis iudiciis, permittere; neque, ubi erat pyrrhonismo historico opus, ut in antiquissima populorum atque perpetua traditione, dubitare, sed audacter potius, et, quo quisque est ingeniosior, hoc decernere imperiosius. Tale quid nuper, Lecho ex historia Polona eliminando, ausus est *Schlözerus*, Vir cetera doctissimus; de qua tamen re, alio loco, atque uberius dicere constitui, traditionis in historia auctoritatem investigaturus.

Tandem igitur eo perventum est, ut artis historicae praecepta, quasi adhuc nulla fuerint, exponi inculcarique vel ipsis litterarum studiosis, et historiae, quod ipsi putant, gnaris, debeant. In quibus illud non postremum est, inprimisque neglectum historiam, quae non e fontibus limpidissimis ducatur, sed rivulorum e subsidiis quibusdam et sequioris aetatis collectionibus, omni fide carere. Hoc si sequaris, minime abhorrere licet vel a rusticitate quadam, vel ab inepta et credula garrulitate eorum scriptorum qui principes auctores rerum medio aevo Christiano gestarum censentur;

censentur; quamquam sint et inter hos, pro captu illorum temporum, viri diserti et accurati, in quibus nisi alia, veritatis certe studium, quantum pro superstitione Saeculi esse poterat, imitandum fuerit. Ex eo genere clarissimus scriptor, *Otto Frisingensis*, alia omnia mihi nuper quaerenti, suggessit consilium quaestionis hoc tempore agitandae: *sitne aliqua futurorum et praesentium historia?*

Multa in *Ottone* decora generis, vitae, ac studiorum fuerunt, quibus Saeculum XII. nobilitatum est, cuius anno LVIII. diem suum obiit. Neque placet in hunc locum referre, quae post *Radevicum* *), Canonicum Frisingensem, *Urstisius*, cui probandam Ottonis editionem debemus **), *Gerh. Jo. Vossius* ***), et *Jo. Alb. Fabricius* ****), de eo memoriae prodiderunt. Sed ab hoc Ottone profectum est Chronicon, cum vulgaribus ex hoc genere compilationibus minime comparandum. Nam ab O. C. ad A. Saeculi sui XLVI. res in orbe gestas ita persequitur, ut incorrupta veritate, praesertim in temporum suorum historia, iudicio non infirmo, et orationis puritate, longe ante plerosque eius aetatis chronographos emineat. Illud autem prorsus singulare est, quod cum Libris VII. prioribus acta Orbis praecipua narrasset, et ea quoque, quibus ipse interfuerat, postremo demum Libro, seu VIII. ultima humani generis fata, adventum Antichristi, resurrectionem mortuorum, iudicium extremum,

*) *Radevicus* Contin. Otton. Frising. L. II. c. XI. p. 296. ed. Basil. 1569.

**) *Urstisius* in vita Ottonis Tom. I. Scr. rer. Germ. praefixa.

***) *Vossius* de histor. latin. L. II c. LIII.

****) *Fabricius* Bibl. lat. med. et inf. aet L. XIV. Vol. V. p. 551. sq.

extremum, coeleſtisque pariter curiae et poenarum inferni aeternas viciſſitudines, referat. Nec ſatis habet ea tradere, ſed quaeſtiones addit, ingenii oſtentandi cauſa, non illepidas: v. c qua aetate, quo ſexu vel forma reſurgant mortui? an monſtruoſi et abortivi reſurrecturi ſint? de noviſſima tuba; quomodo ignis in inferno ardeat et non luceat? et his ſimilia plura.

Apparet, virum bonum, vel Saeculo ſuo, vel muneri eccleſiaſtico, quod gerebat, hoc tribuiſſe, ut hiſtoriam in theologicas de rebus futuris diſputationes deſinere iuberet. Ac ipſe quidem operam dedit, ut hoc lectoribus excuſaret, a quibus obiici ſibi poſſet, *quaſi tot alternantium malorum hiſtoricis narrationibus*, verba eius profero*), *tam ardua et arcana ſcripturarum documenta non digne commiſceamus*. Sed defenſionem, cum e ſolis libris divinis petat, qui et ipſi mortalium rebus myſteria et ſecreta Dei adiunxerint, nemini hoc tempore ſatisfecerit. Non poenitet hoc loco obſervaſſe, hiſtoriam, cum Saeculis illis obſcuris, ac propemodum barbaris, cum reliqua doctrina liberali, in poteſtate Theologorum univerſa fuerit, multa ab horum ſcientia et vitae genere contraxiſſe, quae ab illius natura paullo alieniora eſſent. Quod ſi caveri nullo modo poſſet, cum a Theologis occupatur hiſtoria, ſtatuendum videretur cum *Jo. Davide Koelero*, doctiſſimo viro, ſed aſperioris iudicii, prorſus illos ab hac arcendos eſſe. Sed illud potius diligenter curandum eſt, ut hiſtoricae et theologicae ſcientiae fines iuſtis terminis ſecernant.

Ne fruſtra hoc ſcripſiſſe videar, meminerint Lectores, fuiſſe ſuperiore aetate, et hac noſtra ſupereſſe quampluri-mos, qui futurorum quandam hiſtoriam, certiſſimo, ut opinantur, teſte nixam, proderent. Huius cognoſcendae cauſa, a divino Apoſtolo litteris mandatam volunt revelationem,

*) *Otto Friſing.* in Prologo L. VIII. pag. 156.

nem, ſeu apocalypſin, pertingentem illam per omnes humani Chriſtianique inprimis generis aetates, ad vitae uſque olim ſperandae initia. Haec illi ſe ſingula luce meridiana clarius cernere autumant, regnaque in terris coeleſtia, mutationes gentium et imperiorum graviſſimas, aliaque his adfinia, non modo certo tempore eventura confirmant; ſed de iis, quaſi ſe ſpectantibus iam contigerint, ore et libris referunt, ridentque, imo iraſcuntur etiam, ſi quis haec ſuavia ſomnia faſtidierit. Verum hos, cum lubrica interpretandi, aut potius coniectandi via incedant, nec ſatis digni ſint ſeveritate ac ſimplicitate generoſa hiſtoriae, cum hiſtoria ſua futurorum, qua ſe ſuosque ſaepenumero iam fefellerunt, mittamus.

Eſt tamen omnino futurorum hiſtoria, etſi praeterita ſola conſectari ars acutiſſima videatur. Nam in hiſtoricae prudentiae dotibus, haec ſine dubio ſumma eſt, proſpicere tamquam e ſpecula quae olim eventura ſunt, et non vanis coniecturis, quae aliquando, forte poſt Saecula, accident, animo praecipere. Nimirum, humanorum animorum notitia, comparatio rerum, diverſis Saeculis et varias inter gentes geſtarum, et eodem quidem conſilio, iisdem fere ſubſidiis, eodem denique eventu; ac praeter haec omnia etiam ingenia populorum, religionis ſtatus, et litterarum incrementa, quae quiden ante oculos poſita ſint: haec igitur longius progredi faciunt mentem humanam in perſpiciendis, ex veriſimilium lege, etiam iis, quae aliquando orbem terrarum mutatura ſunt. Moriens quidem *Dido*, cum inter extremas voces et hanc effudiſſet,

Exoriare aliquis noſtris ex oſſibus ultor,

poetae duntaxat ſervire iuſſa eſt; verum illius acta et caſus, ſi tam ad fidem hiſtoriae deſcripta eſſent, quam poeticis efficta et exornata ſunt artibus, futurae hiſtoriae veſtigia vox illa nullo negotio aſſecuta eſſet. In hac enim conditorum utriusque urbis, Romanae et Carthaginienſis, graviſſima

L offen-

offenſione, coniuncta cum ſignificatione contumeliae et ingrati animi, mutua inter utrumque populum bella, ad internecionem usque gerenda, expectari facile poterant, propagatis tam inſignibus odiis ad ultimos nepotes.

Sed minus quaerendum eſt, quid fieri potuerit, atque intelligi, quam quantum in futuris intellexerint viri ſapientes, et hiſtoricae doctrinae conſulti. Huius rei non pauca exempla, ex omni aetate, ſervata ſunt: clariſſimum autem fere *Joſephus*, eximius gentis Judaicae hiſtoricus, praebuit. Qui cum belli iure in Veſpaſiani poteſtatem perveniſſet, qui tum imperator legionum romanarum Judaeos debellabat, futurum illi praedixit, ut intra breve tempus, et ipſe, et poſt eum Titus filius, imperio potirentur in univerſum orbem romanum *). Tenebat hoc eo tempore Nero, nec credibile videbatur, delatum illud iri ad familiam Flaviam, neque nobilitate inſignem, neque opibus et potentia, omnium minime ad Veſpaſianum, longo terrarum intervallo Roma disiunctum. Sed viri prudentes facile colligebant, eſſe illum inter pauciſſimos, quibus populus exercitusque Romani, tot iam peſſimorum Principum taedio capti, ſalutem et omnia ſua committere tuto poſſint. Itaque, etſi Neronem conſecuti ſunt Galba, Otto, Vitellius; tamen iſta Caeſarum turba, non multis menſibus, vagata potius in imperio, quam ſtabiles adepta ſedes, locum brevi poſt capeſſendae dignitatis Veſpaſiano, et maiori patre filio, aperuit. Atque ego quidem non ſum neſcius, Joſephum videri voluiſſe hanc futurorum notitiam ab ipſo Deo accepiſſe, cuius ipſe tantum interpretem et nuncium ad Veſpaſianum egerit. Nec deſunt, qui, in reliqua viri laudatiſſima fide atque dexteritate hoc etiam loco exiſtiment, eum mendacii atque fraudis non ſine iniuria

*) *Joſephus* de bello Jud. III. 3. Eadem habent Scriptt. Romanor. *Suetonius* Veſpaſ c. 5. *Dio Caſſius* Exc. Xiphil. LXVI. 1.

iniuria accusari posse. Ac profecto grave est, nec ferendum, eos omnes Scriptores, qui humanis quaedam maiora et divinae ad homines voluntatis exstantiora indicia, referunt, tamquam suspecta et superstitiosa tradentes abiicere; etsi in reliqua operis parte dubitari non possit, eos vera et explorata litteris consignasse. Sed tamen huic quoque Saeculo dandum est nonnihil hactenus, ut si male credulum neget, homini Judaeo divinam super successione Caesarum Romanorum revelationem contigisse, et quam iactaverit, ceteris fabulosis gentis eius somniis adscribendum putet: supersit via probabilis, quam ille ad cognoscendas instantes has vices ingredi potuerit. Alterutrum eligent, quicumque firmo gaudent in historia inspicienda iudicio.

Sit autem hoc vel maxime cum aliis documentum quoddam eius perspicaciae, quam historiae periti in futuris rebus cernendis obtinere queant: hinc tamen quaestio nascitur, utrum hae tales eorum coniecturae, veri licet simillimae, et maxime cum factis quae narrantur coniunctae, locum in Operibus eorum iure quodam suo exposcant? Mihi quidem aut rarius eum desiderare videntur, aut omnino numquam. Nam cum anteacti temporis res complectatur historia, harum causas atque origines, connexionem, et secutas inde per orbem vicissitudines, investiget, satisfecisse muneri suo tum videtur, cum ea ad aetatem Scriptori proximam deduxerit. Sagacitatis autem illud genus ostentare, ut quae aliquando iisdem ex rebus oritura sint fata hominum et populorum, retegantur curiosius, non iam historici est, sed eius, qui experimenta facere velit prudentiae, legenda historia et contemplanda comparatae. Fuerint forte occasiones nonnullae, per quarum opportunitatem proponi historica haec, si ita fas est dicere, vaticinia possint: sed caute deligendae, nec nisi aptissimis quaerendae historiarum locis, ut brevibus verbis significentur illa potius, quam exponantur. Nam praeter ea, quae de natura historiae dicta sunt,

 veren-

verendum eſt, ne conceſſa eiusmodi venia nimis cito abutantur ii, qui cum ad hiſtoriam non multorum annorum diligentiam, doctrinam, et intelligendi iudicandique firmitatem adferant, tamen in ea regnare, decretoriis ſententiis ferendis, et coniectandi licentia, iam etiam ad futura pertingente, audeant. Quod his temporibus magis, quam olim, cavendum eſt, quibus Hiſtoria multis ſcientia eſt earum rerum, quas ipſi veras eſſe cupiant, non didicerint, et quae in ſumma levitate ingenii luxuriantis gignitur.

Neque illud praetereundum eſt, vel maxime probabilem futurorum eventuum providentiam, quae veriſſima analogia nitatur, et conſiliorum inter ſe legibus conſpirantium ſimilitudine, tamen fallacem eſſe poſſe. Adeo verum eſt illud *Horatii* *):

Prudens futuri temporis exitum
Caliginoſa nocte premit Deus,
Ridetque, ſi mortalis ultra
Fas trepidet; —

qui locus expreſſus eſt ex illo *Theognidis* **):

Πρήγματος ἀπρήκτυ χαλεπώτατόν ἐςι τελευτὴν
Γνῶναι, ὅπως μέλλει τῦτο θεὸς τελέσαι.
Ὄρφνη γὰρ τέταται. —

Nimirum cum ſtabili omnia tramite et ordine fieri tibi perſuadeas, nec fortuitos caſus, animorumque humanorum mutationes, triſtes principum iras, et fluxas amicitias, in rationes referre poſſis, ea prodeunt in mortalium rebus, quae nulla arte, non dicam praevideri, ſed ne cogitari quidem ante potuerant. Nihil aliquando potentius erat imperio Romano,

*) *Odar.* III. 29, 29. ſq.

**) *Sent. Elegiac.* v. 1073. ſq.

mano, firmato per tot Saecula, victore omnium gentium, et quibusvis hostibus, semper ut videbatur sustinendis pari. Tamen idem, paucis post florentissimam Augusti aetatem Saeculis, barbararum gentium impetus adeo non tulit ut his meliori sua parte succumberet. Rursus Hispanici imperii ea gloria, is metus per Europam fuit Carolo V. regnante, ut principatum inter Christianos, quem obtinebat, quam diutissime videretur conservaturum esse. Eodem tamen Saeculo amissus est, cum filius gentem libertatis studiosissimam incaute adoriretur. Maneat igitur futurorum historia cogitatione potius, et animo conclusa, quam litterarum monumentis imbecilli coniecturae stylo imprimenda. Permitti etiam Poetis potest, qui, cum vates non immerito dicantur, praesagam instantium fatorum mentem non raro carminibus expresserunt, ut *Horatius* loco pulcherrimo *):

Barbarus, heu! cineres insistit victor, et urbem
Eques sonante verberabit ungula:
Quaeque carent ventis et solibus ossa Quirini,
(Nefas videre,) dissipabit insolens.

Et loco non minus claro *Seneca* **):

— Venient annis
Secula seris, quibus Oceanus
Vincula rerum laxet, et ingens
Pateat tellus, Tiphysque novos
Detegat orbes; nec sit terris
Ultima Thule.

Itaque ille, si placet, Romam a Gothis captam spoliatamque, hic noui orbis repertorem Columbum, ante oculos ha-

L 3 buerit:

*) *Epod. Od.* XVI. v. 11. sq.
**) *Medea* v. 379. sq.

buerit: historia timidior, neque fidem habens, aut haberi postulans, nisi iis, quae ipsa viderit atque cognoverit, non nescia quidem falli, sed tamen tutissima ingreditur.

Tanto igitur libentius et securius, cum futura ipsi negata sint, in praesentibus subsistet? Ne hoc quidem. Neque praesentium historia, hoc est eorum, quae nobis inspectantibus gesta sunt, et quorum, ut ille aiebat, ipsi pars magna fuimus, ita certa est et expers dubitationis, quam vulgo putant. Satis scio, hanc historiae partem plerumque omnium verissimam existimari: hinc coaevorum rebus ipsis in historicis Scriptorum testimonia longe anteponi iis, qui aliquanto post vixerunt; denique optari a multis, ut commentarii de rebus gestis tum edantur, cum maxime fervent, et cognosci ab omnibus possunt. Sed minuendas esse has historiae praesentium laudes, non levibus ductus causis existimo.

Illud quidem ultro largior, cuique, Saeculi et temporis sui acta, quam optime perspecta esse; hinc illa plerisque placens opinio, nihil minus difficultatis habere, quam narrationem de rebus iis, quas vivendo Scriptor attigerit. Sed primum, ne illud memorem, etiam talibus in rebus saepe inter se discrepare relationes, multa traditionibus rumoribusque tribui, fierique facile posse, ut ei, qui patriae fines numquam reliquit, non spectato aliquo muneris gradu consistit, longiusque a splendida principum virorum vita abest, ut huic, inquam, permulta ex iis, quae se superstite et procul intuente gesta sunt, non satis tamen comperta sint, multisque partibus obscura maneant: hoc igitur ut mittam, quamvis in se magnum, post rerum gestarum fidem, multo maiorem historiae curam, causae factorum, et arcani fontes, ex quibus manarunt, desiderant. Scire enim, et in litteras referre, quae acciderunt, memoriae est, et infimi laboris; causas autem noscere iudicii munus, et sapientiae augendae comparatum. Jam ista in causis rimandis diligentia, non raro per tenebras, certe in dubia luce errat, etiamsi eos, in quibus

quibus illae quaerendae sunt, perpetuo ante oculos habeat. Constat enim, vera hominum consilia, motusque animorum, ea praesertim, quae ad res magnas gerendas impellant, ita plerumque dissimulari, ut alia omnia intelligant ii, qui externam quamvis speciem, proni ad credendum, arripiunt. Legibus, foederibus, amicitiae demonstrationibus, reipublicae administrandae modo, bellis gerendis, iisque omnibus quae vitam humanam quodammodo illustrant, honestissimae optimaeque causae praetexuntur; ut nihil horum sine boni communis studio susceptum, nihil virtute, inprimisque amore generis humani, vacuum videatur. Mox ubi extrema hominum clarorum dies disiecit nebulam illam, qua velati incesserant, apparent dirae facies, ut est apud Poetam, hoc est, callidiora et noxia consilia, machinationes tectae, et adhuc vix coniectura adsequendae, multa propriae utilitati, familiae, amicis tributa, mandata, colloquia, rerum gerendarum subsidia, et quis apparatum illum omnem recenseat, qui facta hominum vel praecedit, vel comitatur, neque tamen ut ipsa in conspectum publicum prodit? Norunt historiae periti, quantum ex litteris principum et illustrium virorum, ex legatorum relationibus, aliisque post fata auctorum editis monumentis, ad causas rerum gestarum intelligendas, postera aetas decerpserit. Illud inprimis, quod in omni historia observasse prodest levissimis minimisque de causis gravissimas in orbe mutationes nasci, in praesentibus rebus raro animadvertimus, sed in anteactis ostendit tandem *aetas*, quae, quidquid sub terra est, in apricum proferre vere dicitur. Ingentem illam conversionem, quam feminae nobilissimae cum *Anna*, M. Brit. regina disceptatio intempestiva, rebus Europae paene universis, sub huius Saeculi initia attulit, qua factum est, ut servaretur Gallia, foederati Angliae desererentur, haec autem a se ipsa paene deficeret, et contraria saluti suae placita adoptaret: hanc igitur conversionem, quam pauci eo tempore cognitam habuere, nostro quis est qui ignoret? Haec ipsa belli, quo vix defuncta est Europa, histo-

ria,

ria, plures aliquando caussas, et vix privatae irae sufficientes, nunc autem obscuriores, referet, quibus exasperatum, variisque amplificatum est vicissitudinibus, ut adeo, res actas a paucissimis accurate cognosci, fatendum sit.

Sed cum his coniunctum est alterum, quod praesentium rerum historiam describi prohibet. Fieri enim vix potest, ut illius scriptor, singularibus studiis suis in eos, quibuscum vivit, nil omnino obsequatur, nec quidquam vel amori, venerationi, et grato animo, vel metui aut odio concedat. *Raram temporum felicitatem* iam *Tacitus* dixit, *ubi sentire quae velis, et quae sentias dicere liceat.* Verum haec libertas si abfuerit, adulandi indignum officium exsequetur, non veritatis, quae est temporis filia, ministra erit historia. Sin ea gaudeas, facilior erit ad alia peccata lapsus. Sunt enim quae ipsi passi sumus; sunt quae patriae nostrae laeta aut tristia evenerunt; adsunt caussae, propter quas nobis ille in sinu fovendus est, hic horrorem membris incutit: quae omnia quantum sincerae historiae obsint, non opus est ut quemquam admoneam. *In recentibus his odiis*, ut eiusdem Taciti verbis utar, in hoc admirandi aestu, quo ad heroas et praeclaros nostri aevi viros colendos rapimur, adeo a scribenda historia abstinendum est, ut etiam caveri putem oportere, ne inflammatis animis ima summis miscere liceat, et audacter fallere posteros. Ne iam illud commemorem, quod exemplis confirmari satis potest, sibi suisque pericula non contemnenda eos consciviſſe, qui de rebus sua memoria gestis fideliter ac libere traderent. Scripsere inter alia de iis, a quibus deinceps proscripti sunt. Plerisque igitur, qui hanc scribendi materiam recentissimam sumunt, idem accidit, quod de antiquis quibusdam historicis *Herodianus* *) iudicat: εἰσὶ δ' οἳ πρὸς ἔχθραν ἢ μῖσος τυράννων, κολακείαν τε ἢ τιμὴν βασιλέων, πόλεώς τε καὶ ἰδιωτῶν, εὐτελῆ καὶ μικρὰ ἔργα, λόγων

*) *Historiar.* Lib I, cap 1.

λόγων ἀρετῇ, δόξῃ παρέδωκαν τῆς ἀληθείας μείζονι. Haec incommoda et delicta vix aliter effugerit historiae novissimae scriptor, quam ieiuna narrationum diversarum compilatione, quas relationes illae quotidianae de rebus novis offerunt. Hoc autem ipso, de dignitate historici deiectus, locum duntaxat inter laboriosos collectores, aut plumbeos descriptores, tuebitur.

Denique idem suadet historiae nostris oculis usurpatae natura et ambitus. Hunc profecto non capiunt, qui illum sua tantum aetate definiunt, plenam ita et perfectam adumbrationem rerum gestarum annis non multis se complexuros sperantes. Neque enim ea solum, quae non interrupta serie, et continuato quodam nexu gesta sunt, inter se conspirant, unamque quasi scenam conficiunt; sed plurima etiam ex iis huc referenda sunt, quae maiori temporis intervallo seiuncta, tamen ex iisdem caussis et vicibus derivari possunt. Hos rerum eventus, et ad rempublicam, ad religionem, ad litteras fructus, qui se tardius saepe, et nepotibus demum spectandos exserunt, nisi historiae studiosus intueatur diligentius, *disiectae membra historiae*, et ieiunas particulas tenebit, non succo abundans corpusculum. Ex quo rursus intelligitur, recentis memoriae historiam vix accurate et perfecte tradi posse, sed doctae esse posteritati relinquendam.

At ista ratione sectanda, dixerint forte nonnulli, firmissimis subsidiis, et praecipuo fidei robore, historiam privari cum ab ea aequalium tempore scriptorum relationes arceantur. Facile quidem huic incommodo viri candidi et sapientes medebuntur. Nam ut praeteream, non omnem praesentis historiae in commentarios colligendae assiduitatem reprehendi, multaque referri in litteras posse, quae sine cuiusquam odio aut invidia dici queant; duplex superest via, qua de nostrae quoque aetatis historia bene mereri liceat. Altera, ut eam fideliter descriptam, sed post fata demum nostra publicandam, servemus; cuius instituti exemplum pulcherrimum,

M

de magia inter Iſraelitas repetuntur ex eorum commoratione in Aſſyria, Chaldaea, et Aegypto.

Pepulit religio Chriſtiana e mentibus ipſius ſectatorum omnem de magia ſuperſtitionem, quam poſtea haeretici Gnoſtici iterum docuere. His perverſis opinionibus oppoſuere ſeſe Imperatores Chriſtiani, et Concilia. Antiquiſſimum, in quo magiae fit mentio, concilium eſt Eliberitanum, in Hiſpania ſeculi IV. anno 5. habitum. Canon VI et LXII. huc pertinent. In illo occurrit nomen maleficii, quod quidam immutare in veneficium conati ſunt. Alterum tamen alteri, monente auctore noſtro, in legibus ut ſynonymum ſubſtituitur. Ceterum verbum maleficii ſumtum eſt ex Exod. VII. 11. verſionis vulgatae. Extant adhuc in Codice, Conſtantini, Conſtantii, Valentiniani, Valentis, Gratiani, aliorum contra maleficia leges. Inſequentibus temporibus occurrunt multa concilia, veluti Laodicenum a. 363. Ancyranum &c. quorum canones omnem magiam declarant pro falſa opinione et errore paganorum. Quid? quod eum, qui tales praeſtigias veras putet, fidem adeo perdidiſſe perhibent. Seculo V. Chryſoſtomus, Philaſtrius &c. ſcriptis et orationibus magiam oppugnavere. Extant multae leges contra praeſtigiatores, Seculo VI. et VII. factae. In primis huc referenda eſt lex Rotharis, regis Longobardici, quae vetat, quemquam interfici magiae reum, hac addita cauſa, quoniam talia et per ſe fieri nequeant, nec credi ab hominibus Chriſtianis debeant. Eodem modo Jo. Damaſcenus Operum Tom. I. p. 471. pugnat adverſus tales ſtultas opiniones, easque haereticas, et Chriſtiana religione indignas pronunciat. *Quid ſunt*, inquit Bonifacius, *opera diaboli? Haec ſunt: Idololatria, veneficia, incantationes et ſortilegos exquirere, ſtrigas et fictos lupos credere. Qui talia faciunt, digni ſunt morte, et regnum Dei non conſequentur.* Atque omnino omnes veteris eccleſiae patres ignorant pactum magorum cum malo quodam genio initum. Carolus M. peculiaribus legibus praeſti-

praestigiatores sacerdotibus erudiendos tradi iussit. Agobardi, qui vixit Seculo IX. libellus de grandine et tonitru totus est adversus superstitiosam de potestate diaboli et praestigiatorum in tonitrua opinionem directus. *Tanta*, inquit aliquo loco, *iam stultitia oppressit miserum mundum, ut nunc sic absurdae res credantur a Christianis, quales nunquam antea ad credendum poterat quisquam suadere paganis, creatorem omnium ignorantibus.* Parum tamen profecit bonus ille Agobardus, libello suo adversus communem sui temporis superstitionem. Etenim brevi post Hincmarus suscepit magiae patrocinium, quemadmodum idem primus fuit, qui iudicia Dei per aquam hominibus suae aetatis commendaret, tanquam optimum veritatis scutum; quanquam ei multi, veluti Rhabanus, in hac re contradixerint. Latius in dies serpsit hoc malum. Nam Seculo X. sagae iam comburi coeperunt, frustra viris quibusdam eruditis contra nitentibus. Seculo XII. Colomanus, rex Hungariae decreto vetuit, ne in sagas inquireretur, quoniam nullae essent. Seculo XIII. coeperunt homines furialibus superstitionis stimulis acti, eo usque progredi, ut diabolum adeo ipsum in subsidium rerum magicarum advocarent, credentes, sagas ope mali genii tam mirabilia patrare. Primum exemplum pacti formalis, initi inter sagam et diabolum, narratum legimus a Caesario Heisterbacensi, quem deinde Vincentius Bellovacensis, et alii, sequuti sunt. Adeo tamen illo tempore homines metuebant Judaeos, ut ne ipsi quidem eruditi, veluti Thomas Cantipratanus, et Albertus M de his fictis pactis iudicare publice auderent, sed, quaesiti a discipulis, caute dissimularent, nec quidquam certi definirent. Cum igitur fraudulenta notio pactorum inter sagas et diabolos initorum sese paullatim animis humanis insinuavisset, omnis insolentia coepit magiae nomine censeri atque damnari. Adiuvit eam superstitionem ius Romanum et canonicum, male intellectum, una cum inquisitione adversus haereticos a. 1216. coepta. Ipsum tamen iudicium contra sagas insti-

tutum, hoc tempore nondum pertinuit ad inquisitores, sed ad iudices ordinarios. Seculo quarto decimo Johannes XXII. pont. bulla quadam, (quam vid. ap. Petr. Binsfeld de confess. malefic. p. 612.) hunc processum amandavit ad iudices competentes, sagasque puniri voluit praeter bonorum confiscationem, quam de iure merentur haeretici. Circa medium huius seculi magia haereseos nomine haberi coepit. Hinc exorta, sive potius excogitata est peculiaris secta strigarum, quarum iudicium pertinebat ad inquisitores haereticae pravitatis. Vergente eo Seculo ad finem, peperit sollicita hominum superstitio, redacta in formam artis magia, adeo insana dogmata, ut universitas litterarum Parisina condemnare ea cogeretur. Processus contra sagas bulla Innocentii VIII. (1484.) quem deinde sequutus est Leo X. Hadrianus VI. Sixtus V. Julius II. Clemens V. inquisitoribus confirmatus est, consentiente et defendente ipsos Maximiliano imperatore. Tandem, in medio circiter Seculi XVI. sublata inquisitione ipsa, et iudicium hoc in Germania ad iudices competentes rediit. Carolus V. imperator in constitutione criminali a. 1532. Ratisponae facta, confirmavit processum contra sagas. Illius interpretes, dici non potest quantopere somniaverint in ea interpretanda, et quam multas in illam intulerint absurdas opiniones de magia, quibus deinde P. Spee, et alii, felici cum successu obviam ivere. Eorum tamen conatus laudabiles multum impediverunt JCti, in primis Carpzovius, Jurisconsultus Saxonicus. Eventu multo feliciore, (quippe praeparatis iam superioribus libris hominum ingeniis,) hunc processum oppugnavit Christ. Thomasius et alii, quorum scripta, et inde enata utilitas, hic multis verbis commemorantur. Omnium diutissime haec tanta superstitio permansit in Italia atque Hungaria, viamque aperuit a. 1755. legi, Imperatricis sapientissimae, ne quis sacerdos sese quaestioni de magia, obsessione &c. immisceat, sed eam magistratui civili relinquat, qui tamen nec ipse suo arbitrio tales lites componere potest, sed ad Imperatricem iubetur referre.

Capite

Capite V. auctor docet, opinionem de magia parum firmis superstructam esse fundamentis, ortamque e fanaticismo esse. Defendunt magiam illius patroni duobus exemplis scripturarum sacrarum (Exod. VII. 1. Reg. XXVIII) Quibus recte respondet auctor noster, una cum Tertulliano et omnibus bonis interpretibus: in priore loco non commemorari magos, quales superstitio humana sibi paullatim finxerit, sed praestigiatores, qui difficilibus nugis suis hominum oculis fucum facere soleant. Atque omnino probari non potest, magiam esse rem veram, hac sola de caussa, quoniam in scripturis sacris illius fiat mentio. Nam Deus Israelitis magiae cultum interdixit propterea, ut ne assumendis paganis superstitionibus paullatim ad ipsum paganismum inclinarent. Alterum locum auctor ita explicat, ut dicat, Samuelem mortuum volente Deo apparuisse, diabolumque male a quibusdam interpretibus in subsidium eius historiae advocari. Consideranti contextum loci, atque in primis illius mulierculae trepidationem, haec interpretatio non absurda videbitur. Iam auctor examinat sententiam Maffei et Tartarotti, qui putant, patres ecclesiae docuisse, diabolum ipsum per magos ante Christum natum tam mirabilia patravisse, post Christi vero tempora ipsi hanc vim ademtam esse. Iam negandum non est, patres interdum ita de magia loqui, ac si eam veram putavissent. Verum sciendum est, ipsos talibus in locis, aut κατ' ἄνθρωπον de magia disputavisse, aut diserte declarasse, se nec scire, nec defendere magiae veritatem; eiusque rei caussa auctor multa loca ex Eusebio, Augustino Lactantio, Tertulliano, aliis, commemorat, unde hoc clarissime patet. Nimirum, patres ecclesiae disputaturi contra superstitiones gentilium, totum paganismum vocare opus atque imperium diaboli solebant. Christus igitur, qui illius tollendi caussa in has terras venerat, quid mirum est, si eodem loquendi modo magiae, tanquam parti paganae superstitionis, finem fecisse a patribus ecclesiae dicatur? Quid igitur? An dicemus, ipsos magiam statuisse immediato diaboli interuentu effici? Nullo modo.

Patri-

Pacti inter diabolum et magum initi notionem talem, qualem coeca medii aevi superstitio sibi finxit, ignorant omnes. Jam auctor argumentis philosophicis impugnat opinionem de pactis magorum cum diabolo, eorumque possibilitatem negat propterea, 1) quoniam vis obligandi in utramque partem locum habere non possit, nec cuiquam liceat, de re aliena pacisci. Unde facile intelligitur, nec hominem, nec diabolum, fidem habere tali pacto posse. 2) Deinde cum pactum intelligi, nisi inter praesentes, atque aliquo modo coniunctos, non possit, facile apparet, praesentiam diaboli necessariam esse ad tale pactum ineundum. Quis autem, nisi cui deest mens sana in corpore sano, putet diabolum inuitatum ab aliquo homine, aut citatum isti voluntati tam comiter obediturum et repente appariturum? Nec Dei permissio, nisi cum magna stultitiae significatione, in subsidium huius rei advocari potest propter multas caussas, quas hic ab auctore repetere non est necesse in primis autem propterea, quoniam factum ipsum historice falsum est. 3) Denique haec opinio tota obest religioni Christianae, cuius auctor nos specialia de diabolis ignorare iustis de caussis voluit, impedit tranquillitatem animi, atque Christianam fiduciam in Deum, et opplet mentes superstitioso malorum geniorum metu, qui est magnum verae pietatis impedimentum. Tanto magis debent viri eruditi huic irruenti superstitioni obviam ire, quae toti religioni Christianae ruinam minatur, atque etiam reipublicae multa atque magna affert incommoda. Explicit totus liber cum definitione magiae hac, eam esse accessum animae ad diabolum, cum spe aliquid ab ipso accipiendi, quae notio et cum priscis legum latoribus, et cum ecclesiae patribus, optime videtur convenire.

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiae

Calendis Martii Anno MDCCLXXI.

ESSAI DE TRADUCTION LITTERALE et énergique, par le Marquis de SAINT SIMON.

Sive

Specimen Versionis litteralis et accuratae.

Harlemi, 1771. pl. 13. in 8.

Consilium, quod ill. A. de Franco Gallica versione praestantissimorum quorundam poematum anglice et italice scriptorum cepit, neque superfluum, neque inutile prorsus esse videtur. Specimen enim versionis illius, quae hoc volumine de *Homine Põpiano* proponitur, ita comparatum est, ut laudari recte, atque aliis elegantissimi huius carminis versionibus anteponi, omnino mereatur. Quod quidem ita se habere, et multis, si opus esset, exemplis illustrari, et ex ipsa carminis anglici comparatione demonstrari luculentius posset. Sed ne prolixiores, quam par est, in enarrandis huius versionis virtutibus simus, in eo tantum elaborabimus, ut veram huius speciminis indolem paulo curatius indicemus, ac deinde praestantiam istius versionis prae illa, quae paucis abhinc annis, in collectione variorum Popii operum gallice translatorum, Lipsiae edita, cel. Silhouetto adscribi-

ſcribitur, exemplis aliquot ſatis evidentibus comprobemus, In praefatione eruditiſſima ill. A. ſtatim nos edocet, ſe novam ac rectam verſionis qualiscunque viam ac rationem, ex inſtituta inter pictorem ac translatorem comparatione, reperiſſe, ſibique ipſi hanc regulam, quam omnes in verſione aliqua ſequi debeant, in hoc opere ſuſcepto ſemper ante oculos poſuiſſe. Quemadmodum enim is, qui imaginis pingendae exemplum meditatur, ex ſententia Simonii, in eo omnem collocare debet operam, ut accuratam imaginis propoſitae ſimilitudinem efficiat, easdem lineas ducat, atque colores adhibeat eosdem; ſic etiam primum ac praecipuum translatoris officium in eo poſitum eſſe ait, ut mentem auctoris non ſolum recte repraeſentet, ſed et ſenſum verborum, quibus ille uſus eſt, omnem, in verſione ſua, eiusmodi vocabulis et loquendi generibus, quae eandem habent vim ac poteſtatem, accurate interpretetur. Qua quidem in re, quum eadem nos ipſi ſentiamus, verum omnino vidiſſe acutiſſimum Simonium exiſtimamus. Nullo enim modo, uti opinamur, verſio accurata dici ea meretur, quae non ad hanc regulam ab A. traditam conficitur. Attamen difficilius eſſe, quam Simonius noſter ſibi imaginatur, ea, quae praeceptis recte finiuntur, re ipſa ſtatim perficere, experientia edocti cenſemus. Eam enim linguarum naturam atque indolem eſſe conſtat, ut multa ſibi propria habeant, quae aliis in linguis nullis plane verbis exprimi poſſint, vel non eodem adhibeantur ſenſu. Quae quum negari nequeant, facile etiam adparet, eiusmodi verſionem, quae verbis ac phraſibus alterius linguae accurate reſpondeat, non ſemper locum habere poſſe, ſed liberiorem nonnumquam interpretationem eſſe inſtituendam. Superari quidem hanc difficultatem, quam A. ipſe animadvertit, ea ratione poſſe exiſtimat, ſi in verſione aliqua, ubi verba linguae noſtrae deſint, vel nova plane fingamus, vel ex aliis linguis in uſus noſtros transferamus. Neque negamus fieri hoc poſſe in iis linguis, quae tamquam filiae, a communi matre ortae,

et

et affinitate quadam inter ſe ita coniunctae ſunt, ut una alterius verbis ac dictionibus locupletari commode queat. At enim, quomodo ſubſidium iſthoc, alias utiliſſimum, ad eas adhiberi linguas ſine ſumma difficultate poſſit, quae plane diverſae ſunt, nulloque nexu inter ſe copulatae, non adparet. Sed mittamus de his dicere, quae iam ab aliis luculenter diſputata ſunt, et ad ipſam potius Simonii verſionem oratione proſa adornatam, veniamus. Atque hoc loco, quod lubentiſſime dicimus, eum invenimus interpretem, qui omnibus aliis palmam omnino praeripuiſſe videtur. Non ſolum enim praeſtantiſſimum Popii carmen, quod raro in Gallis obſervamus, recte intellexit, mentemque poetae veram adſecutus eſt Simonius; ſed etiam ipſa auctoris verba, quantum per ingenium utriusque linguae fieri potuit, preſſo pede inſecutus eſt, et ſenſum carminis anglici tam accurate expreſſit, ut Anglum philoſophum gallice loquentem adhuc eundem eſſe audiamus. Quod ut exemplo quodam confirmemus, locum ex Ep. III. deſumtum diligenterque translatum, deſcribimus: „O inſenſé! Dieu n-a t il travaillé que pour ton bien, ton plaiſir, ton amuſement, ta parûre, ta nourriture? il a fait le fan léger pour ta table, mais avec la même bonté il a couvert de gazons fleuris les montagnes, qui doivent le nourir. Eſt ce pour toi, que l'aloüette s'éleve dans les airs, et qu'elle les remplit de ſon chant? c'eſt le plaiſir qui déploye ſes aîles. Eſt ce pour toi, que la linotte tire de ſi tendres ſons de ſon gozier? c'eſt l'amour que elle reſſent pour un oiſeau de ſon eſpêce, ce ſont ſes plaiſirs qui font naitre ſes ſons. Le courſier bondiſſant, que tu montes pompeuſement, partage avec ſon maitre le plaiſir et ſa fierté: les ſemences, qui couvrent les plaines, ſont-elles pour toi ſeul? les oiſeaux du ciel réclament le grain qui leur appartient: eſt ce toi qui recueille toute la moiſſon d'une abondante année? une partie paye, et avec raiſon, le boeuf qui l'a gagné: le porc, qui ne laboure point, et qui n'obéit point a ta voix, vit auſſi du travail de

ce maitre de tout." Sic tota fere huius carminis verſio, eadem diligentia elaborata eſt. Paucis tantum in locis, quod mirati ſumus, a regula quam ſibi ipſe praeſcripſerat, transferendo, diſceſſit Simonius, liberioremque potius interpretationem, quam verſionem verbis adſtrictam exhibuit. Sic e. g. ab initio ſtatim Ep. I. in verbis: „*how Syſtem into Syſtem runs*," explicatis per „*comment la revolution d' un aſtre s'entremêle aux revolutions d' autres aſtres*," vocabulum *Syſtem*, gallica etiam lingua, eodem ſenſu uſitatum retineri, vel ita ut p. 16. factum eſt, per *l'ordre de l'univers*, explicari ſignificantius potuiſſet. Sed fortaſſe, ne nimis anxius in verbis ſingulis haeſiſſe videretur, data opera haec ita interpretatus eſt Simonius. Neque hoc eo conſilio a nobis dictum volumus, ut laudibus huius verſionis aliquid detrahamus, ſed ut attente nos eam legiſſe demonſtremus: ſummam eius praeſtantiam agnoſcimus, eamque omnibus aliis verſionibus praeferendam eſſe putamus. Ea enim quae Silhouetto tribuitur verſio, neque verum carminis Popiani ſenſum ubique repraeſentat neque accurata diligentia, ac naturali orationis pulchritudine, quam Simoniana prae ſe fert translatio gloriari poteſt. Quod ut dilucidius adpareat, unum alterumve utriusque verſionis inter ſe collatae exemplum proferemus. Audiamus primo Silhouettum Ep. I. v. 77—90. ita gallice transferentem: „Le ciel cache à toutes les créatures le livre du deſtin, excepté la page qui leur eſt neceſſaire, celle de leur état préſent: il cache aux bêtes ce que l'homme connoit, à l'homme ce que connoiſſent les eſprits; autrement qui pourroit, ici bas, ſupporter ſon exiſtence? Sa *volupté* condamne aujourd'hui l'agneau à la mort; s'il avoit ta raiſon, bondiroit-il et ſe joueroit-il ſur la plaine? Content jusqu'au dernier moment, il broute le patûrage fleuri, et lèche la main qui s'eléve pour l'egorger. O ignorance de l'avenir, qui nous eſt charitablement donnée, afin que chacun puiſſe remplir le cercle, que lui a marqué l'Etre ſuprême! Dieu de tous, il voit d'un

oeil

oeil égal un heros mourir, et un paſſereau tomber; les atô-mes ſe confondre, ou les cieux ſe bouleverſer, une bulle d'eau, ou un monde s'eclater." At enim, quantum haec diſcedant a mente Popii, verſio Simonii declarat, quae ita ſe habet: „Le ciel cache a toutes les créatures le livre du deſtin, il ne laiſſe voir a chacune, que la page de ſon état actuel; il cache aux bêtes ce qui concerne les hommes, aux hommes ce qui concerne les eſprits; qui pourroit ſans cela ſouffrir d'être ici bas? l'agneau, qu'aujourd'hui ta *gourmandiſe* (riot) condamne a la mort, voudroit-il, s'il avoit la raiſon, joüer et bondir jusqu'a ſa fin? Satisfait, jusqu'au dernier moment, il patûre l'herbe fleurie, et lêche la main levée pour repandre ſon ſang. O ignorance de l'avenir! que tu nous es favorablement accordée, pour que chaque être puiſſe remplir le cercle que lui trace Dieu. Quel être voit avec la méme indifférence, qu'a Dieu pour toutes choſes, périr un héros, ou mourir un Moineau; un atôme, ou *l'ordre de l'univers* (Syſtems) ſe détruire, une bulle d'eau, ou bien un monde ſe diſſoudre." Praeterea etiam Silhouettus verba ſaepe nonnulla immo integros nonnunquam verſus omiſit, ita ut lacunae eiusmodi ſenſum plane mutilum et imperfectum relinquant. Sic apud eum Ep. I. v. 149-190 ita proponuntur: „Vous prétendez, que la felicité humaine eſt la grande fin de la nature; mais pouvez-vous nier qu'elle ne s'en écarte? Et pourquoi l'homme ne s'en écarteroit il pas auſſi? Cette fin n'exige pas moins un cours regulièrement alternatif de pluie et de beau tems, qu'une régularité conſtante dans les déſirs de l'homme; un printems éternel, et des cieux ſans nuages, que des hommes toujours ſages, calmes, et tempérés. Si des peſtes, ou des tremblemens de terre, ne détruiſent pas le vrai deſſein de Dieu dans l'ordre de la nature, pourquoi l'exiſtence d'un Borgía, ou d'un Catilina, le détruiroit-elle? C'eſt de l'orgueil que jailliſſent nos raiſonnemens &c." Quae

omnia Simonius, et multo quidem accuratius, hunc in modum transtulit: „Si le bonheur du genre humain est la grande fin de la nature, et que néanmoins la nature s' en detourne, pourquoi l'homme feroit-il moins? d'autant plus qu'un cours constant d'ouragans, de chaleurs excessives, aussi bien que de desirs immoderés des hommes, tendent a cette fin; qu' on voit aussi peu de printems éternels et des cieux constamment sans nüages, que d' hommes toujours sans passions et sans alterations. Si les pestes, et les tremblemens de terre, ne dérangent point l' ordre établi par les cieux, pour quoi donc Borgia, ou bien un Catilina le feroient-ils? Qui sait, si celui-là seulement, dont la main forme les éclairs, soulêve l'antique Océan, dispose les tempêtes sur les ailes des vents, ne remplit pas le coeur d'un César d'une orgueilleuse ambition, et ne lâche pa le fils d'Ammon sur terre, comme un fleau du genre humain? C'est de l'orgueil, oüi de l'orgueil, que naissent nos raisonnemens &c.

Ceterum habet etiam haec versio quo se mirifico typorum nitore, et singulari chartae splendore, inprimis commendet, excitetque desiderium, plura huius generis specimina legendi. Cuius rei quum spem facere videatur *Simonius*, non possumus non quin eum vehementer rogemus, ut reliquas Popii Epistolas morales, aliaque Anglorum Italorumque carmina lectu dignissima, eodem modo convertat, sibique persuadeat, se hac opera et civibus suis, et exteris, harum litterarum cultoribus, gratissimum esse facturum. Igitur etiam nos, qui ill. *Simonii* beneficio primum Volumen debemus, quod grati agnoscimus, avide expectamus alterum, et quotquot secutura sunt, ut eo frequentior nobis occasio, praeclara Auctoris merita litterariae reipublicae exponendi atque commendandi, suppeditetur.

GOTHO-

GOTHOFREDI LEIBNITII OPERA OMNIA. Nunc primum collecta, in classes distributa, praefationibus et indicibus exornata, studio LUDOVICI DUTENS.

Genevae, Tomi VI. MDCCLXVIII. in 4to.
Sumtibus Fratrum de Tournes.

Gratulamur nobis atque universo eruditorum orbi, magnoque cum plausu et gratiarum actione excipimus hanc operum Leibnitianorum collectionem, dudum iam virorum doctorum desiderio expetitam. Fuit enim Leibnitius noster, non modo philosophus, quo acutiorem tota ignorat Germania; verum etiam omnes doctrinae partes ita versavit, ut, cum alii in uno tantum genere excellerent, ipse in omnibus ac singulis fere princeps haberetur, atque aequales suos longe post se relinqueret. Atque omnino si Saxonia praeter Leibnitium nullum alium haberet, quem opponere excellentibus exterorum ingeniis eruditionis copia posset, hic solus sufficeret, quo gloriari adversus illos sine partium studio liceret. Dignus igitur est, cuius memoria ad seram usque posteritatem conservata vigeat, atque omnibus eruditionis aemulis commendetur. Posuit Leibnitio, Dutensius monumentum aere perennius, atque, dici non potest quantopere sit de tota eruditione meritus quod illius libellos sparsim editos, magno studio atque impensis collectos, in unum corpus redegerit. Accessit insuper operi, per se iam desiderabili, etiam externa quaedam commendatio per typorum atque chartae elegantiam.

Primum propositum operum Leibnitianorum iunctim edendorum Dutensius debet viris doctis, quorum habemus Miscellanea physico-mathematica Societatis regiae Taurinensis. Ab his enim allectum se ad hanc operam, atque adiutum etiam mirifice, profitetur. Accepit etiam a multis

a multis aliis Germaniae, Franco-Galliae, atque Italiae viris eruditis, multos Leibnitii libellos, in primis epiſtolas, quae vel nondum eſſent typis deſcriptae, vel certe non commemoratae reperiuntur in ſcriptorum Leibnitianorum indicibus. In primis laudatur cum multa grati animi ſignificatione benefica opera Bruckeri et Gottſchedii, a quibus duumviris dicit ſe multos libellos, fruſtra alibi quaeſitos, accepiſſe. Maiora aliorum ſcriptorum opera hiſtorica, a Leibnitio iunctim edita, veluti Scriptores rerum Brunſuicenſium, Codex Iuris gentium diplomaticus, Acceſſiones hiſtoricae, Origines Guelficae, et alia, locum habere in hac recenti collectione non potuerunt. Bene tamen conſuluit nobis Dutenſius, quod praefationes utiliſſimas, illis operibus adiunctas, huic collectioni inſeruit. Toti operi praemiſſa ſunt quaedam ſcripta ad Leibnitium pertinentia, ut ipſius elogium a *Fontenellio* conſcriptum, deinde vita Leibnitii e *Bruckeri* hiſtoria philoſophica repetita, denique *Kortholti* diſputatio de philoſophia Leibnitii Chriſtianae religioni haut pernicioſa. Opus ipſum deſcriptum eſt in VI Tomos, quaternis, quorum *primo* continentur ſcripta theologica, *altero* philoſophica, *tertio* mathematica, *quarto* hiſtorica, antiquaria, atque iuridica, praeter libellos quoſdam philoſophicos; *duobus poſtremis* philologica atque etymologica. Singulis tomis atque partibus ſingulae praefixae ſunt praefationes, ab ipſo Dutenſio profectae; praeter eam quae eſt Tomo III. quaeque Bonium, profeſſorem iuris Taurinenſem, auctorem agnoſcit. Praeterea unusquisque Tomus prae ſe fert peculiarem indicem libellorum ſingulorum, in quo admonitum eſt de ipſorum editionibus.

Primi Tomi praefatio illis oppoſita eſt, qui perſuadere diſcipulis voluerunt, Leibnitii quaedam placita philoſophica, ut de libertate hominum, origine mali, et bonitate Dei, adverſari religionis Chriſtianae praeceptis. Eadem cantilena hodiedum uſque ad taedium centies decantatur a multis,

*is, quibus hanc praefationem in primis legendam commendamus. Ineſt in hoc tomo nobile opus, quod vulgo notum eſt ſub nomine Theodiceae, e verſione latina a. 1739. una cum animadverſionibus huiusce editionis, partim philoſophicis, partim dogmaticis; quibus carere nemo poteſt, qui librum ipſum recte cupiat intelligere. Praeterea inſunt etiam multae epiſtolae theologicae, de concordia inter eccleſiam Romano-Catholicam et Proteſtantium ſtabilienda ſcriptae a Leibnitio, Boſſueto, Molano. Deſumtae ſunt omnes ex operibus poſthumis Boſſueti. (Pariſ. 1753.)

In altero Tomo ſunt multae memorabiles epiſtolae, hoc loco primum in lucem publicam protractae, quarum lectio neminem facile poeniteat. Scriptae ſunt a Leibnitio ad *P. des Boſſes*, Ieſuitam Pariſinum, explicantque res metaphyſicas, atque omnino plenae ſunt utilibus iudiciis atque praeceptionibus. Inter alias pag. 271. occurrit aliqua Leibnitii epiſtola, in qua, cum laetitiae ſignificatione haut exigua, illi Ieſuitae gratias agit pro indice propoſitionum in collegio doceri prohibitarum a ſuperioribus. Ingenue fatetur, ſibi eiusmodi indices eſſe admodum gratos propterea, quod inde artem diligenter atque ἀκριβῶς de rebus dogmaticis dicendi et ſcribendi omnium optime diſcere poſſit. Eodem ex genere ſunt epiſtolae ad *Bourguetum*, philoſophiae Leibnitianae ſtudioſiſſimum, quas Dutenſius acceptas refert Catio, academiae Rothomagenſis ſecretario. Scripſit hic Bourguetus multos ad Leibnitium epiſtolas, atque etiam defenſionem philoſophiae Leibnitianae, quarum editionem ſeparatam Dutenſius nobis promiſit. Finem huius tomi efficit Scheidii Protogaea e Leibnitii chartis edita, cuius lectionem commendamus omnibus theologiae ſtudioſis. Tomus V. continet maximam partem epiſtolas philologicas varii generis, e quibus, uti bene iudicavit Dutenſius, omnium maxime apparet diffuſa Leibnitii eruditio. Earum argumentum pertinet ad philoſophiam, mathematicam, gramma-

ticam, criticam, historiam ecclesiae atque eruditionis. Insunt etiam quaedam, quanquam non ita multae, epistolae adhuc ineditae. *Ultimus Tomus* habet duas partes, quarum altera est philologica, altera etymologica. Illa comprehendit apparatum oppido magnum epistolarum lectu dignissimarum, quarum pleraeque hic primum publici iuris fiunt, atque datae sunt ad Thomam Burnetum, Bourguetum, atque Iesuitam des Bosses. Dici non potest, quantopere nobis placuerit atque profuerit illarum lectio, et quam multa insint in iis, quae in usum convertere futurus theologus possit. De interpretatione scripturarum sacrarum tam accurate iudicat Leibnitius, ac si ipse ex professo theologus aetatis suae clarissimus fuisset, nec praeter theologiam ullum aliud studium excoluisset. Atque ab his virtutibus commendantur omnes ipsius epistolae, vnde exempla repetere propter hanc ipsam caussam noluimus. Utitur praeterea scribendi genere facili, eleganti, perspicuo, atque accurrato, quibus praesidiis hodierni scriptores nostri prope omnes misere destituuntur. Ceterum, quanquam epistolae ita sunt a Dutensio dispositae, ut, quae v. c. huic tomo insertae reperiuntur, eae pari iure propter argumenti, quod tractant, similitudinem, in alium referri posse videantur: tamen nec ipsa descriptio, qualis est ab editore facta, merae est libidinis, et nititur praeterea necessitatis quadam lege, a qua recedere nemo sine reprehensionis nota potest. — Plura commendando Operi hic addere, et Leibnitii nomen vetat, maius nostra commendatione, et doctrina lectorum nostrorum, qui nobis non monentibus, quid hoc Opere respubl. litteraria proficiat, intelligunt. *Tournesiis*, a longo inde tempore, bono litterarum sumtus impendentibus, gratiae debentur non leves, quod et huic Operi procudendo tam liberalem operam impenderint, quam alii, Romanensibus libris, et Seculi crepundiis divulgandis, consecrant: ut elegantes homines reddant, scilicet.

ANI-

ANIMADVERSIONES AD LEXICON
N. T. Schöttgenianum.

Auctore

M. *IO. CHR. GOTTLEBER.*

Etſi *Chriſtianus Schöttgenius*, Vir longe doctiſſimus, edendo in Novum Foedus Lexico, adoleſcentibus litterarum ſacrarum ſtudioſis viam ad recte intelligendos libros ſacros muniit, eoque praepoſteram quorundam rationem, imperite graecae dictionis puritatem ex ſcriptoribus atticis, et, quo nil ineptius videtur, ex poetis defendentium, afferendis hebraicis verbis formisque, collata cum iis praeſertim verſione *τῶν ό*, animaduertit, ut manifeſte pateret, dictionem graecam ex aſſe reſpondere hebraicae: periti tamen harum rerum ſemper iudicarunt, eſſe adhuc multa in hoc libro, quae parum accurate, vel falſo poſita, correctione, et, poſt tam praeclaras Criticorum recentiorum in graeca lingua obſervationes, additamentis indigeant. Quibus eruditorum votis nuper reſpondit Vir doctrinae magnae, inque his litteris excellens, *Io. Tob. Krebſius*, illuſtris Moldani Rector longe celeberrimus, et, quae felicitatis meae ſumma eſt, Praeceptor meus olim fideliſſimus, cui harum litterarum amorem debeo, qui hanc clavem plurimis locorum difficilium interpretationibus, aliisque obſervationibus, ita auxit, ut erudıtiſſimorum virorum tulerit puncta. Abſolutus etiam ſine dubio, omnibusque numeris perfectus hic liber factus eſſet, niſi Vir excellens, tam multis aliis laboribus diſtractus, et ad recenſendum eum, tam anguſtis temporis limitibus circumſcriptus fuiſſet, ut ipſe fatetur, et ex Bibliotheca Theologica magni *Erneſtii* intellexi. (T. V. p. 841.) Equidem videri poſſim paullo arrogantior, quod in alienam, ut aiunt, meſſem, falcem immittere audeam; nec is ego ſim, qui tantum Virum monere poſſim

aut velim; multis rationibus tamen facile spero, fore, ut has observationes, quas in lectione veterum scriptorum in schedas conieceram, quod ad firmandas quasdam verborum significationes, vel supplendas subinde lacunas facere viderentur, Vir celeberrimus, pro sua erga me benevolentia et amore, aequi bonique sit consulturus.

Τηρεῖν] omissa est *insidiose observandi* potestas, huic verbo subiecta Joh. 15, 20. quam notavit *Sarravius*, ut didici ex *Colomesii* κειμ. *litt.* p. 65. Sumi loco laudato τὸ τηρεῖν in sequiorem partem, suadet orationis contextus. Praedicit enim optimus Servator, sortem discipulorum eandem apud Judaeos fore, atque suam. „*Si me*, ait, *in verbis meis insidiose observarunt, et vos pariter verborum laqueis capere tentabunt.* Simplex positum pro παρατηρεῖν, quod hac vi occurrit Marc. 3, 2.

Σπεῖρα] reprehenditur hic *Beza*, quod hoc vocabulum verterit *legionem* Act. 10, 1. et 21, 31. Sed in mea N. T. a *Beza* vulgata editione, anni MDLXXXII. conversum est in utroque loco, voce *cohortis*.

Εὐροκλύδων] etsi haec vox hac scriptura est in vulgatis edit. addi tamen potest, meliorem lectionem esse εὐρυκλύδων, ut *Toupius* in *em.* ad *Suid.* ex MS. Petavii et loco *Etymol.* M. in τυφών, vult legi, probante *Ven. Ernestio* Bibl. Theol. T. VIII. p. 24.

Εγκομβόομαι] verbis: *magnam vulgo Emphasin &c.* adiici potest: inter verba ἐγκομβ. et ἐνδύσασθαι haec sola differentia intercedit, ut hoc sit elegantioris, illud vulgarioris usus. Graeci enim, veluti *Plato*, *Dionysius Hal.* aliique adhibent, τὸ ἐνδυσ. eleganter de hominibus et rebus, v. c. σωκράτη, ταρκύνιον. (L. XI. 689.) ut et Clav. sub voce ἐνδύω.

Αἰὼν] n. 5. „— Gal. I. 4. αἰὼν ἐνεστὼς πονηρὸς mundus praesens. Non satis latine et perspicue; potius: improbi

probi Judaei, a fide Christiana alieni, qui vocantur σκολιὰ γενεὰ Act. 2, 40. *Beza* ad l. c. *Seculum vocat depravatissimam illam hominum vitam, et miserrimam conditionem erga Christum.* Locus ad Eph. 2, 2. ubi αἰὼν τȣ̃ κόσμȣ τȣ́τȣ, explicatur: Seculum huius mundi, cui opponatur mundus futurus, h. e. tempora N. T. cum potius intelligendi sint mores, seu consuetudo vivendi paganorum, qui voce κόσμȣ denotantur, αἰὼν respondet τῷ דור i. e. constitutae ac certae actionum fereri.

Εὑρίσκω] addatur: εὑρίσκειν παρὰ τῷ θεῷ χάριν (Luc. 1, 30.) (מצא חן) diligi, amari a Deo. Quis dicat: invenire gratiam apud Deum, nisi qui verbum de verbo inepte reddat? v. 1. Sam. 20, 3. οἶδεν ὁ πατήρ σȣ, ὅτι εὕρηκα χάριν ἐν ὀφθαλμοῖς σȣ.

Κερδαίνω] moneri possunt, opinor, multi, in loco 1. Petr. 3, 1. κερδηθήσωνται, vulgo quidem putari esse futurum in Coniunct. sed negari a graece doctis hominibus, hoc tempus existere: ideoque esse, qui legi velint κερδηθήσονται, cum quibusdam codd. MSS. veluti Alex. Laud. 2. Cant. 2. v. *Kuster* in *Milliano Testam.* ad h. l. Diligenter id monuit, ex Obs. Misc. Nov. T. III. *celeberrimus Fischerus, in animadv. super Welleri Gramm.* p. 174. ubi simul exempla laudantur, ἵνα, ὅπως, ἂν, cum indicativo iungi. Pertinent et huc 1. Cor. 13, 3. καυθήσωμαι et βληθήσῃ Matth 5, 25. δώσῃ Joh. 17, 2. dorice pro δώσεις, nisi malis codd. quosdam audire, qui habent δώσει.

Σαμάρεια] „*urbs nota — a radice* שמר. Scribendum est, ni fallor, hanc urbem sic appellatam a *Schaemer*, montis possessore, in quo exstructa fuit: v. 1. Reg. 16, 24. „*Omri emit montem Schomron a quodam Schaemer, duobus argenti talentis, aedificavitque montem, et vocavit nomen civitatis, quam aedificavit, ad nomen Schaemer, qui dominus fuerat Schomron.*

Διὰ] *cum Genitivo denotat caussam efficientem.* Recte; nam et sic *Plato*, illustri in loco adhibet, in *Timaeo* p. 41. ed Steph. Creator huius universi alloquitur Deos iuniores ita: Θεοὶ Θεῶν, ὧν ἐγὼ δημιουργὸς, πατήρ τε ἔργων, ἃ δι' ἐμοῦ γενόμενα. Qui locus admodum similis est Joanneo c. 1, 3. πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο, et furores Arii, eiusque adseclarum, praeclare compescit.

Ἵστημι] ad locum Matth. 14, 15. βδέλυγμα ἐρημώσεως — ἑστώς, vel moneri potest: multos velle legi ἑστός, quod sit in MSS. et sic esse receptum in Testamento *Millio-Kusteriano*; vel ἑστὼς etiam Grammaticorum legibus defendi posse. Participia enim, passionem significantia, desinunt in neutro in ω. *Phavorinus:* ἑστῶσα, ἀντὶ τοῦ ἑσταυῖα, μεμῶσα ἀντὶ τοῦ μεμαυῖα. Μετοχαὶ γὰρ αἱ δεχόμεναι πάθος, ποιοῦσι τὸ θηλυκὸν διὰ τοῦ ῶσα, καὶ τὸ οὐδέτερον διὰ τοῦ ω. αἱ δὲ μὴ, διὰ τοῦ υῖα καὶ ο. *Plato* quoque in *Timaeo* p. 46. *Steph.* ed. παρὰ τὸ καθεστὼς ἔθος; cf. et *Olear.* Obs. in Matth. 73. p. 687.

Μεγιστᾶνες] utuntur hac voce *Suet.* Cal. 5. *Tacit.* A. XV, 27.

Μάγοι] Quinam fuerint, potest etiam intelligi ex *Xenoph. Cyrop.* Lib. IV. p. m. 84. 88. v. et *Plat.* Alc. α. p. 222. Bas. 2.

Ἐπενδύτης] „*amiculum, indusium; et loco* Joh. 21, 7. *laudato: fuit vestis superior, quam Judaei super tunicam s. interulam gesserunt.* Nescio an satis accurate; indusium enim, sive subucula (*Horat.* Ep I, 1. extr.) est ὑποδύτης, ἐπενδύτης est superaria, tunica χειτὼν, et ὑποδ. est χιτωνίσκος. v. Moerid, conf. et *cel. Fisch.* in praefat. ad Pas. Man. pag. 17.

Παραδειγματίζω] ad locum Matth. 1, 19. nolens illam publicae ignominiae exponere „scilicet ut illam palam dimit-

teret, repudio mittendo, ex lege Mosis cf. Matth. 19, 7. notat hoc verbum omnis generis contumeliam publicam; veluti per theatra virgis caedi; quod est θεατρίζειν et παραδειγματίζειν; ut notavit *Casaub.* ad *Suet.* Aug. 45. p. 125. Quod genus contumeliae et verbo *catamidiandi*, apud *Spartian.* in *Hadr. XVIII.* exprimitur, sive sit κατ' ὤμων τύπτειν, vel ut *Casaubonus* vult: καταμηδῖαν, „*decoctores*, ait, *bonorum suorum, si suae auctoritatis essent, catamidiari in Amphitheatro, et dimitti iussit*, v. et bene disputantem de hoc verbo *Raph.* in Adnot. in Nov. Test ex *Polyb.* et *Arrian.* p. 2.

ὄρθρον] ὄρθρȣ βαθέος] „*haec vox non est optimae graecitatis, ait Salmasius de Hell. L. p. 101. 102.* Haec verba mihi videntur brevius iusto posita. Salmasius enim non damnat prorsus hoc verbum, tanquam ἰδιωτικὸν, nec potest, sed veteres dixisse ὄρθρον de tempore illo, quo nondum luceret, et adhuc lucerna quis posset uti: Apostolorum vero seculo vulgo positum esse de diluculo, quod praecederet solis exortum, quum dies iam illuxerit. Provocat ad rem suam confirmandam ad *Platonem*, sed nullo loco laudato. Nullus autem dilucidior esse potest, quam ille, qui est in *Protagora* p 283. *init.* Socrates narrat, nocte superiori ἔτι, ὄρθρȣ βαθέος, Hippocratem Apollodori ad se venisse, et, ut conferat se ad Protagoram secum, orasse, quod esset πρωῒ se id facturum negasse: monuisse autem ipsum, ut secum in aula spatietur ἕως ἂν φῶς γένηται. Quo ex loco Salmasii sententia stabilitur. Alius locus est in *Critone* I. ȣ πρωῒ ἔτι ἐςί; — ὄρθρος βαθύς. Sed ita et Lucas 24, 1. ex mente veterum: nam ὄρθρȣ βαθέος explicat disertis verbis Joh. 20. 1. πρωῒ, σκοτίας ἔτι ȣσης. Et sic quoque cepit Lucas Act. 5, 21. coll. h. v. cum 19. et Joh. 8, 2.

βάρος] ad significationem *ponderis* et *gravitatis* probandam, laudatus est locus ex 1. Thess. 2, 6. δυνάμενοι ἐν βάρει εἶναι, quum possemus in auctoritate esse, utpote Apostoli

ſtoli Chriſti. Sic et intellexit Eraſmus cum aliis. Sed putem potius, hunc verborum eſſe ſenſum: quum potuiſſemus vobis moleſti eſſe, exigenda ſcilicet, pro muneris noſtri dignitate et auctoritate, mercede, vitae degendae cauſſa. Antea enim dixerat ὄτε ἐν προφάσει πλεονεξίας — et v. 9. ſequitur: πρὸς τὸ μὴ ἐπιβαρῆσαί τινα ὑμῶν. Et ſic cepit *Beza*, quem, ſis, vide. Repetit et hanc modeſtiam 2 Cor. 2, 9. ὃ κατενάρκησα οὐδενός. Notavit et *Kuſterus* ad l. c. *Milliani* Teſtamenti ex *Oecumenio*: δυνάμενοι ἐν βάρει εἶναι. ἢ ἐν τιμῇ καὶ δόξῃ, ἢ ἐν βάρει, τουτέστι, λαμβάνειν καὶ τρέφεσθαι; quod poſterius verum videtur.

Πρεσβύτεροι] n. 3.) *Seniores Apoſtolici.* Moneri poſſunt tirones, Presbyteros et Epiſcopos in veteri ſ. prima eccleſia eosdem eſſe, nec inter ſe differre; ut luculenter patet ex Act. 20, 17. coll. cum v. 28. et Ep. ad Tit. 1, 5. καὶ καταστήσῃς πρεσβυτέρους — v. 7. δεῖ γὰρ ἐπίσκοπον. —

Ἐπιούσιος.] Quid ſi addatur, hanc vocem alliis potius videri a part. ἐπιὼν, ἐπιοῦσα, derivandam. ἐπιέναι, ſignificat ſequi, advenire, vel ſupervenire: v. *Stollberg. de barb. et ſol. N. T. falſo ſuſp. c. III. p. 235.* et *Olear. Obſ. ad Matth.* ad h. l.

Λαμπρός.] Huic vocabulo, ſi praecipue de veſtibus uſurpatur, ſemper, opinor, vis *candidi* ſubiiciendа eſt Candidus color eſt ſplendens ille, et qui eſt ab arte, differtque ab albo, qui lanae nativus eſt; v. *Lipſium Elect.* I, 13. p. 391. Unde λαμπρὰ ἐσθὴς opponitur ῥυπαρᾷ in ep. Iac 2, 2. Eundem uſum et *candere* habet; de rubro colore uſurpatum ab *Horat. II. Sat. 6, 103.*

— — *rubri ubi cocco*
Tincta ſuper lectos canderet veſtis eburnos.

ubi *Baxter. canderet*, rubore fulgeret. vid. et *Caſaub.* ad *Theophr.* c. XXI. p. m. 212.

Ἴσον

Ἴσον *aequalitas*, ſic et ἴσα.] Locum ad Phil. 2, 6. in quo Chriſtus dicitur aequalis Deo, τὸ ἴσα εἶναι Θεῷ illuſtrat *Homericus* (Il. N. 176.) ubi Priamus dicitur Teucrum amaſſe, aeque ac filios,

ὁ δέ μιν τίεν ἶσα τέκεσσι.

Τίς.] Act. 19, 15. τινες υ. ε. addi poteſt: hanc formam in contemtu poni. Latini conſimiliter ad imitationem Graecorum: „Oro te, quis tu es? *Cic. Ep. ad div. VII. 16.* Qui vos eſtis? Flor. III. 12. vid. *Graev.* ad l. c. Contra ea, τὶς vel τὶ de dignitate quam, quis habet, vel habere ſibi videtur: ut Gal. 6, 3. εἴ τις δοκεῖ εἶναί τι. Sic Plato Apol. S. 33. οἴονταί τι εἶναι, ὄντες ὐδενὸς ἄξιοι.

Ἀφίημι] forma ἀφιέναι τ. ἁμαρτ. reſpondet hebraicae עון נשא Pſ. 32. 5. verba enim hebraica *οἱ ό·* verterunt, καὶ σὺ ἀφῆκας τὴν ἀσέβειαν. *Aquila:* καὶ σὺ ἦρας ἀνομίαν ἁμαρτ. Quae verſio illuſtrat illud *Ioannis* de Chriſto 1, 29. ὁ αἴρων τ. ἁμ. &c. *Symmachus* eleganter: ἀφέλης. —

Ἐλεημοσύνη] reſpondet hebr. צדקה v. Pſ. 33, 5. intelligi inde poteſt, δικαιοσύνην et ſignificare ἐλεημ. ſic Matth. 6, 1. ut habent codd.

Ἡδύοσμον] vulgo vertitur mentha, ſed non accurate, nam haec eſt μίνθη. *Sextus* quidem *Empiricus Hyp. III. 24.* Ἀπέχονται ἐν μὲν ἱεροῖς μίνθης, ἐν οἷς δὲ ἡδυόσμυ. *Gesnero* videbatur eſſe calamus aromaticus.

Διασώζεσθαι] cum εἰς, ἐπὶ, vel πρὸς, ſignificat evadere, deferri in aliquem locum incolumem. Sic Act. 23, 24. ἵνα — τὸν Παῦλον διασώσωσι, πρὸς Φήληκα. ibid. c. 27, 44. ἐγένετο πάντας διασωθῆναι ἐπὶ τ. γῆν. Sic et *Diod. Sic.* L. XIII. 587. Weſſ. ed. διεσώθησαν εἰς Ἀκράγ. *Dionyſ. Hal.* p. 364. et 569. εἰς τὸν χάρακα διεσώζοντο. *Scholiaſtes* ad *Ariſtoph.* Nub. ad v. 256. Latini quoque verbis

dam duas notiones subiiciunt, v. c. apud *Curt.* IV. 8. Quos illi e muris, ob iniurias tortos, necaverunt.

Σανδάλιον] *calceamenti genus*, adde: muliebris proprie. Calceorum loco sumebantur soleae viris, feminis sandalia; unde et in nuptiis adhibita, v. *Casaub.* ad *Suet.* p. 149. Sed et viris tribuuntur, ut intelligitur ex Marc. 6, 9. ubi O. Servator discipulis ea permittit, sed neutiquam *ὑποδήματα* v. Matth. 10, 10.

Πϱοφήτης] in N. T. significat virum futuras res praedicentem, et sacrarum litterarum interpretem; sed apud profanos scriptores, solum vaticiniorum interpretem. Auctore *Platone* in *Tim.* p. 72. differunt *πϱοφ.* a *μάντεσι.* — *ὅθεν καὶ τὸ τῶν πϱοφητῶν γένος, ἐπὶ ταῖς ἐνθέοις μαντείαις, κϱιτὰς, ἐπικαθιςάναι νόμος. μάντεις* itaque sunt futurarum rerum vates; *πϱοφ.* iidem fuisse videntur qui *ἐξηγηταὶ*, ut intelligi potest ex *Plat. Eutyphr. IV.*

Δῶϱον] pro sacrificio. Pulchre *Plato* in *Eutyphr. s. XVII.* θύειν δωϱεῖσθαι ἐςὶ τοῖς θεοῖς. v. *Eurip.* Med. 964. sic et *dona* apud Lat. *Tibull. IV. 8.*

— Nec munera parva
Respueris, etiam Phoebo gratissima dona
Cres tulit —

vid. *Heyn.* V. CL. ad h. l.

Παϱὰ] *apud* Marc. 3, 21. *οἱ παϱ' αὐτȣ, qui apud ipsum erant.* Potius: *eius propinqui;* Sic Beza et Vulgata. *Toupius emend.* in *Suid.* vult legi: *οἱ Φαϱισαῖοι πεϱὶ αὐτȣ̃.* Ast hoc non est interpretari, sed sua libidine refingere loca, v. *Ven. Ernest.* Bibl. Theol. T. VIII. p. 20.

Εἶναι] *ȣ̓κ εἶναι dicuntur mortui, εἶναι* enim est vivere v. *Sophocl. Aiax Flag.* p. 54. ed. Stolb. unde *οἱ ὄντες* superstites. Latini consimiliter: „Ita postquam desierat esse, *Curt. VII. 1.* &c.

Φαιλόνης.]

Φαιλόνης.] probatur de h. v. explicatio *Hesychii*: involucrum membranaceum, aut crumena, s. loculus, quia Paullus paenulam, utpote servorum vestem, gestare non potuerit. Sed qua ratione dici poterit *Milo*, iter faciens Lanuvium, paenulatus? *Cic.* Mil. 10. quomodo Tribuni plebis? *Spart.* in *Hadr. III.* *Tribunus plebis factus est — in quo magistratu ad perpetuam tribuniciam potestatem omen sibi factum asserit, quod paenulas amiserit, quibus uti tribuni plebis pluviae tempore solebant, Imperatores autem nunquam.* Quo ex loco *Salmasius* et *Casaubonus* colligunt, Imperatores, aetate Spartiani, mane duntaxat, cum a togatis salutarentur, sine paenulis visos, peracto autem hoc officio, paenulas induisse. *Obrechtus*, opinor, probabilius ex h. l. elicit: Imperatores aevo Spartiani, in urbe nunquam paenulis usos, in castris tamen. Patet igitur, paenula, item lacerna usos Romanos, frigori et pluviae arcendae, nec solos servos: ut de lacerna, cuius usus et ratio eadem fere erat, intelligi potest ex *Suet. Claudio* c. 6. ubi v. notam *Ven. Ernestii.* Iniicere itaque Paullus, civis Romanus, paenulam pallio poterat; recte, nec citra consuetudinem Romanorum civium.

Αρχιτρίκλινος.] Prudentio vocatur *Rex* i. e. convivii princeps, IX. Cath. 30. ubi de miraculo Joh. 2, 8. commemorato ita:

Cantharis infusa lympha fit Falernum nobile,
Nuntiat vinum minister esse promtum ex hydria,
Ipse Rex sapore tinctis obstupescit poculis.

Rem multi illustrarunt: v. *Lips.* ad *Plaut. Pers.* V, 1. pag. 275. Tom. II.

Πίστις] praeter significationes h. v. laudatas, et significat *scientiam rerum christianarum:* sic 1. Thess. 3. 10. καταρτίσαι τὰ ὑστερήματα τῆς πίστεως ὑμῶν.

Insunt adhuc huic Clavi, quaedam, communia cum aliis N. T. Lexicis, ut monuit *celeberrimus Fischerus* in Praefatione praeclara ad *Pasoris* manuale, quae facile, iterata libri editione tolli poterunt. Cuius generis sunt, v. c. *σύσσημον, παρακαταθήκη, προσωποληψία, ἐκλελυμένοι*, et alia. Non minus et studiosos latinitatis purioris iuvabit, si latinitas hebraica, quae in interpretatione verborum et formarum in multis locis adhuc deprehenditur, extermimetur, elegantiorque oratio, quae, ut harum rerum periti norunt, ad pleniorem et meliorem cognitionem multum confert, substituatur. Quid enim tiro cogitet, quum *προσωπολήπτην* per acceptorem personarum conversum esse videt? nonne intelligat potius, si eum esse legat, qui auctoritate vel dignitate alius moveatur? Critices studiosis et consultum iretur, inferendis in hoc Lexicon variantibus lectionibus paullo memorabilioribus.

ANIMADVERSIONUM CRITICARUM in T. Livium Specimen alterum, adiunctis aliquot in Florum novumque Testamentum Animadversionibus.

Auctore

M. *IMMANUEL JO. GERHARDO SCHELLERO*, Rect. Lyc. Lubben.

Cum, quas nuper in lucem emisimus, animadversiones in Livii quatuor priores libros, vidissemus permultis eruditorum, in his viris meritorum magnitudine doctrinaeque elegantia longe celeberrimis, probari, (id quod sine ulla iactationis suspicione dictum esto), essentque adeo in illis, qui ut pergeremus, nos adhortarentur: etsi eiusmodi laborem magnis, constat, multisque difficultatibus premi, tamen, quia, si quis *magnis excidit ausis*, is eo facilius veniam impetrare solet, hasce quoque animadversiones in lucem exire facile

facile paſſi ſumus; non illas quidem omnes in Livium, (non ſuppetebat tempus, otium enim perparvum nobis fortuna conceſſit), aliquas tamen, adiectis quibusdam in Florum et Nov. Teſtām. animadverſionibus, quas omnes ita proponimus, ut non aliud iis pretium ſtatuamus, quam quod lectoribus intelligentibus placuerit ſtatuere.

Lib. V. Cap. 1.

Qui, a quo tale quid dictum referretur, pro ſeditionis eum principe, non vani ſermonis auctorem *habebat,*] h. e. *habebat eum, a quo tale quid dictum eſſet, pro ſeditionis principe, utpote qui auctor eſſet ſermonis non vani* (i. e. irriti); *auctorem* eſt appoſitio τȣ *eum.* J. F. Gronov. coniicit *auctore,* ut ad *principe* referatur: res eodem redit. Drakenb. coniungit τὰ *pro ſedit. principe et auctorem non vani ſerm.* dicens Livium variaſſe conſtructionem, et *auctorem* dixiſſe, cum dicere debuiſſet *pro auctore;* quod non placet. Non puto Livium duplici conſtructione uſum, cum vocabula tam prope ſint.

Cap. 3.

An eſt quisquam, qui dubitet, nullis iniuriis — unquam &c.] Fabrum, qui fluctus in ſimpulo movere ſolet, offendit τὸ *nullis.* Male. Senſus eſt facillimus, modo cogites τὰ *an eſt quisquam, qui dubitet?* eſſe i. q. *cuique perſuaſum eſt, omnes credunt.*

Cap. 7.

Pedeſtris ordinis ſe aiunt nunc eſſe, operamque reip. extra ordinem polliceri.] Verba ſunt plebis, quae, cum equites equis ſe ſuis ſtipendia facturos promiſiſſent, ſimilem reip. operam pollicetur. Locus eſt obſcurus: ac, licet cum Dukero dicas *pedeſtris ordinis* eſſe i. q. *homines de plebe,* tamen manet obſcurus; *pedeſtris* puto proprie ſumi, ut *equitibus* opponatur. Cuperus, loci difficultatem ſentiens, ait: „Cur,

 „quaeſo,

„quaeso, necesse habuerunt dicere, se esse pedestris ordinis, „et quidem *nunc*, quod nemo Senatorum atque adeo civium „ignorabat? puto Livium scripsisse: *pedestris ordinis aiunt* „*nunc esse, operam reip. extra ord. polliceri.* Recte. Sensus sic constat. At sic *se* et *que* delenda. Quid si, Cuperi coniecturae insistens, sic legas: *pedestris ordinis aiunt nunc esse, operam quoque reip. extra ord. polliceri: se* a praeced. *s* nasci potuit; *quoque* hic egregie convenit, quia equites eandem operam promiserant. Sed *que* et *quoque* a librariis confundi quis nescit? vid. infr. c. 18. ubi Gronovius pater e *meisque* fecit *meis quoque*.

Cap. 8. non pr. ab in.

Neglectum Anxuri praesidium vacationibus militum, et Volscos mercatores vulgo receptando, proditis repente portarum custodibus, oppressum est.] Ant. Periz. *repente* ad *oppressum* refert, quod durum; est J. Fr. Gronov. corrigit: — *oppressis — proditum est*, verbis commutatis. Ego 1) vel pro *proditis* legendum puto verbum, quod notionem habeat *caedendi* seu *interficiendi;* 2) vel locum salvum sic praestari posse: Nempe τὰ *et Volscos merc. — receptando* cohaerent arcte cum τοῖς *proditis oppressum est*, ut illa sint caussa, ob quam praesidium illud oppressum sit; nempe, quia nimis multos Volscos receptassent, sub specie mercaturae, *ab his oppressum est, proditis* scil. *custodibus repente. Custodes portarum repente proditi sunt*, h. e. praeter opinionem dediti sunt hostibus ab iis, quos amicos esse putabant. *Prodere* hanc vim habet: potest tamen etiam *proditis* explicari *desertis, relictis*, nam plerique militum in agris erant, reliquerant itaque custodes, atque ita effecerant, ut hi fere soli, sicque hostili impetui obnoxii essent: *prodere* autem notum est esse *deserere aliquem, atque sic efficere, ut hic in potestatem hostium venire possit.* Exempla laudare supersedeo: vid. Gronov. Obs. III, 20. init. Nam qui aliquem, cui adesse, quem defen-

defendere debebat, relinquit, is proditori est simillimus. Ita et Graeci.

Cap. 9.

Quod ad vos attinet, tribuni plebis, minasque vestras, nae ego libenter experirer, quam non plus in his iuris, quam in vobis animi esset.] Recte expl. Gronovius, praesertim si *nobis*, non *vobis*, legatur. Livius proprie dicere debebat: „*Quod* „*ad vos attinet, tribuni plebis, minasque vestras, has plane non* „*timemus: sed nefas est tendere adversus auctoritatem Senatus.*" Nempe Ahala auctoritatem Senatus maioris aestimat quam minas tribunorum. Sed pro verbis: *has* (minas vestras), *non timemus* egregie dicit: *nae ego experirer &c.* h. e. *So wollte ich es wohl auf die Probe ankommen lassen, dass eure Drohungen nicht mehr Recht, als wir Muth haben,* seu *dass wir vielleicht eben so viel Muth haben, uns euch hierinn zu widersetzen, als ihr Recht zu haben vermeint, uns mit Gefängniss zu drohen.* Salse et acerbe loquitur. Possit et *vobis* ferri hoc sensu: *So wollte ich es wohl auf die Probe ankommen lassen, dass ihr eben so wenig Recht uns zu drohen, als Muth hättet, diese Drohungen ins Werk zu richten; ius* possit et esse i. q. *potestas.* Paullo post in verbis: *Cum omnium consensu comprobata oratio esset, gauderentque Patres, sine tribuniciae potestatis terriculis inventum esse aliam vim maiorem* (int. dictaturam) *ad coërcendos magistratus, victi consensu omnium comitia tribun. milit. habuere,* post *victi* inserendum esse *hi* scil. *magistratus,* facile sentiet lectioni priscorum assuetus.

Cap. 12.

Tribuni — tributum conferri prohibent: cum tot exercitibus stipendio opus esset, resque militiae ita prospere gererentur, ut nullo *bello veniretur ad exitum spei.*] Drak. posteriora ita explicat: *prospere quidem geri res militiae, ita tamen, ut, cum multiplex bellum esset ad Veios, ad Capenam, ad Falerios, et in Volscis, ut Anxur recuperaretur, nulli horum bellorum finis imponi*

poni potuerit. Recte *ita*, *ut* expl. *quidem*, *sed*, sic saepe. Nec tamen hoc sufficit. Quaeritur, utrum verba *cum tot exercit.* — *exitum spei* e persona tribunorum querentium dicantur, an e persona Livii, iudicium ferentis de tribunorum facto. Si prius, recte se habet explicatio Drakenborchiana. At dubito, an tribunis commode tribui possint, quia tunc Livius, puto, dixisset *cum* — *opus sit* — *gerantur* — *veniatur;* ut taceamus, si tribuni stipendio opus esse dixissent ipsi, vix eos tributum prohibituros fuisse. Melius ergo tribuuntur Livio, de facto tribunorum iniusto iudicium ferenti, illudque damnanti, ut adeo τὰ *cum tot &c*, explicari debeant: *cum tamen opus esset &c.* At *nullo bello* haud placet. Olim accipiebam *nullo bello* ἀκοντί: ut sensus esset: — *cum tamen* — *opus esset*, *resque militiae ita prospere gererentur, ut nullo fere bello, sponte, nulla opera veniri posset* seu *potuisset ad exitum spei.* Et tum sequens *namque* quadraret. At nunc puto leg. *multo*; sensus *cum tamen tot exercitibus stipendio opus esset, resque militiae quidem prospere satis gererentur, ita tamen, ut non nisi multo bello veniretur* seu *veniri posset ad exitum spei.* Sic melius cohaerent omnia: *quia nonnisi multo bello ad exitum spei veniri poterat, propterea stipendio opus erat militibus, ac propterea iniuste agunt tribuni impedientes tributum, unde stipendium militibus penditur.* Pro *namque*, quod sequitur, melius foret *iamque.*

Cap. 14. non pr. ab in.

Itaque clarissimis viris — praeparatis ad petendum — nihilominus ipsi (patres) *perinde ac si omnes candidati essent, cuncta experientes, non homines modo, sed deos etiam* excipiebant, *in religionem vertentes &c.*] Verbum *excipiebant* interpretibus molestiam exhibet tantam, ut locus pro desperato habeatur. Crevierius coni. *acciebant*, Drak. *exciebant.* Difficile sane est, verbum reperire, quod et ad homines et ad deos commode referatur, neque a vestigiis verbi *excipiebant*

nt longe abeat. Dicere vult Livius: patres non modo *mines* rogasse, sed et *Deos*, h. e. Deorum iram *commemo-asse*, ut eo magis plebem ad magistratus patricios creandos mpellerent; *τὸ rogasse* et *commemorasse* uno verbo *excipie-ant* exprimit. Videbatur verbum requiri quod *adhibere*, *i*, vel simile quid notaret. Quid si hoc ipsum notat *exci-bant*, modo fortiori significatione sumatur? *Excipere* pro-ie de venantibus dicitur, estque *aggredi feras*. Quid si h. l. foret: *Patres, cuncta experientes, aggrediebantur et mines et Deos, (Sie machten sich an Götter und Menschen, at-quirten Götter und Menschen.)* Facete dictum existimo: ac ore quodam Attico, si graece scripsisset Livius, scripsis-cum dicerem. De iis, qui anxie quid quaerunt, et, ut consequantur, nulli labori parcunt, cur tam forte ver-n non usurpari possit, non video, cum verba e venatione a omnino et ap. Graecos et ap. Latinos de magno stu-acquirendi aliquid ponantur. Xenoph. θηρᾶν sic saepe est, v. c. Cyrop. II. — συνεργὲς — θηρατέον εἶναι λόγοις καὶ ἔργοις, h. e. — *studiose comparandos esse* — Xenoph. Memor. I, 2. §. 24. ubi Ernestius V. Cl. et, em laudat, Dorvill. ad Charit. it. II. 6. §. 8. Sic Phaedr. , 4. *filia formosa et oculis* venans *viros*. Recte itaque *ipere* hic toleratur, ut synonymum τοῦ *venari:* ac, ni fal-, eodem modo dixit Cicero de Orat II, 8. *excipere volun-s hominum*, i. e. *comparare*, et quasi *venari*, ut ap. Phaedr. que tamen nego, durum esse, eos dici aggredi deos, qui tum horum iram memorant commodi sui caussa. At est ezeugmenon, figura illa, qua duo vocabula uni verbo ita nguntur, ut alteri tantum proprie conveniant.

Cap. 26.

Ni fortuna Imperatori Romano simul et cognitae rebus b virtutis specimen et maturam victoriam dedisset.] J. onov. coniicit, — *cognitae re non bellica.* — Non

Q opus

poni potuerit. Recte *ita*, *ut* expl. *quidem*, *sed*, sic saepe. Nec tamen hoc sufficit. Quaeritur, utrum verba *cum tot exercit.* — *exitum spei* e persona tribunorum querentium dicantur, an e persona Livii, iudicium ferentis de tribunorum facto. Si prius, recte se habet explicatio Drakenborchiana. At dubito, an tribunis commode tribui possint, quia tunc Livius, puto, dixisset *cum* — *opus sit* — *gerantur* — *veniatur;* ut taceamus, si tribuni stipendio opus esse dixissent ipsi, vix eos tributum prohibituros fuisse. Melius ergo tribuuntur Livio, de facto tribunorum iniusto iudicium ferenti, illudque damnanti, ut adeo *τὰ cum tot &c.* explicari debeant: *cum tamen opus esset &c.* At *nullo bello* haud placet. Olim accipiebam *nullo bello* ἀκοντί: ut sensus esset: — *cum tamen* — *opus esset*, *resque militiae ita prospere gererentur, ut nullo fere bello, sponte, nulla opera veniri posset* seu *potuisset ad exitum spei.* Et tum sequens *namque* quadraret. At nunc puto leg. *multo*; sensus *cum tamen tot exercitibus stipendio opus esset, resque militiae quidem prospere satis gererentur, ita tamen, ut non nisi multo bello veniretur* seu *veniri posset ad exitum spei.* Sic melius cohaerent omnia: *quia nonnisi multo bello ad exitum spei veniri poterat, propterea stipendio opus erat militibus, ac propterea iniuste agunt tribuni impedientes tributum, unde stipendium militibus penditur.* Pro *namque*, quod sequitur, melius foret *iamque.*

Cap. 14. non pr. ab in.

Itaque clarissimis viris — praeparatis ad petendum — nihilominus ipsi (patres) *perinde ac si omnes candidati essent, cuncta experientes, non homines modo, sed deos etiam* excipiebant, *in religionem vertentes &c.*] Verbum *excipiebant* interpretibus molestiam exhibet tantam, ut locus pro desperato habeatur. Crevierius coni. *acciebant*, Drak. *exciebant.* Difficile sane est, verbum reperire, quod et ad homines et ad deos commode referatur, neque a vestigiis verbi *excipiebant*

bant longe abeat. Dicere vult Livius: patres non modo *homines* rogasse, sed et *Deos*, h. e. Deorum iram *commemorasse*, ut eo magis plebem ad magistratus patricios creandos impellerent; *τὸ rogasse* et *commemorasse* uno verbo *excipiebant* exprimit. Videbatur verbum requiri quod *adhibere*, *uti*, vel simile quid notaret. Quid si hoc ipsum notat *excipiebant*, modo fortiori significatione sumatur? *Excipere* proprie de venantibus dicitur, estque *aggredi feras*. Quid si et h. l. foret: *Patres, cuncta experientes, aggrediebantur et homines et Deos*, (*Sie machten sich an Götter und Menschen, attaquirten Götter und Menschen.*) Facete dictum existimo: ac lepore quodam Attico, si graece scripsisset Livius, scripsisse eum dicerem. De iis, qui anxie quid quaerunt, et, ut hoc consequantur, nulli labori parcunt, cur tam forte verbum non usurpari possit, non video, cum verba e venatione ducta omnino et ap Graecos et ap. Latinos de magno studio acquirendi aliquid ponantur. Xenoph. θηρᾷν sic saepe usus est, v. c. Cyrop. II. — *συνεργοὺς* — *θηρατέον εἶναι καὶ λόγοις καὶ ἔργοις*, h e. — *studiose comparandos esse* — add Xenoph Memor I, 2. §. 24. ubi Ernestius V. Cl. et, quem laudat, Dorvill. ad Charit. it. II. 6. §. 8. Sic Phaedr. IV, 4. *filia formosa et oculis* venans *viros*. Recte itaque *excipere* hic toleratur, ut synonymum τοῦ *venari*: ac, ni fallor, eodem modo dixit Cicero de Orat II, 8. *excipere voluntates hominum*, i. e *comparare*, et quasi *venari*, ut ap Phaedr. Neque tamen nego, durum esse, eos dici aggredi deos, qui tantum horum iram memorant commodi sui caussa. At est synezeugmenon, figura illa, qua duo vocabula uni verbo ita iunguntur, ut alteri tantum proprie conveniant.

Cap. 26.

Ni fortuna Imperatori Romano simul et cognitae rebus bellicis virtutis specimen et maturam victoriam dedisset.] J. Fr. Gronov. coniicit, — *cognitae re non bellica.* — Non

poni potuerit. Recte *ita*, *ut* expl. *quidem*, *sed*, sic saepe. Nec tamen hoc sufficit. Quaeritur, utrum verba *cum tot exercit.* — *exitum spei* e persona tribunorum querentium dicantur, an e persona Livii, iudicium ferentis de tribunorum facto. Si prius, recte se habet explicatio Drakenborchiana. At dubito, an tribunis commode tribui possint, quia tunc Livius, puto, dixisset *cum* — *opus sit* — *gerantur* — *veniatur;* ut taceamus, si tribuni stipendio opus esse dixissent ipsi, vix eos tributum prohibituros fuisse. Melius ergo tribuuntur Livio, de facto tribunorum iniusto iudicium ferenti, illudque damnanti, ut adeo τὰ *cum tot &c.* explicari debeant: *cum tamen opus esset &c.* At *nullo bello* haud placet. Olim accipiebam *nullo bello* ἀκονιτί: ut sensus esset: — *cum tamen* — *opus esset*, *resque militiae ita prospere gererentur*, *ut nullo fere bello*, *sponte*, *nulla opera veniri posset* seu *potuisset ad exitum spei.* Et tum sequens *namque* quadraret. At nunc puto leg. *multo*; sensus *cum tamen tot exercitibus stipendio opus esset*, *resque militiae quidem prospere satis gererentur*, *ita tamen*, *ut non nisi multo bello veniretur* seu *veniri posset ad exitum spei.* Sic melius cohaerent omnia: *quia nonnisi multo bello ad exitum spei veniri poterat*, *propterea stipendio opus erat militibus*, *ac propterea iniuste agunt tribuni impedientes tributum*, *unde stipendium militibus penditur.* Pro *namque*, quod sequitur, melius foret *iamque.*

Cap. 14. non pr. ab in.

Itaque clarissimis viris — *praeparatis ad petendum* — *nihilominus ipsi* (patres) *perinde ac si omnes candidati essent*, *cuncta experientes*, *non homines modo*, *sed deos etiam* excipiebant, *in religionem vertentes &c.*] Verbum *excipiebant* interpretibus molestiam exhibet tantam, ut locus pro desperato habeatur. Crevierius coni. *acciebant*, Drak. *exciebant.* Difficile sane est, verbum reperire, quod et ad homines et ad deos commode referatur, neque a vestigiis verbi *excipie-*

bant

bant longe abeat. Dicere vult Livius: patres non modo *homines* rogaſſe, ſed et *Deos*, h. e. Deorum iram *commemoraſſe*, ut eo magis plebem ad magiſtratus patricios creandos impellerent; *τὸ rogaſſe* et *commemoraſſe* uno verbo *excipiebant* exprimit. Videbatur verbum requiri quod *adhibere*, *uti*, vel ſimile quid notaret. Quid ſi hoc ipſum notat *excipiebant*, modo fortiori ſignificatione ſumatur? *Excipere* proprie de venantibus dicitur, eſtque *aggredi feras*. Quid ſi et h. l. foret: *Patres*, *cuncta experientes*, *aggrediebantur et homines et Deos*, *(Sie machten ſich an Götter und Menſchen*, *attaquirten Götter und Menſchen.)* Facete dictum exiſtimo: ac lepore quodam Attico, ſi graece ſcripſiſſet Livius, ſcripſiſſe eum dicerem. De iis, qui anxie quid quaerunt, et, ut hoc conſequantur, nulli labori parcunt, cur tam forte verbum non uſurpari poſſit, non video, cum verba e venatione ducta omnino et ap. Graecos et ap. Latinos de magno ſtudio acquirendi aliquid ponantur. Xenoph. θηρᾶν ſic ſaepe uſus eſt, v. c. Cyrop. II. — συνεργὺς — θηρατέον εἶναι καὶ λόγοις καὶ ἔργοις, h. e. — *ſtudioſe comparandos eſſe* — add Xenoph Memor I, 2. §. 24. ubi Erneſtius V. Cl. et, quem laudat, Dorvill. ad Charit. it. II. 6. §. 8. Sic Phaedr. IV, 4. *filia formoſa et oculis* venans *viros*. Recte itaque *excipere* hic toleratur, ut ſynonymum τοῦ *venari:* ac, ni fallor, eodem modo dixit Cicero de Orat II, 8. *excipere voluntates hominum*, i. e *comparare*, et quaſi *venari*, ut ap. Phaedr. Neque tamen nego, durum eſſe, eos dici aggredi deos, qui tantum horum iram memorant commodi ſui cauſſa. At eſt ſynezeugmenon, figura illa, qua duo vocabula uni verbo ita iunguntur, ut alteri tantum proprie conveniant.

Cap. 26.

Ni fortuna Imperatori Romano ſimul et cognitae rebus bellicis virtutis ſpecimen et maturam victoriam dediſſet.] J. Fr. Gronov. coniicit, — *cognitae re non bellica.* — Non

poni potuerit. Recte *ita*, *ut* expl. *quidem*, *sed*, sic saepe. Nec tamen hoc sufficit. Quaeritur, utrum verba *cum tot exercit.* — *exitum spei* e persona tribunorum querentium dicantur, an e persona Livii, iudicium ferentis de tribunorum facto. Si prius, recte se habet explicatio Drakenborchiana. At dubito, an tribunis commode tribui possint, quia tunc Livius, puto, dixisset *cum* — *opus sit* — *gerantur* — *veniatur;* ut taceamus, si tribuni stipendio opus esse dixissent ipsi, vix eos tributum prohibituros fuisse. Melius ergo tribuuntur Livio, de facto tribunorum iniusto iudicium ferenti, illudque damnanti, ut adeo τὰ *cum tot &c*, explicari debeant: *cum tamen opus esset &c.* At *nullo bello* haud placet. Olim accipiebam *nullo bello* ἀκονιτί: ut sensus esset: — *cum tamen* — *opus esset*, *resque militiae ita prospere gererentur, ut nullo fere bello, sponte, nulla opera veniri posset* seu *potuisset ad exitum spei.* Et tum sequens *namque* quadraret. At nunc puto leg. *multo*; sensus *cum tamen tot exercitibus stipendio opus esset, resque militiae quidem prospere satis gererentur, ita tamen, ut non nisi multo bello veniretur* seu *veniri posset ad exitum spei.* Sic melius cohaerent omnia: *quia nonnisi multo bello ad exitum spei veniri poterat, propterea stipendio opus erat militibus*, *ac propterea iniuste agunt tribuni impedientes tributum, unde stipendium militibus penditur.* Pro *namque*, quod sequitur, melius foret *iamque.*

Cap. 14. non pr. ab in.

Itaque clarissimis viris — *praeparatis ad petendum* — *nihilominus ipsi* (patres) *perinde ac si omnes candidati essent, cuncta experientes, non homines modo, sed deos etiam* excipiebant, *in religionem vertentes &c.*] Verbum *excipiebant* interpretibus molestiam exhibet tantam, ut locus pro desperato habeatur. Crevierius coni. *acciebant*, Drak. *exciebant.* Difficile sane est, verbum reperire, quod et ad homines et ad deos commode referatur, neque a vestigiis verbi *excipiebant*

bant longe abeat. Dicere vult Livius: patres non modo *homines* rogasse, sed et *Deos*, h. e. Deorum iram *commemorasse*, ut eo magis plebem ad magistratus patricios creandos impellerent; τὸ *rogasse* et *commemorasse* uno verbo *excipiebant* exprimit. Videbatur verbum requiri quod *adhibere*, *uti*, vel simile quid notaret. Quid si hoc ipsum notat *excipiebant*, modo fortiori significatione sumatur? *Excipere* proprie de venantibus dicitur, estque *aggredi feras*. Quid si et h. l. foret: *Patres, cuncta experientes, aggrediebantur et homines et Deos, (Sie machten sich an Götter und Menschen, attaquirten Götter und Menschen.)* Facete dictum existimo: ac lepore quodam Attico, si graece scripsisset Livius, scripsisse eum dicerem. De iis, qui anxie quid quaerunt, et, ut hoc consequantur, nulli labori parcunt, cur tam forte verbum non usurpari possit, non video, cum verba e venatione ducta omnino et ap. Graecos et ap. Latinos de magno studio acquirendi aliquid ponantur. Xenoph. θηρᾶν sic saepe usus est, v. c. Cyrop. II. — συνεργȣς — θηρατέον εἶναι καὶ λόγοις καὶ ἔργοις, h e. — *studiose comparandos esse* — add Xenoph Memor I, 2. §. 24. ubi Ernestius V. Cl. et, quem laudat, Dorvill. ad Charit. it. II. 6. §. 8. Sic Phaedr. IV, 4. *filia formosa et oculis venans viros.* Recte itaque *excipere* hic toleratur, ut synonymum τȣ *venari:* ac, ni fallor, eodem modo dixit Cicero de Orat II, 8. *excipere voluntates hominum*, i. e *comparare*, et quasi *venari*, ut ap. Phaedr. Neque tamen nego, durum esse, eos dici aggredi deos, qui tantum horum iram memorant commodi sui caussa. At est synezeugmenon, figura illa, qua duo vocabula uni verbo ita iunguntur, ut alteri tantum proprie conveniant.

Cap. 26.

Ni fortuna Imperatori Romano simul et cognitae rebus bellicis virtutis specimen et maturam victoriam dedisset.] J. Fr. Gronov. coniicit, — *cognitae re non bellica.* — Non

opus emendatione. Drak. tuetur vulgatam lectionem: sed errat, *specimen* capiens nominativo. *Specimen virtutis cognitae rebus bellicis* quomodo victoriam dat? Non capio Duo dedit fortuna imperatori: 1) specimen virt. 2) victoriam. Not. *dedisset* per Syneze ugmenon duobus vocabulis diversis iungi. Concedo, proprie pertinere hoc verbum ad *victoriam;* at refertur simul ad *specimen.* quomodo? Gronovius negat, *fortunam* dici posse *dare specimen virtutis alicui.* Recte, si nimis subtiliter agas: homines enim proprie edunt specimen. At *dare specimen* h. l. est *dare occasionem* s. *facultatem edendi specimen.* Id quod probari potest. Cic. eodem modo dixit ad Div. IX, ep. 3. §. 3. *dabimus sermonem iis &c.* h. e. *dabimus occasionem loquendi &c.* Imperator in bello gerendo duo spectat: 1) victoriam, 2) gaudet edere specimen virtutis; hinc non quaelibet victoria ei placet. Nil difficultatis relinqui puto, *virtus cognita rebus bellicis*, est virtus quae iam alibi bellicis rebus cognita fuerat.

Cap. 28.

Collaudatos corpora curare — iubet et hostes — fuere obvii.] Haec non cohaerent. τὸ *et* delendum, et post *iubet* signum distinct. max. ponendum. Si pro *et* legi posset *cum,* inprimis placeret haec forma, priscis tam sollemnis.

Cap. 30.

His adhortationibus principis concitati Patres,] τὸ *principis* non placet, nude sic positum, leg. puto *praecipue.* Dicit Livius: his Furii adhortationibus praecipue concitatos esse Patres. Quaenam sunt eae? insunt verbis orationis Furianae posterioribus: *sed nefas ducere desertam ac relictam a diis — incoli urbem:* et — *victrice patria victam mutari:* duae sunt adhortationes, altera a religione, altera a decoro ducta.

Cap. 41.

Cap. 41.

Intuebantur in aedium vestibulis sedentes viros,] supra dixerat *in medio aedium sedere*; quaeritur, an *aedium vestibula* et *medium aedium* synonyma hic sint? Sic capit Dukerus. Non omnino male si cogites, Latinos *medium* non nimis subtiliter intelligere, iisque v. c. ea dici *in medio mari, in media urbe* fieri, quae non procul a littore, a porta fiant. Possint tamen forsan τὰ *in aedium vestibulis* ad *intuebantur* referri, non ad *sedentes viros*, ut Galli dicantur *in aedium vestibulis stetisse*, et intuiti esse Romanos, qui sederent in atrio. Atrium enim melius dicitur *medium aedium*, quam vestibulum.

Cap. 42. in.

Caeterum, seu non omnibus delendae urbis libido erat &c.] Gronov. emendat *non omnis;* male, quia infra dicitur, *et non omnia concremari tecta.* Drakenb vulgatam sic expl. ut dicat, *non omnibus* esse i. q. *nullis*, per hebraismum quod non placet. Ego locum salvum existimo, sicque explicandum. Nempe *omnes* opponuntur *principibus Gallorum; omnes* int. *milites gregarii.* Dicit Livius: *seu omnibus non libido erat delendae urbis*, ut adeo discordia impediret, quo minus urbem incenderent totam; *seu principes eorum noluerunt &c.* caussam ergo, cur Roma tota non conflagraret ait, vel fuisse in militibus gregariis, quia hi non omnes libidine ista flagrabant, vel in eorum principibus, ut qui hac re iis interdixerant, quia scil. voluere tantum ostendere incendium, ad terrorem Romanis iniiciendum, at totam urbem noluerunt incendere, ut, si domus restarent, Romani ad pacem Gallis utilem ineundam impelli possent: quia, urbe plane deleta, hanc non valde curaturos esse Romanos &c.

Lib. VI. Cap. 6.

Qui (populus Rom.) *se dictatorem — creasset,*] Drak. non videns, quomodo a populo Dictator creari possit, putat

forte respici ad id, quod aliquando in rep. observatum fuerit, ut dictator quidem diceretur a magistratu, sed non alius, quam quem populus creari iusserat, v. V, 46. At his ambagibus nil opus. Dictator quidem proprie a summo magistratu, (v. c. consule, trib. mil. cons. pot.) dicitur: at hic dicit illum tamen nomine populi rom. Ergo quod is facit, id populus rom. fecisse dicitur, e vulgari regula: *quod quis per alium facit, id ipse fecisse putatur, vel putandus est.* Sic notum est, iudicia publica, etsi, quaestionibus perpetuis institutis, non a populo amplius, sed a praetoribus nomine populi exercebantur, tamen dici ap. Cic. *iudicia populi &c. Populus rom.* est *tota civitas*, complectens et Senatum. Sed cum h. l. Camillus semel pro *magistratu* posuisset *populum romanum*, dicere etiam cogebatur *creare*, non *dicere: creare* enim est proprie *populi romani.*

Nuper praetermisimus, nescio quomodo, locum hunc II, 4. *nam cum pridie, quam legati ad Tarquinios proficiscerentur*, et *coenatum forte apud Vitellios esset, coniuratique ibi, remotis arbitris, multa — egissent: sermonem eorum ex servis unus excepit &c.* Locus hic non cohaeret, τὸ *et* delendum est: si explices per *etiam*, languida foret oratio. Sufficiant haec in Livium. Caetera, Deo volente, in posterum dabimus.

Apud Florum, qui inprimis corruptus adhuc videtur, in prooemio vulgo (utor ed. Graev. neque igitur Dukeri ingenio frui licuit,) legitur §. 3. *Quare cum praecipue hoc quoque, sicut cetera, operae pretium sit cognoscere: tamen &c.* At cum Cod. Rycq. ita legat: *quare cum tam praecipue hoc quoque sicut cetera operae pretium sit cognoscere: sigilatim &c.* Graevius hanc coniicit manum fuisse Flori: *Quare cum praecipua quaeque operae pretium sit cognoscere sigillatim &c.* At *praecipua* et *sigillatim* cum seqq. *in brevi quasi tabella — imaginem amplector &c.* male cohaerent, ut taceam, sic nimis relinqui vestigia Codicis Rycq. Vide an nos

felicius

felicius coniecerimus: *Quam rem cunctam inde a principio hucusque licet caetera* (i. e. caeteroquin) *operae pretium sit cognoscere sigillatim &c.* Haec egregie cohaerent cum praecedd. et seqq. sicque lectio Cod. Rycq. fere ad verbum exprimitur. *Quare* scriptum erat lineola imposita, quae cum notaret *m*, ab librario indocto neglecta est. E *cum tam* fecimus *cunctam*, aque huius voculae ultima littera *m* absorpta fuit *ir*, ob similitudinem ductuum. Quid facilius, quam e *cum tam de* fieri *cunctam inde:* e *si praecipue* fit *a principio:* ex *hoc quoque* fecimus *hucusque:* e *sicut* denique *licet.* Vix propius ad lectionem Cod. Rycq. accedere poteramus.

Deinde IV, 2. §. 83. Caesar in pugna Mundensi maxime ancipiti versans, *dicitur in illa perturbatione et de extremis agitasse secum, et* ita manifesto *vultu fuisse, quasi occupare mortem vellet.* Graev. coni. *et manifeste vultu praetulisse, quasi occ. mort. voluisset.* (Cod. Rycq. *volet.*) Hoc latinum esse negamus, sicque coniicimus: *et iram infesto vultu praetulisse — vellet.* Nam ex *ita* facile *ira* efficitur et *m* ex seq. vocab. annectitur. *Iram praeferre* (i. e. prae se ferre) *vultu infesto* recte dicitur. Si tamen et τὸ *ita* retinere malis, et τὸ *praetulisse* audaculum videatur, possit sic legi: *et ita etiam infesto vultu fuisse &c.* Nempe scriptum forsan erat olim: *et ita* m̄ *infesto &c.* librarii e τῷ m̄ fecere *in*, facili lapsu, et coniunxere cum *infesto*, ut adeo fieret *minfesto*, unde factum esse deinde *manifesto* quis miretur? τὸ m̄ vero fuit compendium scribendi pro *etiam.*

Ibid. §. 87. pro *interim* lego *interiorem.* Verba sunt: *Sextum fortuna in Celtiberiam interim abscondit.*

In N. T. sumam tria loca, quae difficultatibus premi inter intelligentes constat.

Unus est ille decantatissimus locus de *baptizatione super mortuos,* 1 Cor. 15, 29. In quo explicando etsi interpretes ita desudarunt, ut explicationum multitudine obrutus

fere ille gemat: tamen ſibi nondum ſatis factum eſſe recte iudicant intelligentes. Nolo illas repetere, a Wolfio aliisque operoſe recenſitas. Omnes tamen nimis quaeſitae videntur praeter eam, qua *ſuper mortuos* explicatur *ſuper mortuorum ſepulcra*. Sic Lutherus et alii. Si tamen hic ritus non firmis nitatur fundamentis, aliam, licet nouam, tamen et contextui, et linguae indoli egregie convenientem, hic proponemus. Judicent peritiores! neque enim eam cuiquam obtrudere conamur. Nempe Paullus, oſtenſurus Chriſtum vere in vitam rediſſe, utitur his argumentis: Si Chriſtus cruci olim affixus non rediiſſet in vitam, 1) v. 17. religionem chriſtianam eſſe vanam, niti teſtimonio humano, non divino, (Chriſtus enim tum fuiſſet merus homo,) atque chriſtianos adhuc premi culpa peccatorum; 2) v. 18. eos, qui e Chriſtianis adhuc mortui eſſent, plane *periiſſe*: id quod refellit v. 19 – 28. Jam uti v. 18. de iam mortuis dixerat, ſic 3) v. 29. de iis loquitur, qui adhuc chriſtiani fiant, vel in poſterum futuri ſint: eos ait fruſtra labores moleſtos aerumnaſque ſuſcipere, ſi Chriſtus in vitam non rediiſſet: idque deinde v. 30. et ſeq. in ſe ipſe transfert. Haec de contextu univerſo. Verſum ipſum nunc explicemus: 1) *τί* non puto eſſe accuſativum, qui a *ποιήσουσιν* regatur, (quod omnes interpretes ſtatuerunt,) ſed ſignificare *cur*, int. *διὰ*, ut lat. *quid?* quae eſt res tralaticia. 2) *ποιεῖν* explico *laborare, labores ſuſcipere, eosque moleſtos*, ex hebr. *Aſah*, quod ſic occurrit Ruth. 2, 19. Hagg. 2, 4. ubi a *τοῖς ό* redditur per *ποιεῖν*, ſicque eſt Matth 20, 12, de *pus facientibus* in vinea, qui labor eſt durus: et ſic forſan explicari debet in omnibus locis, ubi vulgo per *commorari* vertitur, v. c. Act. 15, 33. 18, 23. 20, 3. intell. *ἔργον*. maxime vero huc pertinet 2 Cor. 11, 25. ubi *ἐν τῷ βυθῷ πεποίηκα* commodiſſime expl. *aerumnas ſuſcepi*: ut adeo h. l. non opus ſit legere *πονήσουσιν*, quod initio putabam; quanquam haec mutatio facillima foret. 3) *οἱ βαπτιζόμενοι* ſunt *qui adhuc baptizantur*, (nam verbum ſervare lubet,) h. e. *qui adhuc*

chriſtiani

christiani fiunt. Hi opponuntur τοῖς iam κοιμηθεῖσι v. 18. 4) post βαπτιζόμενοι pono signum interrogationis; 5) ὑπὲρ sumo vi sollemni, *propter*; 6) νεκρῶν expl. *mortuos* (physice) ita tamen, ut Christus praecipue intelligatur. Nempe non cum Oleario puto, pluralem hic pro singulari poni, quae enallage arctioribus limitibus coërcetur. Neque enim v. c. dicere possum, cum alicui *unum librum* mitto, *misi ei libros* — At si quis ob unum librum amissum vehementer doleat, possum dicere, *quis ob libros amissos tantopere doleat? Wer wird sich wegen Bücher so sehr betrüben?* Tunc solet oratio, ad indicandam rei indignitatem, ab individuo (ut sic loquar) ad speciem vel genus transferri, ita tamen, ut ad individuum illud maxime respiciatur. Sic prisci semper, vide, ne longus esse cogar, Hoogev. ad Viger. p. 30. qui unum graecum, plura latina laudat exempla. Graecum est e Luciano in dial. mort. ubi Alexander dicitur *se in conviviis inquinasse caedibus amicorum*, cum de uno amico Clito hoc constet. E latinis laudo Virg. Aen VII, 356. ubi Amata, uxor Latini, indignans, quod Lavinia filia, desponsata iam Turno, Aeneae, tanquam *exuli* tradatur, ait:

Exulibusne datur ducenda Lavinia *Teucris?* pro *exuli Teucro* h. e. *Aeneae.* Eodem modo Christus proprie quidem non dici potest νεκροὶ in plurali; et si quis ponat, Christum mortuum vere esse, nec deinde in vitam redisse, is, indignationem rei indicans, dicere possit: *quis ob mortuos suscipiat labores?* Verto itaque hunc locum: *Cur, qui nunc baptizantur*, h. e. caeteri christiani, (qui opponuntur mortuis iam v. 18.) *laborabunt* s. *labores aerumnasque suscipient? Propter mortuos: si mortui plane in vitam non redeunt? atque ita nec Christus rediit.* Not. articulum τῶν non debere definiti quid notare: sic Hebraei *He* articuli saepe indefinite ponunt; 7) post βαπτίζονται itidem pono signum interrogationis, uti et post νεκρῶν. Totum versum sic verterim verna-

vernacule: *Wenn dem nicht so ist* (ἐπεὶ), *nehmlich, daſs Christus auferstanden, warum wollen denn die itzigen Christen* (ſ. *die noch itzt getaufet werden, und im Begriff ſind Christen zu werden,*) *ſich ſo viel Mühe geben, ſo viel Arbeit, Strapazen und Noth über ſich nehmen? Etwa um todter Leute willen, wenn Verſtorbne gar nicht wieder auferſtehen? Warum laſſen ſie ſich denn auch taufen? Etwa um todter Leute willen?* Senſus, puto, planus eſt. Interrogatio ὑπὲρ νεκρῶν repetita, docet ridicule ſtulteque eum agere, qui labores aerumnasque in hac vita, atque etiam baptiſmum ob *mortuos*, h. e. meros homines ſuſcipiat, a quibus nil praemii poſt hanc vitam propterea expectare poſſit. καὶ infert gradationem, eſtque *adeo*. Poſſit etiam poſt prius νεκρῶν poni ſign. interrogationis: — *etwa um todter Leute willen? Wenn nun die Todten gar nicht wieder auferſtehen?* Oratio ſic creſcit. Caeterum huic explicationi egregie verſus ſeq. convenit, ubi Paullus ait: *Cur etiam nos* (i e ego) *pericula vitae ſubimus &c.* ut adeo, quod v. 29. de aliis chriſtianis tum viventibus dixerit, id v. 30. ſeqq. de ſe ſpeciatim dicat. Linguae indoli ſingula reſpondent. Vocabula capiuntur notionibus notiſſimis. Interpunctiones mutare, quod unum fecimus, liberum utique eſt, ut quas a Paullo non profectas eſſe hodie nemini religioni eſt credere.

Alter locus eſt Philipp. 1, 21. ἐμοὶ γὰρ τὸ ζῆν χριστὸς καὶ τὸ ἀποθανεῖν κέρδος. Membrum poſterius eſt facillimum, non item prius. Lutheri verſionem repugnare contextui et linguae rationi intelligit, quicunque litteras graecas attigit: τὸ ζῆν eſt ſubiectum, non χριστός. Docet hoc 1) articulus priori verbo praepoſitus: ſic Joh 1, 1, καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος; articulus itidem docet, poſterius vocabulum eſſe ſubiectum. 2) Oppoſitio, τὸ ζῆν — τὸ ἀποθανεῖν. Hoc certum. Errant deinde, qui vertunt: *Mihi enim eſt Chriſtus et in vita et in morte lucrum:* non propter traiectionem, ut Wolfius iudicat; duriores traiectiones novimus

mus; sed ob contextum maxime. Paullus, ut e praeced. et seqq apparet, mori quidem optat, ita tamen, ut propter Christum cuius religionem vivus longius propagare poterat, vivere etiam cupiat. Hinc v. 23. dicit, dubium se esse, utrum vitam an mortem praeoptet: *hanc* sibi magis profuturam, quia sic in coelum ad Christum sit venturus: *illam* vero necessariam esse ob Philippenses, quibus, ut et aliis ecclesiis, doctrinam christianam sic diutius tradere possit Ex his sequitur, ut locus iste (v. 21.) hunc sensum habeat: *Vita mea prodest christianae doctrinae, atque adeo*, vt sic loquar, *Christo; cuius religio sic propagari potest: mors contra est mihi lucro.* Hic est sensus. At tum debebat proprie esse τὸ γὰρ ἐμὲ ζῆν χριστῷ· καὶ τὸ ἀποθανεῖν ἐμοὶ κέρδος. Bene, si sic Paullus scribere voluisset At quomodo sensus iste e verbis Paullinis, ut nunc sunt, elicitur? ἐμοὶ γὰρ τὸ ζῆν χριστὸς, est ad verbum, *mihi enim vita est Christus:* quid hoc est? puto ἐμοὶ vel παρέλκειν, ut saepe, vel potius positum esse pro genitivo, *mea enim vita est Christus, (ist ganz Christus,)* ut fere nostri, *er ist ganz Liebe*, i. e. *der Liebe gewiedmet*, E et h. l. *Vita mea est tota Christo eiusque religioni dicata, atque adeo tota occupata religione Christiana propaganda.* Sensus planus, ἐμοὶ pro ἐμὲ poni haud novum. Graeci et Latini utuntur saepe dativis pro genitivis, idque eleganter. Verte igitur: *Vita enim mea est tota dicata Christo, eiusque religioni a me propagandae: mors vero mea est mihi lucro:* ut adeo ἐμοὶ non modo ad τὸ ζῆν, sed etiam ad ἀποθανεῖν pertineat. *Christum* vero in N. T. significare quoque *religionem christianam*, non novum est.

Tertius locus est 1 Tim. 2, 15. σωθήσεται δὲ (ἡ γυνὴ) διὰ τῆς τεκνογονίας, ἐὰν μείνωσιν ἐν πίστει κ. τ. λ. Mulier *per* s. *propter* partum liberorum vitam aeternam nequit consequi. Verba διὰ τῆς τεκν. praeponenda τῷ σωθήσ. ut ἐὰν μειν. arctius cum hoc cohaereant. sicque locum verterim, *Attamen in partu liberorum* (*bey dem Kindergebähren*)


 particeps

particeps fiet quoque vitae aeternae, si &c. Vernacule: *Bey alle dem Kindergebähren,* (qui partus cum dolore coniunctus est poena illi a Deo inflicta,) *wird sie (Eva nebst den übrigen Weibern) auch so gut, als die Männer, selig werden, so sie im Glauben bleiben &c.* Subiectum ad σωθήσεται pertinens proprie est Eva, de qua v. praeced: at simul caeterae mulieres comprehenduntur, hinc pluralis μείνωσι sequitur, hinc etiam fut. σωθήσεται, cum alioquin esse deberet ἐσώθη. Sensus planus. At tunc διὰ foret i. q. ἐν. Quod etsi durum est quodammodo, tamen defendi posse puto non modo formulis graecis, διὰ λιμῆς ἔχειν, διὰ χειρὸς ἔχειν &c. ubi διὰ pro ἐν positum videtur; sed etiam locis similibus, v. c. Rom. 4, 11. 2 Cor. 6, 8. quanquam largior, loca haec nostro non plane esse similia. Caeterum sensus est planus. Consolatur Paullus mulieres, quas v. praec. depresserat. Neque tamen, ut ingenue loquar, omnino reiicienda est Knachtbulli interpretatio, si quidem rite defendatur et illustretur. Explicat is, sequutus patrum nonnullorum auctoritatem, διὰ τῆς τέκνου. *per semen mulieris*, h. e. *Christum.* 1) διὰ sic vi sollemni sumitur, quod interpretationem valde commendat. 2) τεκνογονία propr. *partus liberorum* vel *filii* h. l. foret, *filius* h. e. Christus. Sic *partus* ap. Cic. pro *prole* dici, notumest. Solet enim *actio* pro *re ipsa* poni: sic νέκρωσις pro θανάτῳ, 2 Cor. 4, 10. Φωτισμὸς pro Φωτὶ ibid. v. 4. ut et ap. Alex. Psalm. 27, 1. sic *advocatio* pro *advocatis*, Liv. III, 47. *legatio* pro *legatis*, Id. I, 9. IV, 58. V, 37. item *coniuratio* pro *coniuratis &c.* ut taceam saepe abstracta pro concretis poni, ut *agriculturam* pro *agricolis*, Cic. Senect. 15. extr. *matrimonium* pro *coniugibus*, v. Duker. ad Flor. I, 1, 10. *remigium* pro *remigibus*, Liv. XXXIII, 48. Hor. I, ep. 6. v. 62. et centies *servitium* pro *servis* ap. Liv.

PRO-

PROBLEMA.

Circa focum ⊙ Sectionem conicam describere, quae per data tria puncta, *F*, *G* et *H* transeat.



Solutio.

Sumta pro lubitu recta ⊙*N*, sint anguli $N\odot F = F$; $N\odot G = G$; et $N\odot H = H$: ac distantiae $\odot F = f$; $\odot G = g$; $\odot H = h$. Unde fiat angulus $F\odot H = H - F$ et ζ, et angulus $G\odot H = H - G = \eta$.

Pro quaesitis sit primo $\odot\pi$ axis positio, b semiparameter orbitae, e eius excentricitas, et vocetur angulus $\pi\odot H = \varphi$, erit angulus $\pi\odot G = \varphi + \eta$, et angulus $\pi\odot F = \varphi = + \zeta$.

Tum ex natura Sectionum conicarum erit

$$f = \frac{b}{1 + e\,\text{cof.}\,(\varphi + \zeta)}; \text{ hinc I. } e\,\text{cof.}\,(\varphi + \zeta) = \frac{b}{f} - 1$$

similique modo II. e cof. $(\varphi + \eta) = \dfrac{b}{g} - 1$ et III. e cof.

$$\varphi = \frac{b}{h} - 1.$$

 I. per

I. per III. divisa dat $\frac{\text{cos.}(\varphi+\zeta)}{\text{cos.}\,\varphi}=\frac{\frac{1}{f}-\frac{1}{b}}{\frac{1}{b}-\frac{1}{b}}$ sive

$$\text{cos.}\,\zeta-\text{sin.}\,\zeta\ \text{tang.}\,\varphi=\frac{\frac{1}{f}-\frac{1}{b}}{\frac{1}{b}-\frac{1}{b}}$$

quae sit IV; deinde II. per III. divisa eodem modo dabit

V. $\text{cos.}\,\eta-\text{sin.}\,\eta\ \text{tang.}\,\varphi=\frac{\frac{1}{g}-\frac{1}{b}}{\frac{1}{b}-\frac{1}{b}}$: Hinc V. per sin. ζ — IV. per sin. η dabit VI. $\text{sin.}(\zeta-\eta)=\left((\frac{1}{g}-\frac{1}{b})\ \text{sin.}\,\zeta-(\frac{1}{f}-\frac{1}{b})\ \text{sin.}\,\eta\right):(\frac{1}{b}-\frac{1}{b})$ quae reducitur ad hanc $(\frac{1}{b}-\frac{1}{b})\ \text{sin.}(\zeta-\eta)=(\frac{1}{g}-\frac{1}{b})\ \text{sin.}\,\zeta-(\frac{1}{f}-\frac{1}{b})\ \text{sin.}\,\eta$. unde substitutis pro ang. ζ et η valoribus $H-F$ et $H-G$, colligitur

$$\frac{1}{b}=\frac{\frac{1}{f}\,\text{sin.}(H-G)+\frac{1}{g}\,\text{sin.}(F-H)+\frac{1}{b}\,\text{sin.}(G-F)}{\text{sin.}(H-G)+\text{sin.}(F-H)+\text{sin.}(G-F)}$$

Invento autem b erit $\text{tang.}\,\varphi=\text{cot.}\,\zeta-(\frac{1}{f}-\frac{1}{b}):(\frac{1}{b}-\frac{1}{b})\ \text{sin.}\,\zeta$

vel $\text{tang.}\,\varphi=\text{cot.}\,\zeta-\frac{\frac{1}{f}-\frac{1}{b}}{\frac{1}{b}-\frac{1}{b}}\cdot\text{cosec.}\,\zeta$ id est

$$\text{tang.}\,\pi\odot H=\text{cot.}(H-F)-\frac{\frac{1}{f}-\frac{1}{b}}{\frac{1}{b}-\frac{1}{b}}\cdot\text{cosec.}(H-F)$$

= —

$$= -\cot.(F-H) + \frac{\frac{1}{f}-\frac{1}{b}}{\frac{1}{h}-\frac{1}{b}} \cdot \operatorname{cosec.}(F-H) \text{ at}$$

$$\frac{1}{f}-\frac{1}{b} = \frac{\left(\frac{1}{f}-\frac{1}{g}\right)\sin.(F-H)+\left(\frac{1}{f}-\frac{1}{h}\right)\sin.(G-F)}{\sin.(H-G)+\sin.(F-H)+\sin.(G-F)}$$

$$\text{et } \frac{1}{h}-\frac{1}{b} = \frac{\left(\frac{1}{h}-\frac{1}{f}\right)\sin(H-G)+\left(\frac{1}{h}-\frac{1}{g}\right)\sin.(F-H)}{\sin.(H-G)+\sin.(F-H)+\sin.(G-F)}$$

Cum ergo $\text{tang.}\,\pi \odot H = \dfrac{-\left(\frac{1}{b}-\frac{1}{h}\right)\cos.(F-H)+\frac{1}{f}-\frac{1}{h}}{\left(\frac{1}{h}-\frac{1}{b}\right)\sin.(F-H)}$

erit substituendo, evolvendo, et pro ang. $G-F$ scribendo $-(F-H)-(H-G)$

$$\text{tang.}\,\pi \odot H = \frac{\frac{1}{f}-\frac{1}{g}+\left(\frac{1}{h}-\frac{1}{f}\right)\cos.(H-G)-\left(\frac{1}{h}-\frac{1}{g}\right)\cos.(F-H)}{\left(\frac{1}{h}-\frac{1}{g}\right)\sin.(F-H)+\left(\frac{1}{h}-\frac{1}{f}\right)\sin.(H-G)}$$

Hinc denique ex IIItia eruitur excentricitas $e = \dfrac{\frac{1}{h}-\frac{1}{b}}{\frac{1}{b}\cos.\pi \odot H}$

Ponamus brevitatis gratia $\frac{1}{g}-\frac{1}{h}=p$; $\frac{1}{h}-\frac{1}{f}=q$; $\frac{1}{f}-\frac{1}{g}=r$

deinde $H-G=P$; $F-H=Q$; $G-F=R$;

ut sit $R=-P-Q$; vel $P+Q=-R$

erit $\text{tang.}\,\pi \odot H = \dfrac{r+q\cos.P+p\cos.Q}{q\sin.P-p\sin.Q}$

 hinc

hinc $\cos. \pi \odot H = \dfrac{q \sin. P - p \sin. Q}{\sqrt{(pp+qq+rr+2pq\cos. R+2pr\cos. Q + 2qr\cos. P)}}$

porro $\dfrac{1}{b} = \dfrac{\frac{1}{f}\sin. P + \frac{1}{g}\sin. Q + \frac{1}{h}\sin. R}{\sin. P + \sin. Q + \sin. R}$ et

$$\frac{1}{h} - \frac{1}{b} = \frac{q \sin. P - p \sin. Q}{\sin. P + \sin. Q + \sin. R}$$

consequenter $e = \dfrac{\sqrt{(pp+qq+rr+2pq\cos. R+2pr\cos. Q + 2qr\cos. P)}}{\frac{1}{f}\sin. P + \frac{1}{g}\sin. Q + \frac{1}{h}\sin. R}$

Corollarium.

Invenimus semiparametrum

$$b = \frac{(\sin.(H-G)+\sin.(F-H)+\sin.(G-F))fgh}{gh\sin.(H-G)+hf\sin.(F-H)+gf\sin.(G-F)}$$

At $gf\sin.(G-F) = 2\Delta F\odot G$; $hf\sin.(F-H) = -2\Delta F\odot H$; $gh\sin.(H-G) = 2\Delta G\odot H$:

(vide figuram:) hinc porro $gf\sin.(G-F)+hf\sin.(F-H)+gh\sin.(H-G) = 2\Delta F\odot G - 2\Delta F\odot H + 2\Delta G\odot H.$ $= 2\Delta FGH$: unde erit

$$b = \frac{fgh(\sin.(H-G)+\sin.(F-H)+\sin.(G-F))}{2\Delta FGH}$$

Producantur rectae $\odot F$, $\odot G$, $\odot H$, in f, g, h, ut sit $\odot f = \odot g = \odot h = k$, et ductis rectis fg, fh, gh, erit $\Delta fgh = \frac{1}{2}kk\sin.(G-F) + \frac{1}{2}kk\sin.(H-G)$ $+ \frac{1}{2}kk$


$+ \frac{1}{2} kk$ sin. $(F - H)$. Ergo semiparameter noster

$$b = \frac{2 \Delta fgh \;.\; fgh}{kk \;.\; 2 \Delta FGH} = \frac{fgh}{kk} \cdot \frac{\Delta fgh}{\Delta FGH}$$

Sit iam $k = \sqrt[3]{fgh}$ fietque $\frac{b}{k} = \frac{\Delta fgh}{\Delta FGH}$: qua formula Theorema elegantissimum continetur.

Si in figura adposita $\odot f^3 = \odot F \,.\, \odot G \,.\, \odot H$ erit $\Delta FGH : \Delta fgh = \odot f$: Semiparametrum sectionis conicae per tria puncta FGH transeuntis; ab $\odot f = \odot g = \odot h$.

THEOREMA.



Data distantia cometae a Sole $\odot G = v$, una cum angulo ψ, quem ea cum tangente facit orbitae parabolicae, erit tempus quo ex G ad perihelium pertingit: $v \sqrt{2v} \times [\text{cos.}\, \psi - \frac{1}{3} \text{cos.}\, \psi^3]$ quod tempus exprimitur per arcum circuli radio $= 1$ descripti, qui metitur motum medium Solis pro eodem temporis intervallo.

Corollaria.

1. Si angulus $\psi = 0$, cometa recta ad solem descendeti eoque perveniet tempore $\frac{2}{3} v \sqrt{2v}$. At si angulus, $\psi = 90°$, tempus evanescit, quia cometa in ipso perihelio est.

2. Quae-

2. Quaeratur angulus ψ ſub quo cometa tardiſſime ad perihelium pertingit, manente diſtantia v eadem? Erit ergo — ſin. ψ + 2 ſin. ψ . coſ. $\psi^2 = v$, hinc ſin. ψ = coſ. $\psi = \frac{1}{\sqrt{2}}$ et angulus quaeſitus $\psi = 45°$. At poſito $\psi = 45°$, erit tempus $= \frac{2}{3} v \sqrt{v}$.

3. Quia coſ. $\psi^3 = \frac{3}{4}$ coſ. $\psi + \frac{1}{4}$ coſ. 3ψ erit illud tempus, quo cometa ad perihelium pertinget $\frac{v \sqrt{v}}{\sqrt{2}}$ (coſ. $\psi - \frac{1}{3}$ coſ. 3ψ.)

Reſolutio aequationis cubicae $y^3 + ay = b$.

Quaeratur angulus α ita ut cot. $2\alpha = \frac{3b\sqrt{3}}{2a\sqrt{a}}$: tunc porro quaeratur angulus b, ut ſit tang. $b = \sqrt[3]{\text{tang. } \alpha}$: erit radix aequationis propoſitae $y = 2\sqrt{\frac{1}{3}a} \times$ cot. $2b$.

Reſolutio aequationis cubicae $y^3 - ay = b$.

Caſu $3b\sqrt{3} > 2a\sqrt{a}$: quaeratur angulus α ita ut ſin. $2\alpha = \frac{2a\sqrt{a}}{3b\sqrt{3}}$: quaeratur porro angulus b ut ſit tang. $b = \sqrt[3]{\text{tang. } \alpha}$: eritque radix aequationis propoſitae $y = 2\sqrt{\frac{1}{3}a} \times$ coſec. $2b$, vel $y = \frac{2\sqrt{\frac{1}{3}a}}{\text{ſin. } 2b}$.

At caſu $3b\sqrt{3} < 2a\sqrt{a}$, aequatio habebit tres radices reales, quae per methodum cognitam vel triſectionem anguli facile eruuntur.

CODEX

CODEX DIPLOMATICUS ANECDOTORUM, res Moguntinas, Trevirenses, Franconicas, Palatinas, finitimarumque regionum, nec non ius Germanicum et S. R. I. historiam vel maxime illustrantium: TOMUS V. *ex schedis VAL. FERD. S. R. I. Lib. Bar. DE GUDENUS, Camerae Imper. quondam Assess. ut et FRID. CAR. DE BURI, Sereniss. Principi Ludovico Hassiae Landgravio a consiliis secret. collegit, digessit, produxit, HENR. WILH. ANT. BURI, Serenissimae ac Celsiss. domus Ysenburg. Consiliarius et Archivarius.*

Francof. et Lipf. typis Ulr. Weifs, typogr. Offenbacenf. 1768. Alphab .7 una cum praefat. et indicibus, in fol.

Habet hic codex diplomaticus apud omnes hiftoriarum et iuris publ. ftudiofos maximam utilitatis commendationem, five fpectes diplomata ipfa, et eorum diligentiffimam defcriptionem, five indices operofos et utiles huic collectioni additos; five denique alias virtutes, quas minutatim enumerare propter earum multitudinem non poffumus. Mortuo immortali Gudeno, collectio diplomatum Wetzlarienfium fatis magna pervenit in manus Domini de Buri, confiliarii Darmftadenfis, qui partim e fuo ipfius, partim ex amicorum apparatu, adeo multas addidit acceffiones ut iam fufficeret materia edendo codicis Gudeniani Tomo V. Quem cum emittere in publicum muneris negotiis impeditus non potuiffet, demandavit eam curam fratri Henr. Wilh. Antonio, confiliario et archivario Yfenburgenfi, qui officio fuo fatisfacturus, non modo nova diplomata accuratiffime defcripta adiunxit, verum etiam Tomum III. et IV. utiliffimis indicibus locupletauit. Tomo V. praepofuit do-

S minus

minus *de Ohlenſchlager*, vir de iure S. R. I. publico longe meritiſſimus, praefationem eruditam et utilem, unde quaedam repetere de vita Gudeni properamus. Natus erat Moguntiae anno 1679. d. 19. Junii. Patrem habuit Urbanum Ferdinandum de Gudenus, Electoris Moguntini conſiliarium, matrem nobilem de Birig. Litterarum ſtudiis operam navavit Moguntiae, Taurini, Mediolani; unde per Exarchatum et regnum Neapolitanum, Venetiam item, Tergeſtum, et Viennam Auſtriacam, rediit in urbem patriam. Neque tamen ibi diu ſe tenuit, verum brevi poſt abiit in Galliam, et deinceps praxeos camerae imperialis addiſcendae cauſſa Wetzlariam. Anno 1706. conſiliarius principis Badenſis factus, ſeptem annis poſt huic ipſi muneri valedixit. Conſtitutus a. 1722. a circulo Franconico Camerae imperialis aſſeſſor, duobus annis poſt munus hoc adiit, et uſque ad finem vitae, qui fuit dies 9. Martii a. 1758. cum ſumma laude et gloria tenuit. Ter iniit matrimonium: primum cum virgine nobili de Wachtendonk, alterum cum virgine de Holz, et tertium cum virgine nobili de Stein in Altenſtein. Liberis omnibus inde enatis praematura morte privatus, haeredem bonorum ſuorum conſtituit Phil. Franc. de Gudenus, fratris filium natu maximum, qui pro hac voluntate gratias, ut debuit, acturus, benefactori Wetzlariae et Moguntiae monumentum poſuit, cuius inſcriptiones dominus de Ohlenſchlager proefationi inſeruit. Idem vir longe doctiſſimus, et de re litteraria publica meritiſſimus, in fine præfationis nobis gratum pollicetur munuſculum, nimirum VItum huiusce collectionis Tomum, quae quidem ipſius opera et diligentia eruditis viris probatur.

Iam, quae inſint in hoc V. Tomo, breviter indicabimus. 1) Diplomatarium eccleſiae collegiatae Wetzlarienſis, quo continentur 211. diplomata, inde a p. 1. uſque ad 308. Additus eſt Dom. de Gudenus Elenchus Praelatorum eccleſiae Wetzlarienſis. 2) Collectio diplomatum C. ad illuſtran-

luſtrandam hiſtoriam comitum a Reineck inſervientium, a p. 344–600. Haec diplomata ſunt ex apparatu nobilis de Buri. 3) Sylloge chartarum ineditarum 124. praeſertim res Palatinas illuſtrantium, a p. 662 – 752. Qui libellus ab eodem viro profectus, multum facit ad illuſtrandam non modo nobilium Rhenanarum familiarum, verum etiam totius imperii Germ. hiſtoriam. 4) Spicilegium diplomatum CXXV. ad familias Dynaſtarum et Comitum de Falkenſtein ac Minzenberg ſpectantium, a p. 754. – 992. 5) Manipulus chartarum miſcellanearum LXXXII. ex medio aevo, p. 994 – 1002. quae e multorum archivorum originalibus collectae, Wetteraviam in primis et vicinas regiones ſpectant, multumque et genealogiae et hiſtoriarum ſtudioſis adferre poſſunt utilitatis. 6) Appendix tripartita, quae complectitur α) Val. Ferd. L. B. de Gudenus notamina ſupplementa, emendationes et additiones, ad Ge. Chriſt. Joannis res Moguntinas, inde a pag. 1093 — 1107. β) Eiusdem emendationes et additiones ad praedicti Joannis Syllabum Praelatorum et Canonicorum Moguntinenſium, p. 1108 – 1163. γ) Corrigenda et addenda ad Codicis huius diplomatici Tomum I. II. III. p. 1164 – 1168. Explicit liber quatuor indicibus admodum utilibus, ut ſupra iam diximus, quorum primus eſt geographicus, alter continet verba peregrina, obſoleta, et barbara, in hacce diplomatum collectione obvia; tertius ſiſtit perſonas ſecundum certum aliquem ordinem collocatas; quartus denique eſt rerum praecipuarum, quae hoc in Tomo occurrunt. Ceterum gratulamur nobis et univerſo orbi litterato hunc praeſtantiſſimum codicem diplomaticum, quem, facile praevidemus, multo melius atque diutius eſſe ill. Gudeni memoriam apud poſteros conſervaturum, quam vel poſita a pio fratris filio monumenta, in breve tantum tempus duratura.

ORATORUM GRAECORUM VOLUMEN IV. *Aeschinis Secundum.* *Curavit* IO. IACOBUS REISKE.

Lipsiae, typis W. G. Sommeri. MDCCLXXI. in Octavo.

Quid de operibus Reiskianis orbis eruditus sentiat, nulla nostra commemoratione opus est. Talem se iam dudum Celeb. Vir praestitit, ut de eius non vulgari Graecarum inprimis litterarum scientia nemo dubitet. Indicavimus nuper admodum Oratorum Graecorum, quos eius diligentia expolitos usui doctorum hominum communi adornat, Volumen tertium, ad quod quartum hocce etiam propterea inprimis pertinet, quod reliqua Aeschinis continet.

Initium faciunt congestae ex MSS. Codd. et ed. variae lectiones. Est harum, ut in exiguae molis libro, satis magnus numerus, qui facile probat, quantum *Celeb.* REISKIO huic modo rei laboris dandum fuerit atque temporis, quantumque molestiarum exhauriendum, quarum ille, bono litterarum, patientissimus est. Neque vero varietas Codd. editionumve, ita nude, ut fit, est proposita, sed saepenumero inquiritur in id, quae vera lectio, quae reiicienda videatur, ut ab inscitia negligentiave librarii, aut vitio typographi, excusa. Quae res iis praecipue est utilis, qui auctores antiquos critica diligentia tractare sunt adgressuri. Multum enim refert, quo magistro quis usus, aut cui agendi modo adsuefactus, opus ut necessarium maxime, ita impeditum et difficillimum, suscipiat. Vidimus et hoc *Celeb.* REISKIO observatum, priores lectiones, plerumque sine caussa, ab recentioribus editoribus esse mutatas. Quod et ipsum in aliis auctoribus dudum nobis est animadversum, sunt-

ſuntque huic crimini valde affines recentiores Britanni et Franco Galli, qui externum ſplendorem affectant, et quod praecipuum eſt, diligentiam et fidem in recenſendo textu fere negligunt.

Catalogum variarum lectionum ſequitur index Graecitatis Aeſchiniae, longus et copioſus. Vehementer, poſt alios, etiam nos optamus, ut omnes qui Graecum aliquem ſcriptorem edendum ſibi ſumunt, talem indicem aut potius Lexicon addant. Ita enim tandem futurum eſt, ut iuſtus et abſolutus linguae Graecae theſaurus a viris peritis poſſit confici. Non autem hoc ideo dictum velimus, ut vocum omnium, quae auctor habet, catalogum probemus qualemcumque, ſed ſimul ita comparatum optamus, ut linguae Graecae notitia aliquid inde capiat incrementi. Cuius generis fere eſt index Reiskianus. Habet ille quidem complures voces ſine addita ſignificatione, ſed eas tantum, quarum propter frequentiam ita certus eſt uſus definituſque, ut explicationem addere prorſus ſit ſupervacuum: contra copioſus eſt in addendis earum vocum et loquendi formarum interpretationibus, quae non ubique nec in Lexicis vulgaribus occurrunt, aut quae exquiſiti quiddam, aut ex intimo linguae ingenio depromendum, continent. Cuius rei ne quidem opus eſſe putamus teſtimoniis, cum lectorum, libro inſpecto, neminem arbitremur dubitaturum.

Excipiunt huncce laborem indices Legum et Pſephiſmatum, rerum hiſtoricarum et geographicarum. In ultimo, quod *Celeb.* REISKII doctrina facile poterat, vellemus ſubinde quaedam addita, de locorum oppidorumque, non ubique obviorum, et ideo non cuivis notorum, ſitu, ne ſemper, ubi incidit dubitatio, ad Cellarium, aliumve Geographiae antiquae ſcriptorem ſit recurrendum. Quod, ut in oppidis et vicis ignobilibus eſt taedioſum, ita nimium temporis abſumit.

Insertus etiam est post hos indices *doctissimi* CHRIST. FRID. MATTHAEI de Aeschine libellus. Apparet inde, quo erga alios *Celeb.* REISKIUS sit animo, quantumque, contra usum vulgarem, saltem nostrorum hominum, aliorum laboribus statuat pretium.

Haec opuscula, ut vocantur, ad Aeschinem pertinentia, sequuntur tres Dinarchi orationes, Hieron. Wolfii et Editoris adnotationibus textui subiectis. Quod ad rationem, quam in textu Dinarchi constituendo secutus est *Celeb.* REISKIUS, amplectitur ille quidem Wolfii, Stephani, suasque coniecturas, hasque vulgato praelatas in textum recepit, quae tamen plerumque ita sunt comparatae, ut cuivis attente legenti, lectionisque receptae difficultatem sentienti, in mentem venire debuisse videantur. Nunquam tamen, quod observaverimus, eae in textum sunt receptae, sine adiecta in notis admonitione. Neque tamen *Celeb.* REISKIUS ita coniecturis indulsit, ut omnia sine ratione in textum intruderet, sed iudicium adhibet, diligentiamque, qua plurimum pollet, criticam. Vulgatam imo lectionem non raro ab priorum editorum per coniecturas emendandi conatibus defendit, suas pro coniecturis proponit. Quibus quantum tribuat ipse, clare perspicitur ex loco illo notabili, pag. 8. qui ad Atheniensium occultos quosdam libros pertinere videtur. Qui locus etsi habeat aliquid impediti, quod expedire iam Wolfius tentavit, *Celeb.* REISKIUS tamen, eum se non plane intelligere, ingenue fatetur. Similis locus est pag. 32. Quod si ab omnibus et ubique esset factum, hominibus malevolis, et criticam artem, quam non intelligunt, ipsam hanc ob caussam odio persequentibus, ansa fuisset praecisa, artem nobilissimam cavillandi, et in infamiam adducendi. Quanquam *Celeb.* REISKIO pluribus in locis id vellemus servatum. Habent quidem eius coniecturae eam notam et χαρακτῆρα, ut se ab facilitate vehementer commendent: sed tamen, sine Codd. aucto-

auctoritate lectioni cuidam, de qua non satis constat, dicam scribere, res videtur multum periculosa. Ceterum id valde probamus, aliisque ad imitandum proponimus, quod eum suis notis *Celeb.* Reiskius statuit finem atque modum, ut raro, nec nisi ubi necesse esset, ea addidit, quae ad loci difficilis, aut formulae exquisitius usurpatae, vim atque indolem intelligendam postulari viderentur. Quod hanc ob caussam maxime monuimus, quia videmus, homines doctos, ubi facultatem aliquam, levem plerumque, nacti sint, omnia quae in thesauris suis se continere sentiunt, ita large effundere, ut doctrinae ostentandae, non utilitatis eos rationem habuisse, appareat.

Collocata est post has Lycurgi oratio contra Leocratem, Taylori praefixa praefatione. Textui sunt subiunctae Taylori ipsiusque editoris adnotationes. De illis nihil habemus quod magnopere moneamus, quia iam dudum innotuere, de his, quae etiam sunt parciores quam antea, idem valet quod supra monuimus.

Ut autem operi ad perfectionem nihil deesse putaretur, adiecta etiam est Hauptmanni filii dissertatio de Demadis fragmento, quae ipsum fragmentum cum adnotationibus Hauptmanni, sine dubio patris, continet.

Andocidis orationes quatuor, solas habent *Celeb.* Reiskii adnotationes. Servata et hic eadem ratio, quae in antecedentibus. Lectiones priorum editt. diligenter examinatae Quae praeferendae visae sunt, eas partim in textum recepit *Celeb.* Reiskius, partim in notis indicavit quas praeferendas putet. Breviter etiam quaedam, unde intelligendi peteretur praesidium, addidit. Specimina quidem libenter dedissimus nonnulla, ex quibus cognosceretur, quo modo Vir doctissimus usus sit in hoc volumine, sed ea consulto omisimus, quia, nisi locis integris Graece exscriptis, iustum non potest esse iudicium, et ne

lectorum,

lectorum, propiautis aridiusculis excerptis, sitim ad nauseam restinguere videamur.

Finem volumini imponit duplex Demosthenis vita, altera ab Zosimo Ascalonita, altera ab Anonymo quodam conscripta: utramque ex Codd. Bibliothecae regiae Parisiensis, et Vaticanae. in quibus tamen elegantiae utilitatisque parum continri, ipse *Celeb.* REISKIUS fatetur.

Caeterum intelleximus, eam in emendandis vitiis typographicis adhibitam diligentiam, quam raro, inprimis in graecis, deprehendimus. Melius profecto cum re litteraria putamus actum viri, si viri docti, ad exemplum Sylburgii, ea quae ederent ipsi perlustrare non gravarentur.

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Aprilis Anno MDCCLXXI.

PETRI LAMBECII, HAMBURGENSIS, Commentariorum de Augustissima Bibliotheca Caesarea Vindobonensi LIBER PRIMUS, *editus in lucem auspicio et liberalitate Sacratissimi Gloriosissimique Principis et Dni. Imp. Caes. Leopoldi I. Pii, Felicis, Inclyti, Victoris ac Triumphatoris semper Augusti.* EDITIO ALTERA. *Opera et studio ADAMI FRANCISCI KOLLARII, Pannonii Neosoliensis, Mariae Theresiae Augustae a consiliis, et Vindobonensis Bibliothecae Palatinae Custodis primarii.*

Vindobonae, typis et sumtibus Ioh. Thom. nob. de Trattnern, cIↄIↄCCLXIV. paginae 840. exceptis dedicatione et indice, in fol.

Satisfecit tandem, conatu sane laudabili, doctissimus Kollarius, diuturno atque flagranti virorum eruditorum desiderio, quorum multum intererat et interesse debebat videre, atque in usum suum convertere novam commentariorum Lambecianorum editionem, nedum commemoremus doctas atque operosas Kollarii additiones, quibus veluti novis ornamentis

T mentis

mentis locupletata ſplendet haec altera editio. Fato quodam ſingulari factum eſt, ut prior editio rariſſime compareret in orbe erudito. Tantopere autem ſeſe commentarii Lambeciani commendaverant ubique, ob inſignem eruditionis copiam, qua referti ſunt, ut iis carere, niſi cum ſumma iactura, nemo eruditus poſſit. Hinc facile colligi poteſt, quantum ſibi devinxerit omnes eruditionis cultores doctiſſimus Kollarius, iis iterum edendis. Prima horum commentariorum pars continet epiſtolam Lambecii ad Renatum Franc. Sluſium, Canonicum Hamburgenſem, et conſiliarium Colonienſem, qua ipſi refert de altero itinere Italico, et de adventu ſuo in aula Caeſarea, de bibliothecarii item munere ibi ſuſcepto. Hinc occaſionem nactus, inſtituit explicare originem et hiſtoriam bibliothecae Caeſareae Vindobonenſis. Nimirum, omnes Imperatores e domo Auſtriaca orti, inde a Rudolpho I. collegere quoſdam libros, illis tamen temporibus, quibus haec collectio facta eſt, accommodatos. Fridericus III. meliores atque utiliores addidit mirifice adiutus in hoc conatu fuga Graecorum ex urbe Conſtantinopolitana et typographiae inventione. Maximilianus I. Friderici filius atque ſucceſſor, in comitiis Wormatienſibus a 1495. non modo Cameram imperialem Spirenſem, verum etiam hoc conſtituit, (ſi modo verum eſt,) ut a ſeptem Electoribus novae ſcholae publicae inſtituerentur. Quibus Imperator ipſe laudabili exemplo praeivit. Nam brevi poſt coepit ipſe fundare aliquam bibliothecam, ex apparatu codicum manuſcriptorum, iuſſu Friderici III. patris ſui, ab Aenea Sylvio et Georgio Burbachio, et a ſequentibus Imperatoribus collectorum, e libris item, qui poſt captam a Saracenis Conſtantinopolin, et poſt inventam typographiam acceſſere. Hinc bibliotheca Vindobonenſis dicitur fundata eſſe a. 1495. quae res tota facta eſt auſpiciis Imperatoris a Conrade Celte, viro illius temporis omnium doctiſſimo, qui et ipſe librorum apparatum, ſecundum rationem illorum temporum, ſatis magnum habuit, quo, poſt mortem ipſius (ad. 4. Febr. 1508.) bibliotheca

Vindo-

Vindobonensis multum locupletata splenduit. Conradum Celtem sequutus est in munere bibliothecarii Caesarei discipulus doctissimus atque praestantissimus, Joh. Cuspinianus, quem Imperator consiliarii atque historiographi, praesidis item Senatus Viennensis, dignitate ornatum, in rebus saepe gravissimis consuluit. Hic multum auxit bibliothecam Caesaream, codicibus partim e bibliothecis quorundam monasteriorum Austriacorum, partim e reliquiis bibliothecae Budensis, a Matth. Corvino, rege Hungariae incluto, instructae, sed a Solimanno Turcarum imperatore, post captam Budam, dissipatae. Cuspiniano, qui a. 1529. mortuus est, in administranda bibliotheca Vindobonensi successit Casp. a Nydpruck, qui multis libris, ad iurisprudentiam in primis pertinentibus, instruxit hanc bibliothecam, de qua et Wolfg. Lazius, Ferdinandi I. imper. consiliarius et historiographus multum meruit, qui et ipse sibi comparavit amplissimam librorum collectionem, quae postea in bibliothecam Caesaream pervenit. Vivo adhuc Lazio plerique libri et codices manuscripti e bibliotheca Joh. Fabri, episcopi Viennensis, post mortem ipsius (a. 1541.) accessere bibliothecae Vindobonensi. Postea iterum mirifice adaucta est libris Joh. Dornschwamii a Hradiczin, qui et ipse reliquit eorum aliquem indicem, e cuius fine apparet, ipsum natum fuisse a. 1494. Omnium autem maxime locupletata est ab Augerio Busbequio, viro de universa doctrina meritissimo, qui uti ipse dicit, epist. IV. de legat. Turcicis, *ex Asia et Graecia tota plaustra, totas naves librorum Graecorum manuscriptorum Vindobonam attulit*. Post mortem Lazii (1565.) hoc librorum undiquaque colligendorum studium per X. annos prope totum quievit, cuius rei caussa fuit Busbequii absentia, et multorum itinerum remora. Anno demum 1545. Hugo Blotius, J. U. D. decreto Caesareo Pragensi, Bibliothecarius Vindobonensis constitutus, intra biennium tam multis accessionibus locupletavit bibliothecam Caesaream, ut Lipsius, in dedicatione Tacito suo praemissa, his

 verbis

verbis ad Maximilianum II. scriberet: *Una Viennensis aula tua plures eruditos habet, quam aliorum tota regna. Quibus et bibliothecam iam instruxisti sic adfluentem omni genere monumentorum, ut certamine cum Philadelpho et Pergamenis regibus instituto vel superare eos posse videaris, vel certe aequare.* Blotius primus usurpavit titulum bibliothecarii Caesarei, in cujus vita describenda Lambecius multus est propterea, quoniam ipsius tempore bibliotheca Caesarea ad summum gloriae atque famae fastigium adscendit. Nam primum valde adaucta est libris Joh. Sambuci, a. 1584. mortui, qui 2618. tomis constitisse dicuntur, in catalogo huius bibliothecae ab ipso Blotio facto. Fuit autem Sambucus consiliarius atque historiographus Caesareus, nunquam autem bibliothecarius; quod propterea est a Lambecio admonitum, quoniam Joh. Leunclavius, acerrimus Blotii adversarius, Sambucum vocavit bibliothecarium, tantum ut Blotium vexaret, cui ipse praecipere munus bibliothecarii, quanquam frustra, conatus est. Idem ille Leunclavius, nactus per bonum Blotium bibliothecae Caesareae usum quotidianum, multos inde libros et codices furtim abstulit, quod ipse Blotius nobis in epistola aliqua ad Reinerum Reineccium a. 1593. scripta copiose narrat. Eodem modo multi alii, in primis vero El. Hutterus, Blotium decepere, cuius nimia facilitate libros aliorum usibus concedendi factum est, ut bibliotheca Vindobonensis multum inde detrimenti caperet. Quae res eo adegit Imperatorem, ut Blotio, veluti prodigo in administranda bibliotheca, diligentem curatorem adiungeret Richardum Strein a Schwarzenau, cuius sine praescitu Blotio non amplius licebat codicem ullum aliorum usibus commodare. Sed mortuo a. 1600. Rich. Strein a Schwarzenau Blotius liberiorem nactus bibliothecae usum brevi, post propter senectutem, (quippe annos natus 65.) accepit socium Seb. Tengnagelium, qui ipsum adiuvaret in isto munere. Ceterum, habet Blotius immortalia merita de bibliotheca Caesarea, quam non modo in iustum ordinem redegit, verum etiam

iam indicibus librorum valde operosis et utilissimis instruxit, qui etiamnum studiose ibi asservati mirifice augent gloriam Blotianam. Scripsit etiam multos libros: in primis autem edidit librum sub hoc titulo: Consilium de augenda et ornanda bibliotheca Caesarea a. 1579. ad Imperatorem Rudolphum II. Blotium dein in munere bibliothecarii sequutus est a. 1608. Seb. Tengnagelius qui ad id tempus fuerat Blotii vicarius. Hic vir longe eruditissimus non modo catalogum universalem omnium librorum quinque voluminibus in fol. constantem confecit, verum etiam bibliothecam Blotii privatam cum Caesarea coniunxit. Fecit item indices novos et peculiares codicum manuscriptorum, partim secundum linguas, partim secundum argumenta, partim secundum numeros, quibus singuli in fronte erant insigniti. Communicavit epistolas cum viris aetatis suae doctissimis, per quos in Germania, in Batavis, in Franco-Gallia, Hispania, Italia, in Europa Turcica, Asia et Africa, rarissimos undique libros conquisivit, vel autographa, vel saltem accuratissime descriptos. In primis multum meritus est de litteratura Arabica, et de historia ecclesiastica. Dignitate historiographi Caesarei, quam Imperator ipsi obtulerat, studiose propter muneris periculum evitata, decessit demum a. 1636. Apparatum librorum atque codicum rarissimorum testamento coniungi voluit cum bibliotheca Caesarea, hac tamen conditione addita, ut conventui cuidam clericorum numerarentur 1500 floreni. Jam cura bibliothecae Caesareae demandata fuit Wilhelmo Rechbergero, consiliario et archiatro Caesareo, cuius de vita nihil cognitum est, nisi hoc, ipsum quindecim annis post, ut aiebat, propter senectutem ingravescentem, muneri suo valedixisse. Istud deinde suscepit Matth. Mauchterus, qui bibliothecam Fuggeriam a. 1655. iussu Ferdinandi III. Imperat. a Comite Alberto Fuggero 15000 florenorum pretio emtam, Augusta Vindelicorum Viennam deportavit, atque cum bibliotheca

Caesarea coniunxit. A. 1663. Mauchterus muneris vices sua sponte cessit Petro Lambecio, cui iussu imperatoris a comite Joh. Maximil. a Lamber claves bibliothecae traditae sunt. Quam cum misere turbatam, ruinis suis proximam, et pulvere oppletam accepisset, bene ordinatam atque pulcherrime instructam reliquit. Hinc visa primum bibliotheca Lambecius, idem de ea dicere solebat, quod olim de Galba Lollius: ingenium Galbae male habitare. Adeo fuit in reparanda bibliothecae Caesareae domo diligens, ut coepta a. 1663. instauratio eodem anno perficeretur. Jam Caesar ipse, recuperata valetudine, (aegrotavit enim paullo ante ex variolis,) primum omnium visitavit bibliothecam, binasque ipsas horas ibi transegit. Eodem tempore imperator antiquitatum atque numismatum collectionem admodum magnam Lambecio monstravit, cuius descriptionem satis amplam nobis ipse exhibet Lambecius. Qui dum lectoribus narrat illius collectionis rariora, prodit simul animum superstitionis malignitate oppletum, quae vel doctissimos illius aetatis homines misere agitavit. Ita v. c. describens achatem tribus crucibus insignitum, ait, hoc esse insigne Trinitatis, et passionis Christi argumentum in natura ipsa fundatum; atque ex hac observatione illustrat dictum Christi Luc. 19, 40. Dico vobis, si hi sileant, lapides adeo clamaturos esse. Paullo post commemorat annulum aureum, a Magis orientalibus Christo infanti donatum, eumque dicit tempore belli loco oraculi fuisse. Eiusmodi historiolas inanes ridet doctissimus Kollarius, easque anilibus fabulis et commentis numerat. Jam sequitur *appendix praecedentis epistolae, continens additamenta quaedam ad historiam Augustissimae bibliothecae Caesareae pertinentia.* Horum additamentorum Lambecius quinque fecit partes, quas Kollarius in hac altera editione, aliis vel locis, vel operibus adiunxit. Jam minutatim eas recensebimus, quibus in locis fuerint in prima commentariorum Lambecianorum editione

collocatae. 1) De S. Gregorii Nysseni opere, de creatione hominis. Hoc opusculum p. 91 — 96. veluti nota aliqua sub littera A. a Kollario insertum legitur. 2) De amicitia Tengnagelii cum Luca Holstenio. Hic libellus, cum multa contineat huc non pertinentia, totus hic omissus est a Kollario, et Analectis eius Vindobonensibus insertus. 3) De origine bibliothecae Augustae, quod est huius alterius editionis additamentum primum. 4) De codice membranaceo hist. eccles. Nicephori Callisti manu scripto Graec. diversorum epistolis referto. Haec particula iterum hic omissa, legitur iam Analectorum Tomo I. p. 1061. 5) De nonnullis orientalium linguarum codicibus Caesareis, ab Schickardo laudatis, et de libris eiusdem generis, a Cl. Tengnagelio Augustissimae bibliothecae testamento legatis, qui libellus est huiusce editionis additamentum secundum. Accessere duo alia additamenta, quorum alterum sistit aliquem conspectum ordinis bibliothecae Caesareae, s. indicem librorum secundum linguas et disciplinas factum; alterum continet catalogum aliquem codicum orientalium Francisci a Mesgnien Meninski. Jam sequuntur Adami Francisci Kollarii ad Petri Lambecii commentariorum de Augusta bibliotheca librum I. Supplementa. Initium fit a Lambecii vita. Natus Hamburgi anno superioris seculi 27. ibidem litterarum studiis initiatus est adiuvente Luca Holstenio, patruo suo. Unde studiorum uberius tractandorum caussa Lugdunum in Batavis profectus, familiaritatis et amicitiae vinculo coniunctus est cum Cardinale Barberino, Huetio, Petavio, Sirmondo, Valesio, Naudeo et aliis, e quorum doctrina multum profecit. Eodem tempore Parisiis a 1647. edidit prodromum lucubrationum criticarum in A. Gellii Noctes Atticas, item Syntagma originum et antiquitatum Constantinopolitanarum. E Franco Gallia Romam a. 1647. profectus est, unde duobus annis post redux factus, per octo menses Tolosae iurisprudentiae operam navavit. Rediit a. 1650. in urbem patriam, et in gymnasio historiam docuit.

docuit Iterum in Franco Galliam profectus, adeptus ibi est dignitatem doctoris iuris, et brevi post munus rectoris in gymnasio Hamburgensi. Matrimonium ibi infaustum iniit cum Anna nobili de Hemmertd, quae, divitiarum cumulis superbiens, bonum Lambecium, veluti Xantippe Socratem, ita adflixit, vexavit, ut relictis patria et bonis omnibus, primum in Italiam, deinde Viennam Austriacam discederet, ubi curam bibliothecae Caesareae regundae suscepit. Quod munus cum esset ingenio Lambeciano accommodatissimum, ad finem usque vitae cum summa laude administravit. Bibliothecae istius curam post eum suscepit Dan. Nesselius, antecessori suo neque industria, neqne eruditione similis. Nam cum facillime potuisset vestigia a Lambecio aperta premere, atque continuare commentarios ab eo viro coeptos, et ad nonum usque librum productos, officii religione debuisset, detrectavit, uti erat vir lentus et torpens ad omnia negotia, hanc de omni eruditione bene merendi occasionem feliciter sibi oblatam. *Ille*, inquit doctissimus Kollarius, *viso Lambecii labore ultimo et primo proposito, perinde atque ad adspectum improvisi anguis expalluit totus*, et *procul ab eo longissime refugit*. Ut ne tamen plane nihil ageret, edidit *Catalogum seu recensionem specialem omnium codicum manu scriptorum Graecorum, nec non linguarum orientalium Augustae bibliothecae Caesareae Vindobonensis, quam iussu et auspiciis — Leopoldi — in publicam lucem edidit Dan. de Nessel, J. U. D. Consiliarius et bibliothecae praefect. Vindob. et Norimb. 1690. fol.* Hic catalogus etsi nihil aliud est, quam tenuis epitome commentariorum Lambecianorum, tamen Nesselius eum venditavit pro continuatione eiusdem operis. Reliquerat B Lambecius magnam partem noni libri commentariorum iam elaboratam, quam Nesselius praeclare suam fecit, ne semel quidem nominato Lambecio. Hinc doctissimus Kollarius eum plagii et falsi merito accusat, et in iis, quae sunt ex ingenio Nesselii his praeclaris commentariis addita, ubique deprehendit atque fideliter

liter indicat errores crassissimos. Edidit Nesselius librum sub hac inscriptione: Supplementum Bruschianum, s. Gasp. Bruschii Egrani, Monasteriorum et Episcopatuum Germaniae praecipuorum ac maxime illustrium Chronicon. Centuria II. hactenus nunquam edita — Vindob. 1692. fol. Hunc igitur librum Gentilotus, qui post Nesselium Bibliothecarius fuit, atque etiam Kollarius, diligenter contulerunt cum manuscripto codice, quo usus erat Nesselius; qua collatione facta intellexere, virum eum non modo immutasse ex ingenio suo verba multa, verum etiam totas paginas omisisse, novum sensum ex cerebro suo enatum intulisse, atque omnino ita depravasse omnia, ut mirum quantum liber editus a codice manuscripto discreparet. Jam Kollarius enumerat libros a Nesselio promissos, nunquam tamen coeptos, nedum perfectos Praeterea viri eruditi, Viennam profecti, saepenumero, et privatim et publice in libris suis questi sunt, de difficultatibus, quas ipsis vir iste in aperienda bibliotheca movisset Decessit tandem, magno bibliothecae commodo, A. 1699. Eum in munere bibliothecarii sequutus est sex annis post Joh. Benedict. Gentilotus ab Engelsbrunn, multum questus de iactura codicum manuscriptorum a Nesselio in catalogo indicatorum Dabimus et huius vitam, a doctissimo Kollario descriptam, in brevem veluti summam redactam. Natus Tridenti a. 1672. litterarum prima fundamenta posuit Oeniponti, unde in Italiam profectus, theologiam in primis et ius canonicum didicit, non neglecta linguae Graecae, Hebraicae, et Arabicae cultura. A. 1703. Salisburgum invitatus est cum axiomate archivarii episcopalis. Sequenti anno Viennam venit, vocatus a Caesare ad bibliothecae curam suscipiendam. Quod munus demum a. 1706. adiit. Brevi post in Italiam, Secretarii nomine profectus est, cum Comite de Martiniz, unde post semestre redux factus, totum se bibliothecae Caesareae dicavit. Nihil ipse edidit, praeter duas epistolas ad Joh. Burch. Menkenium, sub ficto nomine Angeli Fontei, occa-

U sionem

ſionem ſcribendi nactus a Bernh. Pezio, qui reperto in aliquo monaſterio codice manuſcripto diplomatico Udalrici Babenbergenſis, aliquem conſpectum illius a. 1727. in his eruditorum Actis ediderat. Praeterea Gentilotus reliquit continuationem commentariorum Lambecianorum inde a libro IX uſque ad XIV. A. 1723. depoſito munere Romam profectus, primum auditor Rotae, et duobus annis, poſt adiuvante Caeſare, epiſcopus Tridentinus factus eſt. Quod munus non diu tenuit; nam brevi poſt a. aetatis 54. mortuus eſt. Statim poſt abitum Gentiloti in urbem Romam, Carolus VI. imper. duos conſtituit bibliothecarios, Pium Nicolaum Garelli, Bononienſem, archiatrum Caeſareum, et Alex. Riccardi, Neapolitanum. in ſupremo Hiſp. conſilio regentem et Fiſci Patronum. Quorum duumvirorum libri bibliothecae cauſſa ſcripti etſi extent nulli, tamen multa ſunt ipſorum de bibliotheca Caeſarea merita. Nam eorum potiſſimum ſuaſu Carolus VI. magnis ſumtibus effecit, ut bibliotheca ſua, ab eo tempore, et quoad externum cultum omnium ſplendidiſſima atque magnificentiſſima haberetur. Huius rei narrationem uberiorem nobis ſuppeditat doctiſſimus Kollarius. Leopoldus iam fundamenta novo bibliothecae aedificio poſuerat, eiusque exſtruendi curam iniunxerat comiti Gundaker ab Althan, ita tamen, ut nemo praeter ipſum ſciret, cuinam rei eſſet domus tam ampla et magnifica deſtinata. Ita factum eſt, ut hae aedes anno demum 1735. omnibus ornamentis inſtructae ad ſuam perfectionem aſſurgerent. Earum imaginem aere expreſſam Sal. Klemerus, architectus Moguntinus, et Hier. Jac. Sedelmayerus edidere, ſub titulo: dilucida repraeſentatio magnificae et ſumtuoſae bibliothecae Caeſareae, Vienn. 1737. Ita bibliothecae aedificio omnibus ornamentis externis inſtructo, Carolus VI. libros quoque novos ſumtibus immenſis coemendos curavit, veluti 1) bibliothecam Georg. Wilh. nobilis a Hohendorf, libris 6731. editis, et 252 codicibus manuſcriptis inſtructam. 2) Acceſſit bibliotheca Cordonia-

na

na archiepiscopi Valentini, 4000 libris referta. 3) Bibliotheca Alex. Riccardi, bibliothecarii. Addita est porro 4) bibliotheca Principis Eugenii, a. 1737. mortui, quae praeter libros 15000 splendidissime vestitos, etiam tabulam Peutingerianam, machinam Anglicanam, systema mundi Copernicanum repraesentantem, multas praeter raras imagines aere expressas, et 237. codices manuscriptos, continebat. Denique 5) aucta est bibliotheca Caesarea Car. Gust. Heraei praestantissima imaginum aere expressarum collectione. Habuit praeterea Carolus VI. ubique viros doctos, per quos cimelia omnis generis magno pretio undiquaque coemenda curaret. Ex urbe Neapolitana, atque in primis ex monasterio Ascetarum de instituto divi Augustini et divi Johannis de Carbonaria, in bibliothecam Caesaream pervenere 97. codices manuscripti, quorum indicem doctissimus Kollarius nobis suppeditavit. Omnium autem maxime memorabile est hoc, quod Carolus VI. bibliothecam suam usui publico magis accommodatam fecit. Huius rei caussa duo adhuc custodes constituit, Nic. Forlosiam, Neapolitanum, et Gottfr. Phil. Spannagelium, Germanum, duo item scribas et totidem famulos, qui custodibus semper essent a manibus. A. 1726. decessit Riccardi. Garellius igitur inde ab hoc tempore solus bibliothecae praefuit usque ad a. 1739. quo mortuus est. Nomen ipsius scriptis non admodum celebratum est. Kollarius tamen commemorat multas eius epistolas, in primis duas admodum memorabiles, quarum altera ad Matth. Belium, scriptorem historiae Hungaricae doctissimum, scripta, agit de Juvenco Caelio Calano Dalmata, deque eius opere: Historia Attilae; altera, ad Bernh. Pezium data, pertinet ad editionem libri: Agnetis Blanbeckiae — Vita et revelationes. Post obitum Garellii bibliotheca praefecto tam diu caruit, donec a. 1745. nobilis de Swieten ei muneri praeficeretur. Per illos sex veluti interregni annos, sub nomine custodis primarii, bibliothecae curam gessit Nic. Forlosia, vir honestus et doctus, qui commenda-

mendatus aulae Caesareae ab Alexandro Ricardi, custos bibliothecae constitutus est. Quanquam autem erat omni eruditionis copia instructus, tamen nihil ipse edidit, fortasse propter ingenii difficultatem, qua impediti homines interdum doctissimi eruditionis recessus aperire aliis non possunt. Post mortem eius multos libros ab illo scriptos reperit Kollarius, veluti *1) Libanii et Himerii Sophistarum orationes, partim ineditas, et ab eodem in latin. sermonem versas; partim vero editas, sed cum codicibus Caesareis comparatas atque emendatas. 2) Supplementorum Lambecianorum Tomos II. 3) Commentarii in manu exaratos codices Latinos, Italicos, Gallicos &c. qui nimirum post praefecturam Cl. Gentiloti bibliothecam Caesaraeam auxerant, Volumina III.* Adeo tamen consilia librorum edendorum celavit malevolus atque reconditus Forlosia, ut, quid tandem scriberet, omni data opera nunquam elicere Kollarius, novenarius eius collega, posset. Quid? quod Forlosia ipsum ab omni, et quisquis demum is esset, labore maligne deterruerit. Sive enim Kollarius ad edendos auctores Graecos accedere, sive commentarios Lambecianos continuare, sive aliud quid eruditioni profuturum scribere se velle profiteretur, id omne iam a se coeptum et perfectum Forlosia mentebatur. Tali malignitate deceptus Kollarius, animum scribendi prope totum abiecerat, donec Forlosia mortuo fraudes omnes, dudum sollicite occultatae, atque ex voluntate eius et post mortem occultandae, planissime apparerent. Nam etsi omnia sua scripta haeredibus testamento reliquisset, tamen iudicum, qui hac de re peculiari iudicio decreverant, sententia, pervenere in bibliothecam Caesaream. Cuius sententiae caussae fuerunt duae: primum quoniam Forlosia hos libros haeredibus relictos horis non subsecivis, sed bibliothecae destinatis, scripserat; deinde quod codicibus manuscriptis Caesareis ex arbitrio suo, legibus repugnantibus usus fuerat. Extat autem peculiaris lex Caesarea, qua diserte cavetur, ne custos aut scribat aliquid suo nomine

mine intra temporis, quo inserviendum bibliothecae est, spatium, aut codices manuscriptos usibus privatis accommodet. Quod utrumque Forlosiam fecisse cum haeredes negare non potuissent, facile intelligitur, bibliothecam Caesaream iure quodam suo sibi vindicasse scripta Forlosiana. Neque profecto erat, cur Forlosia foetus suos tam sollicite occultaret. Nam codices manuscripti, quos edere volebat, monente doctissimo Kollario, admodum mediocris pretii fuerant. Quod attinet ad orationes Libanii, earum codex, qui est in classe codicum Graecorum philosophicorum XCIII. atque seculo XIV. aut XV. scriptus videtur, olim fuit Sambuci. Hunc igitur codicem iam Tengnagelius hac inscriptione insignivit: Libanii Sophistae Antiocheni orationes XLIII. omnes fere ineditae, quam inscriptionem iisdem plane verbis Nesselius in catalogo repetiit. Has orationes multo cum labore Forlosia contulit cum iis, quas Morellus iam ediderat, qua collatione facta intellexit, sex orationes multis cum vitiis, tredecim vero plane nondum esse a Morello editas. Quas deinde propediem promulgaturus, magna cum diligentia descripsit e codice Caesareo, additis quibusdam notis, et versione non satis accurata. Sed uti erat Forlosia vir lentus ad omnia negotia perficienda, ita praeveniri se in hoc conatu passus est a quodam Ant. Bongiavanno, qui a. 1754. XVII. Libanii orationes ineditas Venetiis vulgauit, bona instructas versione, et notis admodum eruditis. Una igitur oratio, quae est contra Icarium, atque in codice Bongiovanniano non extabat, Forlosiae edenda relinquebatur. Porro reperit in codice 106. manuscriptorum philosophicorum tres Himerii orationes, quas cum ignoraret iam ante ipsum, anno nimirum 1720, a Joh. Henr. Maio esse editas, latine, sed parum accurate, uti doctissimus Kollarius multis exemplis docuit, vertit, atque publicare conatus est. Denique nec supplementa ipsius, Lambecii atque Gentiloti commentariis bibliothecae Caesareae addita, ita sunt compa-

rata, ut virorum doctorum laudem mereri posse videantur. Alter bibliothecae custos fuit Gottfr. Phil. Spannagelius, Germanus, historiarum, iuris publici, et multarum linguarum longe peritissimus. Varia scripsit, veluti *1) Notizia della vera libertà Fiorentina, considerata ne suoi giusti limiti per l' ordine de' secoli, 1724. 2) Apologia per la scrittura publicata in Milano l' anno 1707. ed osservazioni critiche sopra l' istoria del dominio temporale della sede Apostolica nel Ducato di Parma e Piacenza, cet. 1727. fol. 3 Voll. 3) Monita Genealogica, Auctori Vindiciarum Arboris Genealogicae Augustae Gentis Carolino - Boicae oppos. Monachii in fol. 1730. edita, Alestadii ex Off. itgheleni 1732.* Hunc librum sub ficto nomine Palignesii scripsit contra Ignat. Franc. Xaver. a Wilhelm, auctorem Vindiciarum Arboris Genealogicae. Praeter hos libros, Spannagelius scripsit adhuc multos alios historici in primis argumenti, qui omnes a doctissimo Kollario pag. 796. commemorati, in bibliotheca Caesarea latent. Mortuo a. 1749. Spannagelio, successit doctissimus huius libri editor, Kollarius, qui a. 1737. societati Iesu immixtus, postea hoc ordine relicto, opera Baronis de Swieten a. 1748. primum scriba, deinde custos bibliothecae Caesareae factus est. Multa itidem sunt de bibliotheca Vindobonensi merita Baronis de Swieten, discipuli Boerhavii dignissimi, atque archiatri Augustissimae Theresiae, cui ipsa imperatrix summam bibliothecae Caesareae praefecturam clementissime commisit. Hic primum omnium e bibliotheca Caesarea removit librorum supervacua exempla, quae postea Pragam, Oenipontum, in Collegium Theresianum, in monasteria Capucinorum, Augustinorum, atque Carmelitarum pervenere. Deinde cum multa millia librorum exempla incompacta reperisset, brevi post omnia pulcherrrime vestivit, et sic ornata locis suis adsignavit. Denique et de augenda bibliotheca Caesarea cogitavit. Cuius rei caussa libros praestantissimos e toto orbe terra-

terrarum, e Germania, Batavis, Italia, Franco-Gallia, Anglia, immo adeo ſcripta Arabica, Perſica, et Turcica, e regno Turcico, in typographia Conſtantinopolitana Ibrahimi Effendi edita, ſumtibus magnis Viennam comportari iuſſit. Sex praeterea bibliothecas inſtructiſſimas coniunxit cum Palatina: 1) bibliothecam Caroli VI. ſecretiorem, 2) Garellianam, unde, qui nondum extabant in bibliotheca Caeſarea, libri illuc translati reliquis collegio Thereſiano conceſſis. 3) Graecianam. Nam cum Graecium fuiſſet olim ſedes principalis Archiducum Auſtriacorum, multi praeſtantiſſimi libri et codices manuſcripti in aulam illam pervenerant, et tam diu ibi latuere, donec in lucem ab imperatore Auguſtiſſimo protraherentur. 4) Vindobonam venit bibliotheca comitum a Staremberg, quae inſignem omnium librorum ad reformationem Lutheri pertinentium apparatum habuit. 5) Quinta fuit bibliotheca Vindobonenſis Univerſitatis litterarum, quae et ipſa rariſſimorum codicum fuit pleniſſima; denique 6) Franciſci Imperat. bibliotheca. Praeter haec tanta merita, magnus ille de Swieten multum etiam contulit ad reformandum ſtudium medicum, atque omnino ad univerſitatem litterarum Vindobonenſem. Ipſius enim auctoritate Viennae peculiare conſtitutum eſt collegium cenſorum, qui cognoscerent de libris medicis, philologicis, et philoſophicis. Cognitiones ipſae, in quibus Baro de Swieten praeſidis perſonam agit, in bibliotheca Caeſarea ſingulis diebus Veneris inſtituuntur — In fine horum commentariorum leguntur quaedam epiſtolae adhuc ineditae, in quibus multa occurrunt, quae Neſſelii atque Gentiloti vitam illuſtrare poterunt.

ANIMADVERSIONES SUPER BULLA in Coena Domini. — — Sine fictione didici, et sine invidia communico, Sap. VII, 13. Impensis ipsius auctoris.

Venet. 1769. 8. pagg. 340.

Protulit nostra aetas libros admodum multos, quibus insigni pontificis Rom. arrogantiae atque dominationi vel ab iis obviam itum est, qui in doctrina ipsa ne latum quidem unguem ab eo discedunt, sed potius in omnia ipsius verba, tanquam in oracula diuina, ultro consentiunt. Ista tamen ignorantia atque superstitio paullatim discutitur atque in fugam vertitur variis virorum apprime doctorum conatibus, quos vt ne communis atque alte mentibus humanis infixa praecepta opinio impediat, aut, quod multo foret peius, plane in nihilum redigat, certe veritatis caussa quam maxime optandum est. Hic liber, cuius argumentum iam cum lectoribus nostris communicabimus, tam male acceptus est a pontifice Rom. ut ipsius Nuntius sibi persuaderet, se facile posse, auctoritate scilicet sua, rempublicam Venetam eo redigere, ut sibi credat affirmanti, hunc librum esse pessimam humani ingenii progeniem; nec dignum qui legatur. Nolunt tamen Veneti sanctissimi Papae voluntati ultro assurgere, immo potius legunt et, prope dicimus devorant, prae cupiditate cognoscendi, hunc librum, et, ubicunque possunt, studiose disseminant.

Bulla in Coena Domini est veluti compendium omnium artium politicarum, quibus aula Rom. dominationem suam in Principes, per decem ipsa secula, fundavit atque munivit, nec alia de caussa videtur facta esse, nisi ut tranquillitas conscientiae, atque pax et securitas Principum penitus tolleretur. Auctor noster explicat primum originem, progressum

greſſum, atque obiecta generalia huius bullae, quae paullatim vires nacta maiores, omnem potentiam civilem evertit, atque deſpotiſmum cleiricalem introduxit. Fundamenta, quibus aedificium huius bullae nititur, erant excommunicatio, reſervatum iurium epiſcoporum aliorum, et iudicium rerum civilium ſub ſpecie immunitatis eccleſiaſticae. Auctor e ſcriptis Rabbinorum, e Matth. 18. et ex antiquiſſimis eccleſiae legibus notionem excommunicationis conſtituit, eamque negat locum habere poſſe, niſi in iis, qui aut unitatem doctrinae reiiciant, aut vitam vivant praeter modum ſceleſtam. Excommunicationis minoris, uti vocant, poenam, epiſcopus nonniſi conſentienti infligere poteſt, quod patet ex Theodoſii exemplo, qui et ipſe ſua ſponte ſubiit poenam, quam ipſi Ambroſius ſuaſerat. Poenitentiae publicae ſubſtituebantur eleemoſynae, peregrinationes ſacrae, indulgentiae et alia. Paullatim enatum eſt diſcrimen inter excommunicationem a lege, et inter excommunicationem ab homine, ſeu latae ſententiae et ferendae, quae notio rem omnem coeca caligine obtexit. Sequentibus temporibus excogitatum eſt interdictum, quo omnes homines totius nationalis alicuius, ſive ii eſſent impii, ſive minus, ab rerum ſacrarum uſu arcebantur. Haec poena ſaepenumero profecta eſt ab commotionibus animi vehementioribus, ab ira, odio &c. unde nullus propemodum epiſcopus Seculo XII. et ſequentibus in hiſtoria occurrit qui non vel excommunicaverit alios epiſcopos, vel ipſe non fuerit ab aliis excommunicatus. Quid? quod mortuis adeo haec poena irrogabatur. Hinc excommunicatio degeneravit in luſum puerilem. His armis veluti induti pontifices, debellavere primum Graecos imperatores, quibus obedire tanquam cives legitimis dominis debuiſſent; deinde Langobardos, denique Francos. Pontificum dominationem mirifice adiuvit lis de primatu Patriarchae Conſtantinopolitani; contentiones de cultu imaginum, (quibus pontifices ſeſe nullam aliam ob cauſſam immiſcuere, quam ut hac opportunitate oblata detrectare Graecorum iugum poſſent;) item com-

X munis

munis ignorantia vel in ipſa urbe Roma. ubi donatio Conſtantini fraudulenter effiĉta eſt; denique decretales Pſeudo-Dionyſii, et inde oriunda obedientia omnium epiſcoporum pontifici Rom. praeſtanda. Paullatim factum eſt, ut non qui peccaviſſet excommunicaretur, ſed qui excommunicatus eſſet is peccaviſſe diceretur. Bulla in C. D. forma tantum differt a Dictatibus Hildebrandi. Excommunicatio Gregorii VII. contra Henricum IV, dominum ſuum, totam Europam in admirationem et ſtuporem rapuit, quoniam haec inſolentia, et moribus, et legibus eccleſiae Chriſtianae repugnare videbatur. Olim ne haeretici quidem ipſi excommunicabantur tum, cum id tranquillitati publicae obeſſe putaretur. Multo minus Principes propter haereſin licebat excommunicare, aut hac ſola de cauſſa illorum poteſtatem ſubterfugere, aut, quod omnium eſt peſſimum eam ad ſe violenter rapere. Quid? quod exempla, copioſe ab auctore pag. 45. enarrata. clare docent, omnes epiſcopos Principum legibus, non modo in excommunicationis uſu, verum etiam in rebus fidei, accommodare ſeſe debuiſſe. Hiſtoria teſtis eſt, quantas turbas dederint principia Gregoriana, quae omnia veluti in compendio comprehenſa ſunt Bulla in C. D. Excidit tandem, atque vim ſuam amiſit hic horrendus deſpotiſmus, cognita paullatim ipſius iniquitate interna. Nam orta ſunt ſchismata, quae concilio Conſtantienſi locum dedere, cui Martinus V. ſeſe ſubiicere patrum, ex ibi congregatorum voluntate, cogebatur. Hi patres uno conſenſu ſanxere, concilium generale eſſe ſupra pontificem, ipſumque decretis illius teneri. Et tamen deinceps Martinus fraudulenter mentem ſuam mutavit, edita bulla ſimillima illi in C. D. ſed expectationi eius eventus non reſpondit. Atque omnino pontifices conciliorum auctoritatem nunquam non, quantum poſſent, depreſſerunt, ut ipſi neglectis nationis Germanicae concordatis, atque vocibus provocantium ad futurum concilium, tanto altius aſſurgere, atque caput erigere poſſent. Id clare patet ex Bulla execrabili

Pii II.

Pii II. Pontif. Concilium Basileense uti semper fuit pontificibus odiosum propter ea, quae ibi contra libidinem ipsorum decreta sunt, ita semper fuit ab iisdem reiectum atque damnatum. Studium igitur dominandi, atque principibus iura sua e manibus extorquendi, peperit excommunicationem, atque bullae in C. D inseruit. Eadem bulla pontificibus solis tribuit reservatum iurium omnium episcoporum, adeoque declarat eos monarchas, cum potestate absoluta in omnes sacerdotes. Quam potentiam ipsis subinde facile subministravit lenis titulus Vicariorum Christi. Simul vero ac sese pro regibus, pro dominis totius mundi pro episcopis universalibus gerere coeperant, ecce repente omnes principes adversus eorum audaciam insurrexere.

Aula Romana se semper omni vi opposuit iis viris, eosque vel callide ad suas partes traxit, vel omni modo vexavit, qui iura episcoporum adversus pontifices defenderent. Pontificibus tamen nonnisi ordinis praerogativam prae reliquis episcopis relictam esse, patet e multis exemplis, quae ab auctore sunt ex historia eccles. allata. Paullatim ecclesia Rom. ingentes nacta divitias, adeo ad se convertit omnium hominum oculos, ut in rebus controversis libenter provocarent ad arbitrium pontificis Romani. Quae res mirifice adiuvit pontificum dominandi studium, atque locum fecit constituendis multis in locis vicariis pontificiis, qui insidiari ceterorum episcoporum iuribus tenerentur. His fraudibus Leo I. Pontif. per vicarios suos in Franco-Gallia constitutos magnam partem iurium Hilarii, episcopi Arelatensis, ad se traxit Cognomen vero episcopi universalis tempore adhuc Gregorii M. putabatur vocabulum profanum. Post ea tempora, in aliquibus conciliis, sub specie rerum longe gravissimarum, tractatae sunt ridiculae atque pueriles minutiae, veluti cum Adriani pontif. legati Anglis suaderent serio, ut ne amplius caudas equinas resecarent, it. cum in Synodo Aquisgranensi tanquam res acris iudicii constitueretur, quo

tempore esset monachis vena incidenda. Media profecto saepius. Seculo VII. pontifices multis accessionibus auxere potentiam suam, qua deinde seculo sequenti abusi sunt ad opprimendos ceteros episcopos. Eam mirifice adiuvit Bonifacius, Archiepiscopus Moguntinus, qui cum esset vicarius pontificius, totus sese obedientiae aulae Rom. dedidit, atque primus iuravit in pontificis iussa omnia. Hoc modo formula fidei, quam unusquisque episcopus in initio muneris edere tenebatur, degeneravit in legem iurisiurandi Romano pontifici praestandi, quam deinde Paschalis II. in Synodo Rom. a. 1102. diserte edixit. Latius progressa est haec dominatio, cum pontifices magnificentiam titulorum, vestium, caerimoniarum, ab aula imperatoris Rom. mutuatarum, dolose in suam quoque aulam transtulissent. Huic dominandi studio perpetuo sese opposuere episcopi Franco-Gallici, Trevirenses, Colonienses, Gradenses, Aquileienses, atque Mediolanenses.

Tandem pontifices etiam bona ecclesiastica, et peccatorum remittendorum potestatem ad se rapuere, tamen repugnantibus semper quibusdam episcopis. Quanquam Martinus V. in concilio Constantiensi, non modo totius ecclesiae episcopos, verum etiam nationis Germanicae proceres, ludibrio habuit, illi tamen auctor noster vim legis tribuit, cui parere debeant omnes. Concilium Basileense hac de caussa institutum est, ut ecclesia in capite et membris emendaretur; nihilo tamen minus huic pio desiderio multi episcopi restitere, atque etiam principes, cum res in summum discrimen venisset, remissiores facti sunt. In concilio Tridentino auctor noster, et in doctrina, et in disciplina multa deprehendit ambigua verba, quae detorqueri in varios sensus, uniuscuiusque libidini accommodatos possunt. Bulla in C. D. non habet vim legis, merisque conflata est erroribus, adeoque potest ac debet a principibus tolli, etiamsi sit antea vel ab iisdem, vel ab antecessoribus suis agnita. Jam transit auctor ad iudicium rerum civilium, sub specie immunitatis

nitatis ſpiritualis, quod aula Rom. ſibi paullatim arrogavit. Primum eſt de iure aſylorum, quod ab initio ad ſolum imperatorem pertinuit et nonniſi arae finibus circumſcriptum erat. Inde cum paullatim magna orirentur incommoda, factum eſt, ut aſyla a. 398. ab Arcadio tollerentur. Leges eccleſiaſticae hac de re eodem tempore cum principum legibus enatae, nullam aliam ob cauſſam latae ſunt, niſi ut edicta principum inferioribus ſacerdotibus promulgarentur. His principum edictis addidere poſtea pontifices ſuas quoque bullas hoc, callido conſilio, ut, utri debeatur obligatio, in ambiguo ſemper maneret utque principes has leges, non ſuo, ſed pontificis nomine ſcripſiſſe viderentur. Immunitas eccleſiaſtica, in Synodo Moguntina a. 813. hominum eccleſiaſticorum atque civilium conſenſu ſtabilita, latius in dies extenſa eſt, uſque ad aulas eccleſiarum, atque a. 858. uſque ad triginta aut quadraginta paſſus circa eccleſias. Hoc modo cum hominibus ſceleſtiſſimis multa atque lata paterent aſyla, pontifices ipſi coacti ſunt eorum fines arctius cohibere. Cuius rei cauſſa inde ab Innocentio III. uſque ad Benedictum XIV. decem extant bullae, quibus pontifices haec privilegia, atque numerum ſcelerum, quibus haec aſyla paterent, minuerunt. Jus tamen ipſum cognoſcendi de ſceleribus, e manibus principum extorquere, atque ſolis impertire ſacerdotibus, ſemper conati ſunt. Habemus Gregorii XIV. bullam de a. 1591. quae tam manifeſte ſacerdotibus legum ferundarum poteſtatem tribuit, ut ab omnibus principibus reiiceretur. Perſonalem ſacerdotum immunitatem auctor noſter impugnat argumentis bonis, ubique tamen obviis, unde demum efficitur, eam ortam eſſe atque ſuccreviſſe ex neglectu diſciplinae eccleſiaſticae veteris. Ab initio graves poenae irrogabantur epiſcopis et ſacerdotibus, criminis cuiusdam convictis. Quod ſi eſſet grave, veluti adulterium, furtum, ademta ipſis a Synodo dignitate ſacerdotali, laicorum hominum nomine incidere in poenam civilem. Finitis Chriſtianorum perſecutionibus, imperatores leviores

 epiſco-

episcoporum causas synodis iudicandas reliquerunt, gravioribus tantum criminibus sibi reservatis. Has leges sustulere postea principes cognitis turbis quas leges ecclesiasticae statui polit co intulere. Secundum placita iuris canonici sacerdotes tribus tantum in caussis subsunt potestati civili, in caussa haereseos depravationis epistolarum apostolicarum, atque coniurationis adversus episcopum. Reliquorum atrocissimorum criminum, veluti parricidii, Sodomiae, coniurationis adversus principem, caedis, incestus &c. cognitionem ius canonicum diserte negat pertinere ad reges, atque adeo poenam excommunicationis minitatur iis, qui sibi hoc iuris sumserint. Avaritia sacerdotum inde a Seculo III exorta excitavit subinde acria ingenia, ut Arnoldum Brixianum, Marsilium Patavinum, Wiclefum, Hieronymum Pragensem, ut magnificentiam ecclesiarum externam summo ardore impugnarent. Quibus reprehensionibus cum satis bene respondere non potuissent pontifices, dixere, bona temporalia non sacerdotibus, sed ipsi Deo, Petro aut Paulo, donari. Quae ambiguitas ita decepit homines simpli ces atque superstitiosos, ut sacerdotibus dimidiam Europae partem, sub specie religionis donarent. Jam inquisiturus auctor in omnes articulos bullae in C. D. eorumque caussas et effectus, tradit primum omnium historiam legum ecclesiasticarum huc pertinentium, unde demum efficitur, sublata licet omnium principum consensu bulla in C. D. nondum tamen cautum esse omnibus inde provenientibus malis, nisi alio modo iis obviam a potestate civili eatur. Et quoniam sex diversae bullae in C. D. reperiuntur, repetiit hic auctor earum novissimam, quae est in Bullarii editione Lucemburgica a 1742. Tom. IV. p. 118. In hac igitur bulla viginti excommunicationis fulmina mittuntur, quibus ab auctore nostro uberius explicatis, facile intelligitur, omnem potestatem civilem in toto orbe Christiano funditus everti. Nolumus hic omnia minutatim recensere, quae auctor noster, huius bullae singulis excommunicationibus, vel

explicandi

explicandi, vel illuſtrandi cauſſa, ex hiſtoria eccleſiaſtica et ſcripturis ſacris addidit; quanquam ſerio affirmamus, nos nullibi reperiiſſe meliora aut aeque bona, quam quae hic leguntur. Suademus autem omnibus lectoribus noſtris, vt legant ipſi, et, quam libere, et ab omni partium ſtudio alieno animo ſcribat auctor de hac bulla, cognoſcant. Animadverſiones finiuntur his conſectariis: 1) bullam in C. D. introducere deſpotiſmum; 2) principibus omnia in cives iura eripere; 3) pleroſque magiſtratus ciuiles excommunicationis poenae ſubiicere; 4) etiam ſacerdotibus ſuppeditare largam tranquillitatis publicae tollendae occaſionem. Denique auctor noſter enumerat turbas, quibus respublicae omnes obnoxiae ſunt, ſi vel maxime ab omnibus principibus communi conſenſu reiiciatur bulla in C. D. Nam cum ea ſit veluti compendium legum eccleſiaſticarum iuriſque canonici, quod hodienum in omnibus ſcholis explicatur atque ſtudioſe inculcatur iuvenibus: nullus princeps ſibi ſatis cavere ab periculis poteſt, quae ex huiusce bullae ſcaturigine promanare in futurum tempus poſſunt Nondum etiam igitur ſublata hac bulla, malum ipſum, quod imminet rei politicae, ſublatum eſt. Diutius laborandum eſt principibus, donec vis morbi tota eradicetur, Demere pontificibus poteſtatem civilem, atque auctoritatem prope divinam; frangere aulae Rom. inſignem arrogantiam et dominationem; obviam ire fraudibus et dolis pontificiis; atque omnino principia, quibus veluti fundamentis ſuperſtructa eſt bulla in C D. funditus delere atque evertere: hoc opus, hic labor eſt, multorum non modo annorum, verum etiam principum, quibus ſalus et tranquillitas publica curae cordique ſit.

ANTONII

***ANTONII BONFINII, ASCULANI,* Rerum Hungaricarum Decades Libris XLV. comprehensae, ab origiue Gentis ad Annum MCCCCXCV. Editio Septima. Accessit Index rerum locupletissimus. Recensuit et praefatus est D. CAROLUS ANDREAS BEL, Sereniss. Saxon. Elect. Consil. Aul. Poes. Prof. Publ. Ordin. Academiae Decemvir et Bibliothecarius.**

Lipsiae, sumtu Ioannis Pauli Kraus, Bibliop. Vindobonensis, MDCCLXXI. Alph. 9. plagg. 8. in fol.

Quid hac nova Bonfinii Editione praestitum sit, nemo melius, quam ipse Editor, Vir illustris, Lectoribus dixerit. Igitur Praefationem eius hic totam describimus, qua, non solum de fide Bonfinii, sed etiam de editionibus, quae hanc praecesserunt, omnibus, sine fuco, et ad veritatis normam exposuit. Ita vero scribit:

„Commendanda hac nova Bonfinii Decadum editione, lectorem non diu tenebimus. Neque est necessum. Non ignorant nomen Scriptoris Hungaricarum rerum curiosi; et est merito inter primarios eius historiae reponendus. Livium tamen Hungarorum non facile dixerim, nisi forte propterea quod commentarios suos, ut ille romanus, in Decades distribuit. De fide Bonfinii plenius hic dicere, supervacuum duco. Constat inter omnes, qui has Decades legerunt, eum in antiquissimis Pannoniae rebus describendis, descripsisse paene ad verbum Scriptores veteres, atque adeo eos, quos super his rebus adire, tamquam fontes, quam Bonfinium legere, quivis malit. Habet tamen ex eius aetatis, qua vixit, ratione, excusationem aliquam Vir optimus. Nam quotquot illis temporibus historiae scribendae operam dederunt, putarunt se operae pretium minime laturos,

ros, nisi ex antiquissima memoria repeterent, adeoque describerent e libris vetustis etiam ea, quae ad rem minime pertinebant. Talia si plerisque demseris, parum supererit, quod ex eorum commentariis cognoscere cupias. In rebus deinceps, quae praecipue Hungaros spectant, unum fere Thurocium, qui Chronica Hungarorum, a gentis incunabulis, ad Matthiae regis initia conscripsit, secutus est; tanta fide, ut errare cum eo maluerit, quam secessionem facere, quod multis locis cernitur. Progressus ad tempora invictissimi Matthiae regis, in cuius aula versatus est, et cuius potissimum iussu atque liberalitate excitatus, Hungaricarum rerum Decades scribere instituit, tam libere et candide res Hungaricas ad annum usque MCDXCV. in commentaria retulit, ut neque vitia benefactoris sui dissimularet. Et haec potissimum est Hungaricae historiae periodus, quam haurire e Bonfinio, tamquam e fonte limpidissimo, oportet. Scripsit enim de rebus, quibus ipse maximam partem interfuit, et quas aliquot locis fatetur se ex ore Matthiae regis hausisse. Tales commentarios, etsi optabile erat quam maxime, edi accurate et diligenter, tamen dici non potest, quantis mendis deturpati fuerint et coinquinati ab iis omnibus, qui editiones, quotquot sunt, procuderunt. Facem his tenebris praetulit Martinus Brennerus, Transilvanus, editis tribus libris Basileae anno MDXLIII. cuius menda fidelissime repetiit, et auxit liberaliter, Oporinus, anno MDLXVIII. vel potius Ioannes Sambucus, vir cetera doctus atque operosus, in hoc laudandus tamen, quod reliquos libros tribus prioribus addidit. Atque ex hac profluxerunt editiones reliquae omnes, Wecheliana Francofurtensis anni MDLXXXI. et Hanoviensis anni MDCVI. quam Coloniensis excepit anno MDCXC. estque mirum, de tollendis mendis neminem cogitasse. Laetabamur igitur, cum veniret in manus nostras Vindobonensis editio anni MDCCXLIV. quod aequum erat credere, aliquem historiae Hungaricae peritum, atque patriae amantem, tandem ali-

 quando

quando medelam Bonfinio attulisse, dedissesque nobis emendatissimum. Se fefellit nos ea spes. Etsi enim non paucis locis emendandi studium Editoris vidimus, tamen in plerisque libris, prioribus potissimum, eandem incuriam, eandem socordiam, quae prioribus editoribus omnibus probro est; magno nostro dolore advertimus. Id cum forte intellexisset Ioannes Paulus Kraussius, Bibliopola Vindobonensis, rei librariae intelligentissimus, cuius sumtu iam olim hic Lipsiae Hungaricarum rerum Scriptores Schwandtneriani, mea cura, tribus Voluminibus prodierant, petiit a me, ut emendando Bonfinio, atque edendo, manus admoverem. Tam laudabili consilio operam meam negare, qui patriam amarem, cum iniquum ducerem, accinxi me labori, qui integro me biennio, neque enim pudet fateri, tenuit. Haesi saepenumero, tanto fastidio, ut etiam calamum et chartas abiicerem; tamen, pertinaci tandem studio, id effecisse me credo, ut iam habeant Hungari, cives mei, Bonfinii Decades, quantum per me licuit, emendatissimas. Videbunt, qui legerint, non iactantius me hoc dicere, sed opera diligenter navatae conscientia. Sunt tamen loca non pauca, quae intacta relinquere malui, quia eluctari e difficultatibus non poteram, quam male emendare. Atque haec, qui post me Bonfinium editurus est, sine dubio sanabit. Quae Brennerus et Sambucus, Appendicis loco addiderant, ea omnia abjeci, non meo magis, quam ipsius Bibliopolae consilio, qui talia non ad Bonfinium, sed ad aliquam Scriptorum rerum Hungaricarum Collectionem pertinere, recte existimavit. Synopses, toto propemodum volumine, novas feci, et breviores, et ad res accommodatiores. Index rerum notabiliorum locupletissimus, qui debetur diligentiae Wichmanni, Artium Magistri Lipsiensis, magno commodo futurus est Bonfinium consulentibus." —— Gratulamur Hungariae, elegantem, atque emendatissimam, neque minus a typorum nitore commendabilem, Scriptoris primarii, Bonfinii, editionem hanc; qua recensenda, non solum de historia

historia universa, sed etiam, atque inprimis, de patria sua, praeclare meruit illustris Belius, Collega noster multis nominibus colendus; quem, etiamsi exemplum magni Patris, *Matthiae Belii*, Hungariae nuper Historiographi, ad opus tale suscipiendum non excitasset atque invitasset, amor patriae suffecerat Viro doctissimo, ut hoc Opere emendando, civibus etiam suis, doctrinae consummatissimae fructus aliquos exhiberet.

IO. FRID. FISCHERI PRAELUSIONES, *quibus libellus Palaephati de Incredibilibus, emendatur, explicatur, vindicatur: Accesserunt orationes duae munerum novorum adeundorum causa habitae.*

Lipsiae, sumtu Io. Frid. Langenhemii, plagg. 8. octonis.

PALAEPHATI LIBELLUS DE INCREDIBILIbus, Graece: tertium edidit, iterum recensuit, animadversiones indicemque verborum Graecorum copiosissimum adiecit, IO. FRID. FISCHERUS.

Lipsiae, sumtu Io. Frid. Langenhemii, plagg. 20. octonis.

Gratus haberi debet labor eorum, qui libros olim ab se scriptos, et temporis, longiorem nonnunquam moram recusantis causa editos, denuo expoliant, aliis detractis, aliis additis, aliis auctis, emendent, ornent, instruant, et alios, quantumvis eosdem nasci iubeant. Nam si accurata et circumspecta rerum cogitatione indisciplinis omnia peraguntur, quo diutius quamcunque rem animus tractet, verset, recolat, et quoquo modo agitet, quomodo non aliquis exercitatione quadam et assuetudine, quam sibi exponendam sumsit rei familiaris faetus cognoscat omnia clarius, certius, et distinctius,

et vel voce, vel ſcripto tradat plenius, copioſius, et perſpicacius? Neque enim omnes omni tempore ita nobis ſimiles ſumus, ut non, cum de rebus ſtatuendum eſt, multa aetas, ſtudium, caſus, in noſtris ſententiis mutet, tollat, confirmet.

Hic labor etſi utiliter ſuſcipitur in aliis doctrinae partibus, et numero minoribus, et cognitu facilioribus, et explicatione expeditioribus, ut in libellis philoſophicis, et quibus ceterarum diſciplinarum et artium praecepta traduntur, eoque eventu, ut curae ſecundae, ſicuti trito illo vulgatur, prioribus multo praeſtantiores reperiantur: tamen in primis fructuoſus eſt in hac, grammatica diſciplina, ſcriptorum veterum libris interpretandis occupata, quam rerum diverſitate mira, locorum ſimilitudine varia, verborum formularumque notione, ſententiarum varietate et diſcrepantia cognoſcenda et iudicanda, adiumentorum perficiendi operis copia colligenda et admovenda, ita contineri et abſolvi ſcimus, ut haec omnia multo rerum uſu ſubacti ingenii, et in omni iudicio elegantiſſimi, opus eſſe fateamur; qui vero uno omnia tempore complectatur animo, et opere demonſtret, eum non iam ſummorum hominum ingenio aequiparemus, ſed plane divino excellere iudicemus. Quare quod alii in aliis, ipſe autem celeb. Editor in Aeſchine et Platone illuſtrando et exornando, cum multorum et commodo et favore feciſſet, idem nunc quoque Palephati de Incredibilibus libello, repetita vice, comtius, inſtructius, et ornatius evulgando, agendum putavit. Atqui Vir clariſſ. ab eorum eſt levitate et temeritate alieniſſimus, qui effundant et proiiciant ſubito quae ſcribenda ſint, quin exempli loco, quo cognoſci poſſit, quid faciendum ſit iis omnibus, qui, quid cura et diligentia poſtulet, obſervare velint. Qui ſi iam olim cogitate et ſcienter ſcripta repetat, retractet, recolat cernere licet animo et exiſtimare, quam perfecta, quam culta, quam ornata, quam omnia nitida nobis obventura ſint.

Coeperat enim V. Cl. ex quo ei Collegii Thomani principatus, quem ei fauſtum ſemper et diuturnum eſſe volumus,

traditus

traditus esset, Prolusionum ad indicendas sub anni cuiusque finem oratiunculas, scribendarum, argumenta petere de locis Palaephateis separatim tractandis, et ad singulare observationum grammaticarum caput referendis. Qui quidem libelli, quos, quae eius modestia est, disciplinae tantum modo Thomanae alumnorum causa, et ad invitandum, audiendae orationis gratia, Collegarum numerum, cum scriptos prae se ferret, cum paucis communicabantur, a multis ignorabantur, et ad oblivionem deprimi videbantur, quae huiusmodi libellos alios, ab aliis temere scriptos, merito ipsorum coërcet, et obruit. Nunc, cum multa continerent, quae harum litterarum amantibus usui et oblectamento esse possent, nec lucem subterfugere deberent, aut multorum cognitioni et iudicio manere reclusi: bono et utili consilio, collectos a se, ac Schneidero et Teegio V. V. Cl. Gymnasii Islebiensis alteri Conrectori, alteri Sub-Conrectori inscriptos, anno iam superiore edidit. Sunt dissertationes numero quatuor, in quarum prima vindicantur, explicantur, et illustrantur Palaephatei nonnulli loci: in altera lex critica, quae e duabus lectionibus, eam, quae exquisitior sit, praeferri iubet, vel confirmatur, vel circumscribitur: tertia locos, quos ab interpretibus vertendo male expressos constet, tractat: quarta demum Critices usum verum et iustum, exemplis ex eodem libello petitis, demonstrat. In quibus quae disputantur, sive doctrinae elegantia, sive orationis ubertas, sive exempli gravitas spectetur, vehementer commendata esse debent. Illa quidem liberalis doctrinae cupidos ad legendum allicit: haec in ipso legendi studio retinet, et fastidium, e siccitate tenuitateque grammaticarum praeceptionum forte oriundum, removet: illud denique ostendit monetque quid cavendum, quove contendendum sit vel scholarum magistris, vel Academiarum doctoribus, oblato libellorum, qui Prolusionum vim habeant edendorum tempore. Ut relicta frivola, futili, et inani nullius usui et momenti quaestione, quae intersit cordatis scribi et disputari, ea verborum cultu et orationis ornatu ut nitescant, cogitare et allaborare velint.

Respectu autem Palaephatei libelli Excursus habere licet, in quos reiectae reperiantur uberiores disputationes, adnotationum modum et limites supergressae, sed tamen ad explicationum filum deducendum commodae, et tam adnotationibus quam Indici supplemento futurae. Gratum est etiam, orationes duas, quas V. Cel. munerum et academici et scholastici auspicandorum causa habuerat, adiectas legere.

In recensendo Auctoris libello usus est ope codicis Augustani chartacei, seculo ut videtur quinto decimo scripti, et in indice Augustanae bibliothecae a Reisero commemorati. Qui quoniam non integras narrationes continet, at auxilium tamen in partibus praestitit, veluti in capitibus de Pelope, Cecrope, aliis, et fabula de Amazonibus: secundum hunc conferendi manuscripti laborem copias etiam ex antiquis Codicibus a Tollio, Brunero, Galeoque productas, magna diligentia lustravit et recognovit; quod negotium, quia neglectum ab editoribus, admirante et increpante Koenio ad Gregor. de Dial. p. 53. sciebat, necessario sibi sumendum putavit. Neque factum id est sine fructu: utpote quo locis opusculi laborantibus multis medelam tulisse, labesque librariorum culpa egregio corpori adspersas removisse, apparet. Quod et ipsum auxilium accessit ab Aldino exemplo, cuius lectiones bonas multas Tollius perperam immutasse deprehenditur, editores autem reliqui, diligentiae Tollianae nimium confisi, malas quantumvis et vitiosas, intactas reliquisse intelliguntur. Adiuncta diligenti Corporis Paraeniarum Apostolii inspectione Phasianinam interpretationem comparare, et locorum, ingenii felicitate magis, quam Codicum auctoritate sanatorum, rationem habere non omisit: nec neglexit commemorare et examinare doctorum hominum, in primis Batavorum, coniecturas, et corrigendarum corruptelarum modos. Hae materia critica, quae, si facultas fuisset, auctior et amplior fuisset futura ab adiumentis, quae Bibliothecam Florentinam Laurentianam et Lugduno-Batavam instruunt: hoc lectionum coniecturarumque, cum alienarum, tum propriarum, apparatu, ita usus est in exornan-

dis

dis adnotationum textis subiectarum argumentis, ut coniecturas non nisi gravissimas, et lectiones auctoritate et valore non destitutas recipiendo, multorum in hoc genere proiectam temeritatem effugeret. Quam castigatam quoque dedit Lambini verbis ad Cicer. I. Offic. I. praefationi insertis, quibus accusantur, qui quamcunque ex aliquo Manuscripto prolatam lectionem vulgatae praeferre festinant. Et quamquam adnotationes, iis maxime, quae ad rem criticam spectarent, de more voluit esse instructas; tamen nec vacuas esse sivit ab iis, quae ad multorum libelli locorum illustrationem referrentur, quod effectum est Graecorum et Latinorum Scriptorum loca comparando, quibus, quae aliquam obscuritatem et difficultatem habere viderentur plenius et disertius tradita reperirentur; quo etiam illud pertinet, quod sub singularum narrationum initiis, Auctorum veterum, qui de iisdem rebus aliquid litteris consignassent, commemorantur indicia. Dresigianas observatiunculas retinuit, non quod iis magnum ad intelligendam scriptoris orationem valorem poneret, sed ut memoria conservaretur Viri, qui omnium Palaephatei libelli editionum Lipsiensium, quibus multi pueri, multique adolescentes ingenui, ad Graecarum litterarum studium vel concipiendum, vel alendum, adhuc usi fuissent, auctor extitisset. Policrii versio gallica, non ignorata quidem Cl. Editori, sed in tabernis librariis frustra quaesita, quid vel boni vel vitii habeat, integro aliorum iudicio statuendum relinquitur. Porro, ut constaret omnibus, et pro cuiuscunque iudicandi modo, quo pacto superiores Editores de hoc libello mereri voluissent, existimari posset, cum Fabricii de Palaephato disputatiuncula, reliquorum quoque Editorum omnium Praefationes adiectae sunt. Denique ab indicibus huic editioni adiunctis, nova ei ac singularis commendatio accessit. Ac Indice quidem verborum formularumque Graecarum, non tantum fabularum omnium voces dicendique formas complexo, sed etiam illo, qui ante annos undecim confectus prodiisset, aliquanto ampliore et copiosiore, instructa est. Praeterquam autem quod plenus et copio-

copiosus est, verborum quoque locorumque obscuriorum illustrationes continet, verbis maxime Apollodori, Pausaniae, aliorumque, cum Palaephati oratione conferendis locupletatus: quae eximiae elegantiae et acerrimae diligentiae documenta qui non admiretur et laudet, is aut cupidus sit, aut sensu careat, et ad iudicandum ineptus sit.

Quare istam operam huic libello impensam, sicut Fischeriano nomini intelligimus laudi fore, et lectoribus humanis, aequis, et doctrinae cupidis, gratam et iucundam: ita etiam accuratae eruditionis aemulis omnibus, et scholarum magistris, magno eam ad intelligendum et explicandum libellum adiumento fore, verissime iudicamus. Neque vero dubitamus, quin amicitiae cum Frid. Eberh Boisio, Theologo Quedlinburgensi celeberrimo, ad quem epistola dedicationis loco praemissa, pertinet, coniunctae, dignum et gratum exstet pignus et monumentum.

ELOGIUM GOTFRIDI HEINSII
Mathematum Prof. Publ. Ord. et Academiae Doctrinarum Petropolitanae Sodalis.

Auctore, nomine Acad. Lipsiens. ERNESTIO.

In comparatione ingeniorum graecorum et latinorum, etsi concedendum videtur Romanis, ut Graecos in iis generibus artium eruditarum, quae pulcritudine, copiis, et amoenitate iudicantur, aequasse, in nonnullis fortasse etiam, expolitionis certe diligentia, superasse dicantur: tamen in ceteris doctrinis, quae subtilitate iudicii, et perspicientia rerum abditarum tenentur, fatendum est, Romanos longe a Graecis superatos esse. Nam in Philosophia quidem palam est, inveniendi gloriam Graecis totam propriam esse, in eiusque communionem ut venirent, Latinos ne laborasse quidem videri. Sed in hac tamen, videmus, eos hoc egisse, ut eorum, quae Graeci invenissent, ne quid ignorarent, eaque ad usus suos publice privatimque ut accommodarent: at

at in mathematicis doctrinis multo etiam longius semper abfuerunt a Graecorum scientia et solertia; nec vel unum possis aut commemorare, qui in iis excellenter, et ad Graecorum subtilitatem versatus fuisse dicatur; aut ostendere, qui scripserit, quod mediocritatem vel attingeret, vel superaret. Eius rei de caussis longum sit hoc loco disserere, nec ad consilium orationis institutae pertinet. Sed eam putamus esse caussaum, quare in primis verae doctrinae instaurandae, quae aliquot abhinc seculis facta sunt, initiis, nihil admodum artes mathematicae lucratae reperiantur. Nam initia illa fere orta erant a libris latinis, qui e bibliothecarum Italicarum Germanicarumque tenebris proferebantur, et per novam artem, a Germanis repertam, cum Italisque communicatam, vulgabantur: cum graecorum librorum et tenues copiae essent, multo pauciores vero interpretes, necdum eorum per eandem artem vulgandorum aut initium factum esset, aut res ad libros mathematicos venisset. Nam et alii libri graeci, ut poëtarum et historicorum, ab initio magis per versiones latinas, quam per se, cogniti sunt. Sed quicunque illis temporibus artes mathematicas profundius, quam antea factum esset, cognovere, ii e graecis illis Mathematicorum exemplis, per Graecos exsules, inprimisque *Bessarionem*, in Italiam illatis, profecerant, in quae incidissent, dum ibi peregrinarentur, literarum vel alia de caussa. In quo numero, satis constat, in primis *Io. Regiomontanum* fuisse, per quem etiam exempla graeca, ut Ptolemaici de Astronomia operis, et *Theonis* in id commentariorum, *Archimedis* etiam librorum, et *Eutocii* in eos expositionum, aliorumque exempla Germaniae sunt illata, accepta per *Bessarionem* et alios Graecos, quos ille in Italia doctores literarum graecarum habuerat, ut *G. Trapezuntium*, *Gazam*. Nam et fuit in Bibliotheca Noribergensi Ordinis Ampliss. Codex latinus Geographiae Ptolemaicae, manu notatus et correctus *Gazae*, sed ablatus est mala manu *).

Ierat

*) v. *Raidelius* de Ptolem. Geogr. p. 23.

Ierat autem cum *Purbachio* comes *Bessarioni* in Italiam, vt literas graecas disceret, quarum scientia adiutus rectius cognoscere Mathematicos graecos, inprimisque *Ptolemaei* Syntaxin, posset, cuius Epitomen, accuratiorem vulgata, *Bessarionis* instinctu, *Purbachius* *) instituerat, *Regiomontanus* absoluit. Sed quas Italia extulerat copias eius generis, eas Noribergae deposuerat, cum eo commigrasset ad opportunitatem edendi **).

Sed doctrinae mathematicae, tum vniversae, tum inprimis Geometriae et Astronomiae, et maior perfectio, et frequentiora studia, maxime debentur, in Germania certe, literatoribus, qui non essent rudes illius doctrinae; cuius generis seculi sextidecimi principio plures fuisse in promptu est, *Philippum Melanchthonem, Ioach. Camerarium, Simonem Grynaeum, Th. Venatorium*, in Italia *Petr. Victorium*, et alios, per quos editus est textus graecus *Euclidis, Archimedis, Ptolemaei, Theonis*, aliorumque Mathematicorum graecorum, ex illis ipsis fere copiis *Regiomontani*. Nam his edendis aucta esse et emendata in Scholis disciplinae mathematicae studia, multorum literis traditum est, et res ipsa docet. In ea autem re praecipuum quoddam est nostrae Academiae vel meritum, vel decus. Nam ante illos iam, quos commemoravimus, viros, habuerat, tum aliarum doctrinae mathematicae partium, tum Astronomiae doctorem, superioribus haud paullo meliorem, *Casparum Bornerum*, literatorem eundem, et denique etiam Theologum: quem *Camerarius*, a quo parentis in modum colebatur, testis est, (in Vit. *Melanchth. p. 71.*) ita exquisite, et tanta industria, situs, loca, figuras, ortus obitusque siderum signorumque caelestium

*) v. *Gassendus* in Vita *Purbachii* et *Regiomontani* p. 76. in qua et index est librorum graecorum ex Italia in Germaniam a *Regiomontano* deportatorum, quos edere destinarat, p. 87.

**) v. praef. *Camerarii* ad *Theonis* Comm. et *Venatorii* ad *Archimedem*, *Gassend.* l. c. p. 87.

caeleſtium obſervaſſe, eiusque contemplationis ita planum iter oſtendiſſe ſtudioſis, ut omnes ſuperiores ſuperaret. Et nos alibi oſtendimus, eam illum ſcientiam tractandis Mathematicis graecis conſecutum eſſe, quos in Italia cognoviſſet, inprimisque *Ptolemaei* opere, cuius et Indices diligentiſſime ab eo confectos habet Bibliotheca noſtra Paullina. Ab his porro initiis res orta habuit incrementa, et Vitembergae per *Philippi*, et hic per *Camerarii* praecepta et inſtituta, urgentium voce literisque diſciplinae mathematicae, inprimisque Geometriae et Aſtronomiae ſtudium; quod et ipſae ſua pulcritudine dignae eſſent, quae accurate diſcerentur, et ſine earum ſcientia nemo perfectus, nec literator, nec philoſophus, nec vero etiam Theologus poſſet fieri *).

Sed inprimis reperio, illorum temporum literatores excellentiores Ptolemaicum opus ſolitos ſtudioſius legere et tractare, nec modo ad uſus proprios diſciplinae ſuae, h. e. ad intelligendos et interpretandos poetas, et philoſophorum graecorum principes, *Platonem* et *Ariſtotelem*, ſed ad communes doctrinae univerſae; quod ad veram ſubtilitatem ingenii et iudicii, et ad ἀκρίβειαν in rebus ſublimibus tractandis, non aliam munitiorem viam eſſe iudicarent: quam in ſententiam egregie diſputat *Grynaei* praefatio. Atque huius iudicii adſtipulatorem cognovimus etiam illud Italiae literatae decus, *Benedictum Averanium*, qui ita delectatus eſt *Ptolemaei* opere, ut eius etiam interpretationem latinam ſcribere inſtituerit, ſuperioribus elegantiorem et accuratiorem **); quam dolendum eſt perfectam non eſſe, itemque verſionem *Theonis* in *Ptolemaeum* commentariorum, ad exemplum edito plenius, interceptam eſſe. Et ſunt profecto in *Ptolemaei* opere, praeter ipſam argumenti pulcerrimi tractandi ἀκρίβειαν ſummam, cum pari perſpicuitate,

*) Legant ſtudioſi *Philippi* praef. ad *Euclidem* latinum, ab ipſo editum, Baſ. 1537.

**) v. *Joſ. Averanii* Vitam *Benedicti Averanii* in Opp. poſtum. Tom. I.

praecepta communia doctrinae plura, exquisito philosophi iudicio digna, et plurimum utilitatis ad bene cognoscendum habentia.

Sed, ut illuc redeamus, in his, qui proxime a *Bornero* in hoc genere doctrinae et ipsi illustres fuere, et Scholam nostram illustravere, princeps sine dubio numerandus est *Io. Homilius*, (nomine ad formam graecam flexo ab Hommeliano,) quem *Camerarius* ait*) ab excellentibus quoque in eo genere studiorum quae ille potissimum professus esset, viris, hoc est, Mathematicis, principem earum artium iudicatum esse. At ille cum ceteras earum partes eximie calleret, tum vero inprimis excellebat in Astronomia, ad cuius usum etiam nova, eademque exquisitissima ratione inventa et composita, instrumenta et machinamenta struxerat, propter quae et *Carolo* Caesari, et *Augusto* Principi Electori, gratissimus et prope familiaris fuit, ab iisdemque magnis auctus est praemiis.

Ab illo tempore etsi non defuere huic Academiae, qui illam partem doctrinae cum laude, et ad usum iuvenilis aetatis accommodate, docerent: nam et *Camerarius* eo, quo diximus, loco fatetur, (utrum ita senserit, an humanitatis caussa dixerit, non decernimus,) iacturam in *Homilio* factam bene reparatam esse successoris dignitate; et possunt commemorari alii non obscuri eius magistri: tamen in illa studiorum perversitate, quae, post illud felix literis apud nos seculum, sive Philippicum malis, sive Camerarianum dicere, invaluit, et per totum amplius seculum duravit, nihil, quod insigne esset, habuit civitas nostra, nec omnino Germania multum; cum illis temporibus, de quibus ante diximus, principatum in hoc genere teneret. Qua in re nostra aetate felicior fuit, ut universa Germania, ita nostra etiam civitas. Nam et illa habuit, qui in principibus Mathematicorum, ingenii altitudine, et inventorum subtilitate, ponerentur, certarentque de principatu cum Britannis et Franco-Gallis,

*) In Or. de *Io. Homilio* 1563.

Gallis, aliisque externis; in his longe principem *Leibnitium*, ipsum Lipsiensem, sed ereptum Lipsiae patriaeque communi per inscitiam invidiamque: et Schola nostra duos excellentes in ea disciplina viros, et omnibus superioribus eius in hoc genere doctrinae professoribus longe superiores, *Hausenium* et *Heinsium*, hunc vero, in Astronomia quidem, et ipsum sine pari. Quo magis intelligitur, quantam eius morte iacturam nuper fecerimus. Id ut magis intelligatur, breviter, quomodo natus educatusque sit, quo cursu ad illam tantam doctrinam pervenerit, quae instituta docendi ac scribendi, qui habitus ingenii, animi, morumque, qui finis vitae fuerit, exponemus.

Gens est a pluribus aetatibus Numburgi ad Salam *Heinsia*: non illa quidem honorata, at honesta cum primis, nec sterilis bonis ingeniis, claris etiam inter nos familiis, ut Deutschmanniae, innexa. Ex ea fuit *Jacobus* quidam, Magister Collegii restiariorum, paterfamilias diligens, et rei honestis artibus faciendae peritus. Is ex *Reinecceria*, civis Pegaviensis filia, suscepit *Gotfridum*, de quo dicimus, anno seculi nostri nono a. d. IV. Kal. Maias. Celeriter prodidit se ingenium pueri, et tum facilitas, tum cupiditas discendi. Itaque quartum aetatis annum agens mitti potuit in Scholam publicam; in qua, per omnes ordinum gradus, ad primum usque pervenit: nam et ipse puer literarum studia sequi cupiebat, et praeceptores Patri auctores erant. Sed in ea Schola tum ceteras partes puerilis doctrinae studiose ac diligenter didicit, tum in primis, captus per occasionem aliquam doctrinae mathematicae cognoscendae cupiditate, impetravit a *Blossio*, qui ei Scholae regendae tum praeerat magna cum doctrinae et dexteritatis laude, ut sibi eius initia traderet. Hunc tum ceterae eruditionis, tum mathematicarum doctrinarum amorem in Academicam disciplinam pertulit, annos natus viginti. Et ille ad Iuris quidem civilis doctrinam se conferre statuerat, audiebatque, praeter Philosophos, qui tum maxime clarebant, illius scientiae magistros: ceterum mathematicae doctrinae, tum universae,

tum inprimis Astronomiae amore ita captus tenebatur, ut ad extremum in ea domicilium studiorum collocare decerneret. In quo plurimum valuerat magistri, *Hausenii*, quem ante commemoravimus, excellens scientia, et docendi tum solertia, tum fides. Nam ut nihil de scientiae altitudine dicamus, vis docendi et demonstrandi erat tanta, ut, etiam in difficilioribus rebus, et intelligere, et assentiri, cum suavitate quadam cogeret. Nos quidem adhuc illius sensus delectat memoria, quem nobis impressit docendo, cum primum e quamvis accurata *Hasii*, Mathematici Vitembergensis, disciplina, ad eum venissemus, traditi viro a fratre nostro, qui nuper est mortuus, ipsiusque de consilio audiremus publicas super Mechanicis, quas tum maxime instituebat, lectiones; in quibus non modo ea vel explicabat, vel corrigebat, quae essent in Germanicis *Wolfii* elementis, sed etiam universam de legibus motus theoriam, ut ipse vere dicebat, primus in hac Academia tradebat, idque sine libro: quae nos deinde domi scribebamus, redeuntes per vestigia rerum perspicue nobis impressa ab illis vividis et efficacibus demonstrationibus, ipse vel emendabat, vel explebat, si qua lacuna apparebat. Itaque qui doctrinae mathematicae studium cogitaramus assumere, memores alicuius orationis paternae, ad acuendum ingenium, et ad verae in differendo ac demonstrando subtilitatis sensum imbibendum, ita capti eramus doctrinae illius dulcedine, ut ad eam toti adhaesissemus, nisi nos *Stiglitii*, alterius parentis nostri, quamquam illorum studiorum amantissimi, consilium abstraxisset. Sed bonitas disciplinae nullo alio documento certius intelligitur, quam discipulorum haud ambigua claritate. Et Hauseniana disciplina *Kaestneros*, *Baermannos*, et *Heinsios* tulit. Sed, ut ad *Heinsium* redeamus, non modo privatas ille praeceptoris, inprimisque publicas lectiones, quae erant optimae et diligentissimae, inprimisque destinatae iis, qui iam aliquid profecissent; non ergo has modo assidue studioseque audiebat, sed etiam separatim eius opera utebatur, ad sublimiora cognoscenda. Nam nosmetipsi ex *Hausenio* audivimus in

sermone

ſermone tum familiari, *Phoronomiam* a ſe *Hermannianam* explicari *Heinſio*, qui in mathematicis diſciplinis excellentius verſari geſtiret.

Ceterum, cum ita profeciſſe magiſtro videretur, ut ipſe poſſet alios docere; prius voluit experiri ingenium ac profectum ſcribendo ac diſputando. Itaque ſcripſit libellum, *de viribus motricibus* (a. 1733.) *Hauſenio* praeſide pro cathedra diſceptandum: ex quo nata eſt controverſiola, ipſum inter et *Stubnerum*, virum in philoſophia et mathematica doctrina egregie verſatum, aliquot libellis agitata erudite et liberaliter. Nam cum ipſe de ea re, et de virium motricium menſura, ſecundum *Carteſium* iudicaſſet, eiusque rationem contra Leibnitianam defendiſſet; *Stubnerus* Leibnitianae defenſionem contra Carteſianam ſuſceperat, Leibnitianae demonſtratione proponenda. Ei cum oppoſuiſſet noſter Animadverſiones quasdam, *Stubnerus* alio libello ei ſatisfacere tentavit: cui ille mox reſpondit (a. 1735.) ita, ut notiones et diſcrimina virium vivarum et mortuarum explicaret apte ad quaeſtionis iudicium. Ita finis factus eſt liti.

Interea ipſe Magiſter artium et philoſophiae creatus (a. 1734.) paullo poſt ius privatim docendi adeptus eſt alia Diſputatione propoſita, quae modum longitudinis tormentorum bellicorum definiendae per principia mechanica explicaret: a qua Diſputatione ſtatim mathematicas diſciplinas tradere lectionibus privatis coepit. Duobus annis poſt (a. 1736.) cum aliam pararet, *de vi inertiae*, per quam ſibi aditum ad Collegium Philoſophorum patefaceret, oblata eſt ei a Petropolitanis Profeſſio Aſtronomiae extra ordinem docendae, per quam etiam adiungeretur *Ioſepho Nicolao Inſulano (de l' Isle,)* Profeſſori Aſtronomiae primario, in obſervationum aſtronomicarum negotio; cuius cauſſa ei et locus inter Academiae Sodales dabatur. Ea conditione accepta, hinc profectus venit Petropolim menſe Septembri anni 1737. exſpectatus vehementer per commendationem Hauſenianam. Quam exſpectationem ipſe non modo ſcientiae ſub-

ſubtilitate, et caeleſtium obſervandorum aſſiduitate ac diligentia, egregie ſuſtinuit, ſed etiam ſuperavit. Erat enim tantum ſtudium ſpeculandi caelum nocturnum, et obſervandi, ſi quid eſſet dignum animadverſione, ut nec vigiliis fatigaretur, nec frigoris moleſtia. Ipſum audivimus cum narraret, in illa acerrima hieme anni 39. ſe non omiſiſſe obſervandi conſuetudinem, etſi ſaepe interrumpere obſervationes propter frigoris vehementiam, et fricare nive manus neceſſe haberet, ad excutiendum torporem. Atque hinc nata ſunt ea quae ſaepe exhibuit Academiae ſpecimina obſervationum ſuarum, fere in Commentarios Petropolitanos relata. Itaque cum *Inſulanus* a. 1740. in Sibiriam iret, et ad ſpeculandum, prope ipſum Obii fluminis oſtium, Mercurii per ſolem tranſitum, qui die altera Maii futurus erat, et ad alia item obſervanda, quae Aſtronomiae pariter et Geographiae uſui forent; noſtro omnis ſpeculae Aſtronomicae cura credita eſt, adiunctis *Kraftio et Tidemanno*, viris doctiſſimis, qui ei operam in ea cura navarent. Qua curatione accepta etiam magis incenſus eſt, non modo ut ipſe pro ſe omnem in ea re diligentiam aſſiduitatemque exhiberet, ſed ut etiam alios ad obſervandi dexteritatem diligentiamque acueret. Itaque inſtituit quosdam adoleſcentes aſſumere, quibus primum obſervandi caeleſtia modum et artificium demonſtraret, deinde exercitatis ipſe in obſervando uteretur. Itaque etiam nunc eius in adminiſtratione illius muneris curam, fidem, aſſiduitatem, ita laudant Petropolitani, ut omnibus, qui poſt ipſum fuerint, haud ambigue praeferant. Ceterum illa procuratione ſuſcepta, finem lectionibus publicis fecit, quibus elementa mathematica adoleſcentibus tradiderat ſecundum *Weidleri*, Mathematici Vitembergenſis, *Inſtitutiones;* ad quas tamen duobus annis poſt rediit. Nec ille omiſit commentari interdum, quae in conventibus Academicis praelegeret: quale fuit, quod de *Orbitarum planeticarum apparentiis*, (Graeci vocant Φάσεις,) ſcriptum praelegit, exhibeturque in *Commentariis Petropolitanis (Tom. XIII. p. 260.)* item eodem anno, cum *Eulerus*, vir in hoc genere doctri-

nae

nae summus, ad Academicos commentariolum misisset, in quo methodus traderetur orbitae parabolicae describendae, quam cometa decurreret; ipse secundum eam descripsit modum eius reperiendae per quandam constructionem, quae tribus punctis sive locis orbitae datis fieret. Sed eam methodum etsi Academicis praelegerat, tamen edi formulis chalcographicis noluit. Nam quae de eo, quem Astronomi vulgo vocant, annulo Saturni, scripsit, cum anno 43. et 44. conspicuus in caelo non fuisset, ea apud nos in Schedis literariis tum edita sunt, post diligentius ab ipso elaborata.

Haec et his similia cum ageret, floreretque iudiciis omnium, ecce per *Weidlerum* ei Vitemberga nunciatur, cathedram mathematicam, quae morte *Hasii* vacaret, ipsi Principis decreto destinatam esse. Ibi tum sensit se tangi patriae amore; decrevitque accipere, quod oblatum: nec ita multo post se accinxit itineri, venia abeundi impetrata. Et eam impetravit ab invitis ille quidem, cum omnes talem sibi virum eripi dolerent, sed tamen ab non ingratis, nec ut effunderetur gratia, meritis collecta per plures annos, ut fit; estque sic dimissus, ut honoris caussa in numero Sodalium Academiae maneret, cum stipendio annuo ducenorum scutatorum: quod ei ad finem usque salvum fuit. Sed cum velut ad Vitembergenses abisset, venit ecce ad nos. Et erat aequum, Lipsiam meliori iure et conditione in eo esse, cuius doctrina Lipsiae deberetur. Etenim dum est in via, moritur Praeceptor eius *Hauserius*, cuius videndi desiderium et ipsum valuerat in consilio repetendae Saxoniae. Is cum morti vicinus interrogatus esset ab iis, qui adessent, collegis, quem sibi successorem iudicio suo destinaret; *Heinsium*, respondit: nec alium ultra edidit. Quo iudicio motus Ordo Philosophorum institit orare Principem, ut hunc potissimum sibi collegam daret: idque facile impetravit. Nec ipsi non poterat longe acceptior esse hic locus, quo capessendo etiam gratum se Lipsiae alumnum praestare posset. Adiit ergo hunc docendi locum per legitima et solemnia ei rei specimina doctrinae. Eum porro quemadmodum ad fi-

nem usque non modo tueri perrexerit, sed etiam ornare, in re clara non diceremus, nisi ea, quae ad hanc doctrinam pertinent, minus nota vulgo, ac plerisque adeo ignota essent. Neque enim popularia sunt ista studia Et nos non illum populum modo dicimus, qui proprie dicitur, sed etiam qui se in doctis hominibus numerat, et viros magnos creare non dubitat.

Itaque primum docendi non modo subtilitas et accuratio, sed etiam perspicuitas erat tanta, ut prope, sicut, qui in clara luce apertis ad videndum oculis ambulant, necessario vident quae sunt ante oculos, ita qui eum demonstrantem res propositas audirent, non possent non intelligere quae traderet: nisi si forte essent, qui ab ipsa lucis magnitudine caligarent, ut fit in sole nimis multo. Nec id incerta fama praedicamus, aut ex laudibus modo adolescentium, quos nosmetipsi eius disciplina uti iussimus; sed ex iis, quae audivimus saepius in examinibus eorum, qui Magistri artium creari vellent. Nec infrugifera eius disciplina fuit etiam in hanc partem, qua supra diximus maxime Doctores praeclaros spectari. Etenim satis constat, plures per eius disciplinam ita praeclare profecisse, ut ipsi docere artes mathematicas cum laude possent: quos nominare non est necesse.

Sed cum maxime vacaret scholis habendis, publicis privatisque, etiam quae singulis haberentur, praesertim qui exquisitius discere cuperent, non neglexit etiam scribere, quae doctoribus prodessent: primum per occasiones Academicas, deinde ut essent quae in Commentarios Petropolitanos suo nomine insererentur, nec in hoc genere scribendi commemorari possunt. Libros maiores non scripsit. Non ita facile est, in huius doctrinae subtilitate, et erudita tenuitate, libros magnos efficere: neque enim in ea licet loquacem esse et belle nugari. Et compendiis vulgaris doctrinae scribendis ad laudem affectare viam, indignum sua Professoris clari persona ducebat. Inventis hic novis paratur gloria, et accurandis iis, quae ad ἀκριβείας perfectionem

nem nondum sunt adducta. In quo et verbis paucis opus est, et brevitas est gratior. Atque etiam non tulisset laboris continentis, in magnis operibus scribendis necessarii, contentionem et molestiam. Etenim, quamvis robustum natura corpus partim frigoris magnitudo, partim victus Petropolitanus, cuius consuetudinem dimittere non sustinebat, ita affecerat, ut praesertim per hiberna tempora, parum valeret. Inprimisque ventriculi imbecillitate affictabatur, et iis, quae inde nascuntur, incommodis; de quibus post commemorabimus.

In ingenio Viri, praeter acumen in intelligendo et iudicando, maxime laudaverimus diligentiam in cognoscendo, et in cogitandi veluti progressione considerantiam: ex qua exsistit et in intelligendo perspicuitas verissima et in iudicando assentiendoque securitas. Ad eam et ab ipsa natura factum erat ingenium, et vero inprimis, tum universo doctrinae, ad quam se dederat, genere firmatum, tum assuetudine illa et assiduitate observationum caelestium, et supputationum astronomicarum; quarum ipsa indoles prope cogit esse diligentes et considerantes, etiam in rebus minimis. Ab eademque nata erat illa docendi in rebus tam subtilibus dexteritas, de qua ante commemoravimus, felicibus ingeniis apta pariter et tardioribus. Nam cum eadem constantia et considerantia progrederetur in explicando ac demonstrando, tum ingeniorum felicium ac celeres motus habentium festinationem cohibebat salubriter, eaque, veluti equos ferocientes atque exsultantes solent domitores, per arenas ire suspenso gradu cogendo, subigebat; tum aliorum imbecillitatem ac tarditatem sublevabat, in quo est disciplinae virtus maxima.

At illa virtus nec ab tristitia quadam naturae ducebatur, nec eam induerat ingenio. Etenim in vita communi, et in circulis amicorum, multum hilaritatis erat, plurimum etiam ioci et facetiarum. Neque enim ita diffidet atque distracta est severitas doctrinae mathematicae cum hilaritate ingenii atque vitae, ut in eodem esse non possint. Ille ipse

Praeceptor communis *Hausenius*, in sermone communi erat plenus facilitatis et hilaritatis. Nam etiam tristitia scribendi in utroque interdum inclinare in obscuritatem visa *), non ab ingenio vel naturae vel doctrinae erat, sed quod exercitatio ingenii ad scribendi facilitatem et hilaritatem defuisset: sine qua difficile est obscuritatis speciem effugere, si diligentior in rebus reconditis explicandis esse velis. Quod contra videmus aliis viri discipulis, quia illa exercitatione sunt usi, *Kaestneris* et *Baermannis*, nihil esse in scribendo facilius, etiam nihil lepidius cum in argumento, materiam venustatis habente, versantur.

In philosophia et omni genere doctrinae comparando, omnia tribuebat diligentiae et assiduitati exercitationis in cognoscendo, praeceptis paullulum loci relinquens: valdeque probabat *Hermanni*, Mathematici summi, iudicium, quem narrabat iussum Petropoli praecepta logica tradere studiosis, cum prima hora de ideis, altera de nexu et relatione idearum, sive ut Dialectici loquuntur, subiecti et praedicati, dixisset, finem fecisse praecipiendi: quod nihil praeterea scire se diceret, quod ad bene intelligendum et iudicandum necessarium esset; cetera usu et exercitatione constare.

In omni numero scriptorum eius facile primas tribuerimus commentariolo *Super Cometa*, qui annum abhinc septimum et vicesimum (1744.) Astronomis insignem fecit: tanta inest diligentia in observando, in principiisque constituendis, et subtilitas, atque severitas in ducendis inde conclusionibus, et ad explicanda ea, quae observata essent in cometa ipso et eius decursu, et ad intelligendam communem cometarum naturam! Initium facit ab commemorandis opportunitatibus observandi, quae in illo cometa supra ceteros omnes fuere, in quibus speculandis constet Astronomos ante laborasse. Sequuntur observationes ipsae, a prima conspecti sideris die (d. 5. Jan.) ad ultimam: quinta et vicesima Februarii fuerat: in quibus, quoniam libellus non Astro-

*) v. *de la Lande* Astronomie T. II. p. 1262.

Astronomis subtilissimis, aut solis, scribebatur, magis earum rationem duxit, quae ad naturam cometarum cognoscendam prodessent quam quae ad positum quemque sideris illius, astronomica accuratione definiendum, pertinerent. Tum aggreditur iter eius ipsum circa solem, per anfractum Apollonicum sive parabolicum, (quod est genus curvae de genere sectionum conicarum,) e vestigiis observatis definire, comparatque cum cursu terrae simili, h. e. per eiusdem generis orbitam, et versus eandem coeli plagam. Inde de figura et magnitudine, tum corporis cometici ipsius, tum syrmatis lucidi, caudam vocant vulgo, et lucis a sole acceptae, modo tradit. Post persequitur adspectabiles situs, figurae, lucisque in syrmate varietates, comparatque cum principiis cometicis, quam theoriam cometicam appellant: quod facit singulari diligentia, quae in multitudine rerum, etiam minutarum, quarum ratio haberi debet, inprimis est ad securitatem iudicandi necessaria: descripta etiam et designata via per quam, et quomodo, in eo negotio incedi debeat. Nec tamen certa hic facit omnia, sed coniecturis paullulum loci relinquit. Syrma cometarum, secundum Neutonianam rationem, e vaporibus cometae ducit, et ad extremum in aethere dissipat: nec dubitat, quin brevitas modo *Neutoni* nimia locum fecerit dubitationibus. Ipse de syrmatis illius miraculo ita differit, ut primo natales vaporum in atmosphaera comet e indaget, deinde vel surgentes, vel effluentes ad immensa spatia, et in aethere natantes, persequatur; ad extremum, modum surgendi ad illum tractum lucidum efficiendum definiat: usus principiis certis mathematicis et physicis in explicando, et usitata illa diligentia sua, etiam in circumspiciendis animadvertendisque difficultatibus, et de medio tollendis: estque ea longior, et luculentior, et ad legendum iucundior libri pars. Nam et tum maxime miraculo est cometa; cum illa *pandit spectacula caudae*, et eius miraculi explicatio maxime expetitur Ex uno hoc ungue cognoscet Heinsium posteritas intelligens in

magnisque viris eum, et veris Lipſiae decoribus, numerabunt, pauci illi quidem, ſed non de vulgo, hoc eſt, a quibus ſe ſolis ipſe cupiat probari laudarique.

Sed libellus tamen hic minus latam famam habuit, quod erat ſermone patrio ſcriptus, nec legebatur niſi a popularibus aut linguam Germanicam doctis: nam erat iis deſtinatus proprie. Ad exterarum pariter nationum Aſtronomos *) nobilitavit viri nomen inprimis Commentariolus, quem latine ſcripſit ab reditu in urbem noſtram (a. 1745.) inſcripſitque, latinitate mathematica, *de apparentiis annuli Saturni*: in quo praeter ea, quae de re univerſa diſputat, ſumma diligentia perſequitur, quam ſpeciem lucidus ille circulus, qui Saturni orbem paribus undique intervallis amplectitur, in quolibet ſideris poſitu, obiiciat ſpectantibus e terra quocunque in loco curriculi terreſtris. Et haec ille primus enucleatius tradidit; in priori illo poſt plures alios elaboravit.

Religionis pietatiſque reverentiam et amorem malebat ſenſu, a perſpicua et certa rerum divinarum ſcientia orto, et rebus eo ſenſu dignis, probare Deo, quam auribus et oculis humanis per verborum ſanctorum et actionum externarum ambiguam ſpeciem. In tota vitae ratione ſimplicitatem ſequebatur, probitatem, fidem: ſua magis curare, quam aliena ſpeculari: nihil machinari contra alios: nulli ſermones maligni, et alienorum vel animorum vel factorum interpretes. Fratribus et ceteris propinquis pietate; collegis, amicis, fide, integritate, etiam facilitate et ſuavitate ſatisfaciebat. Quod erat a labore docendi vacuum tempus, fere meditando, legendo, ſcribendo conſumebat. Itaque multa volumina Excerptorum, Obſervationum, et Commentationum reliquit: quippe domi plurimum raro foris erat. Φίλον οἶκον ἄριστον ducebat. Cum tamen foris vel prandebat, vel coenabat, et frontem et animum, ut ante diximus, ita explicarat, ut nulla domeſticae ſeveritatis veſtigia apparerent.

In

*) v. *de la Lande* l. c. p. 1259.

In corpore conſpiciebatur proceritas ſine gracilitate, et cum dignitate virili: color oris, qualis eſſe bene valentium ſolet, rubor nigricans. Vox gravis erat, et ſermo cum dignitate tardior, praeſertim in diſſerendo ac docendo. Corpus ipſum a natura firmitatis ac roboris plurimum habuerat; ſed naturalis ille vigor fractus erat aliquantum iis, quibus ſupra demonſtravimus, rebus. Inprimisque tentabatur ſubinde, per hiemem, deſtillationibus: quod malum etiam augebatur ipſa valetudinis et incommodi illius cavendi cura. Nam munire corpus a gravedine cupiens, cum non modo aërem liberum et frigidiorem vitaret, ſed etiam calidiori cubiculo uteretur; languorem contraxit, non modo qui membra corporis, ſed etiam qui viſcera obtineret. Eum ſaepius excuſſit ille quidem, per aeſtivos menſes, itineribus ad propinquos ſuſcipiendis, et aquarum vel Carolinarum, vel Pyrmontanarum, aliorumque remediorum uſu, ut etiam per autumnum, et primos menſes hibernos, commode valeret, ſufficeretque agendis iis, quae muneris publici rationes poſcerent: at ultimis plerumque redibat languor anniverſarius, prope ſemper cum aliqua acceſſione. Anno autem duodeſeptuageſimo eum longe citius oppreſſit, atque etiam gravius. Nam menſe ipſo Septembri ita elanguerat, ut hiemem valde moleſtam medicus timeret. Nec timor vanus fuit. Et remedia quidem adhibebantur a *Ludovico* noſtro, V. Cel. cui etiam amicitia auxerat curam, efficaciſſima; ſed eorum vis vincebatur a corporis inertia, quae nulla exercitatione in aëre libero expelleretur. Itaque conſecuta ſunt, quae ſolent, ἀνορεξία et δυσπεψία: quibus cum humorum et elaboratio, et per corpus circumactio, impediretur, ita brevi fractus eſt, ut prima et vigeſima Maii menſis die exſpiraret anno exacto ſexageſimo cum menſibus tribus, diebusque totidem.

Mors fuit ſimilis vitae, placida et tranquilla. Et firmaverat animum adverſus terrores mortis, et deſideria vitae terrenae, partim per vitae ipſius tranquillitatem et prope ſolitu-

ſolitudinem, non multis aut arctis vinculis adſtrictus bonis et negotiis terrenis, partim per cogitationes rerum caeleſtium, non modo earum, quarum contemplator fuerat aſſiduus i. e. adſpectabilium, ſed etiam quae ſub adſpectum non cadunt, ſolaque mente per doctrinam Ieſu Chriſti cognoſcuntur; ad quarum cogitationem, etiam inter morbum, per ſermones D. *Kiernert* V. S. R. adducebatur. Nec in ea cogitatione languor animi animadvertebatur, ſimilis ei, qui corpus deiecerat: ſed vigor praeſto erat mentis, a perpetuis cogitationibus rerum intelligibilum exercitatae. Nam is et in corporis languore non extinguitur, aut totus deſerit hominem: cum apud eos, qui rebus ſenſibilibus immerſi, raro et ſegniter mentem ad inviſibilia attollunt, etiam in magno corporis vigore, animus ad inſenſibilia langueat.

Nunc ſublatus a terra, ut confidimus, ad novum et ſine nubibus caelum, gaudet, ſub pedibus videns illa nota ante et cara ſidera ſpectansque e propinquo univerſae mundi machinae architectum, et motuum coeleſtium omnium moderatorem, Deum, menteſque circa ceteras beatas; quibuscum haurit animo toto Deum, in eoque haerens cogitatione, liquidiſſima perfunditur beatiſſimaque ſuavitate.

Hanc felicitatem ei ita gratulari convenit, ut ad eam nos quoque adſpiremus, avellendo animo a ſenſuum vanitate et ludibriis, et ad rerum inuiſibilium veritatem traducendo, ne cum tempus hinc abeundi venerit, tergiverſemur, ſed ut ad longe meliora tranſituri, obedienter et cum gaudio diſcedamus.

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiae

Calendis Maii Anno MDCCLXXI.

ΠΛΟΥΤΑΡΧΟΥ ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΥΠΟ ΤΟΥ ΘΕΙΟΥ ΒΡΑδεως τιμωρȣμένων. *Plutarchi liber de sera numinis vindicta. Accedit fragmentum, eidem vindicatum, apud Stobaeum. Recensuit, emendavit, illustravit, DANIEL WYTTENBACH.*

Lugd. Batav. apud S. et I. Luchtmans 17. plagg. octonis.

Omnes graecarum literarum studiosos lactaturos arbitramur, cum in magna eorum, qui libros in hoc genere scribunt, multitudine, tandem etiam aliquem exortum esse audierint, qui iustae editionis operum Plutarchicorum laborem susceperit. Nam Cl. Wyttenbachius ideo hunc libellum edidit, ut specimen esset operis futuri, quod ea lege pollicitus est, si suam hanc operam viris doctis probari intellexisset. Probabunt vero, cum ab eo munus receptum viderint, a quo praeclare administrari possit. Habet enim hoc specimen, cum a labore et diligentia, tum a doctrina, peritia iudicandi, et modestia Cl. Editoris, permagnam commendationem. Nos ipsi, quo difficilius esse intelligimus, scriptorem multarum literarum tractare, qui ex omni doctrinarum parte aliquid attigerit, et quidquid exposuerit, in

eo ad reconditas philoſophorum opiniones, temporumque occultam ſaepe memoriam, reſpexerit, eo plus virium ac valetudinis Editori precamur.

Praeſidiis conſtituendi textus his uſus eſt: excerptis codicis Harleiani; codice Voſſiano, e quo varias lectiones ad calcem editt Francof. et Pariſ. fluxiſſe ſuſpicatur; rurſus codice, quem nomine collationis Schotti adpellavit; variis lectionibus, ad marginem Aldinae e codice quodam notatis; omnibus denique editionibus, et animadverſionibus Reiskianis. In his praeſidiis ſi quid fuit, quod vulgatae lectioni aut neceſſario praeferendum eſſet, aut ad eam facile conſtituendam corrigendamque pertineret, id ipſi textui ſubiecit, reliquis in animadverſionum libellum coniectis. Graeco textui verſio latina recepta addita eſt, raro ipſa re mutata, in notis tamen perpetuo diiudicata. Dicemus ergo de animadverſionum libello, qui textum ſequitur.

Differitur pag. 11. de verbo σπαράττειν, quod etiam *conviciis lacerare* ſignificat, exemplis cum aliunde, tum e Plutarcho collectis: ut omnino Plutarchicae dictionis ſimilitudo diligenter comparata eſt. Ibidem dicitur aliquis καταφορεῖν τῆς πενίας, *convicia in eam conferre.* Hic primo καταφέρειν τινὸς, *impingere alicui maledicta*, et καταφορεῖν τινὸς, *cumulate in eum effundere*, ex analogia aliorum compoſitorum e themate φέρειν, diſcernuntur: deinde καταφορεῖν, quod nuſpiam occurrit, illuſtratur atque vindicatur loco inediti Grammatici, qui καταγλωττίζειν interpretatus eſt καταλαλεῖν καὶ καταφορεῖν: rurſus coniugata verba conferuntur: denique monetur, confundi fere καταφρονεῖν et καταφορεῖν, ut in hoc Plutarchi, et illo inedito grammatici loco. Paulo poſt ultio dicitur ἀντιφράττειν τὴν ὁδὸν τοῖς ἐπιπλεῖστον εὐρούσῃ τῇ κακίᾳ χρωμένοις, quod p. 14. ita verti poſſe iudicat: *velut obiecto aggere fortunatum obſtruit torrentem malitiae:* quae quidem verſio nobis etymologiam nimis urgere videtur. Etſi enim moneri poteſt,

quid

quid in tropis sit, versio tamen omnia exprimere anxie non debet, et si quis verterit, *remoratur prosperum impietatis successum*, aut *retardat cursum*, nec vim loci fregisse, nec a vero aberrasse videbitur.

E genere critico haec sunt. Pag. 10. ipsius dialogi, homines, de divina providentia iudicantes, comparantur cum expertibus artis, qui artificum consilia ἀπὸ δόξης καὶ διανοίας diiudicant: ubi διανοίας in ὑπονοίας mutat, *e sua opinione iudicant*, quam emendationem et δόξα flagitat, et κατὰ τὸ εἰκὸς, quod sequitur, confirmat. Quod pag. 16. fieri dicitur ἐν τάξει καὶ μεταμελείᾳ, id, probata emendatione, ἐμμελείᾳ, melius intelligitur, est enim sensus, *recte atque ordine*. Atque hoc ipsum ἐμμελείᾳ iam Xylander in suo codice invenerat; deinde libri quidam ἐπιμελείᾳ habent, quod haud dubie ex εμμελείᾳ natum est. Probamus et illud, quod ἀποτίνων pag. 38. in ἐπιτεῖνον mutatur, (dicitur autem is, qui peccat, mox transeunte dulcedine peccandi frui, sed τὸ συνειδὸς ἐγκείμενον ἔχων καὶ ἀποτίνων,) nam ita ipsa conscientia male facti et *inhaerens*, et *intentans poenas* dicitur: cum contra, si quis ἀποτίνων defendat, sensus sit, *poenas solvens*. Ibidem θύννον βολαῖον e veteri poeta *vulneratum* s. *tridente percussum* interpretatur: etiamsi enim et *incitatus*, (nam βολὴ est *impetus*,) intelligi poterat, illud tamen praefert. Obiter locus cuiusdam poetae apud Longinum 23, 2. sic corrigitur: λαὸς θύννων ἠϊόνεσσι — κελάδησαν, *thynnorum grex ad litora tumultuatur*: ita ergo codicum scripturam, θύννων, tenet; sed ἐπ' delet e coniectura. Pag. 44. in eadem periodo apodosis ad protasin sic refertur: ὥσπερ — ταῦτα: hic ergo ταύτῃ corrigit, et in initio periodi γὰρ post ὥσπερ inserit, utrumque, ut videtur, recte. Pag. 46. ὁ φαῦλος, etsi aliquid cum laude et honestate fecerit, tamen mox poenitentia capi dicitur. Cum vero, toto loco perlecto, non tam de improbis in universum, sed de avaris sermonem esse adpareat, φαῦλον malit in

φιλάργυρον mutari, quod verbum, per compendium ſcriptum, veluti φλγρς, potuerit cum altero confundi. Defendat fortaſſe quis illud φαῦλος, ut *humilem, vilem, abiectum* intelligat, qualis eſt ille φιλάργυρος, qui a Plutarcho deſcribitur. Sed nobis inſuper ab initio loci pro οὐ γὰρ legendum videtur, ὁ γὰρ: locum enim ſic intelligimus: Avarus, ſi vel maxime quid cum laude fecerit, mox poenitentia angitur; idem ille, plauſu decoratus, tamen ad humilitatem avaritiae revolvitur: et homicidas dubitabimus poenitentia vacuos eſſe poſſe? Sed ita articulus ante φαῦλος ſ. φιλάργυρος delendus erit. Pag. 52. in loco veteris poetae, quem Toupius et Valkenarius Euphorionem eſſe putant, virgines Locrenſes dicuntur ſervili habitu ἢ οἷαι σαίρειν Ἀθηναίης περὶ βωμὸν, ubi Cl. Wyttenbachius, invitis omnibus libris, ἠοῖαι *matutinae*, edidit: quae correctio quo lenior eſt, eo facilius alteri lectioni, e qua nullus ſenſus oritur, praeferetur. Pag. 60. traditur, civitatem eſſe ἕν τι, quamvis multae aetates longa ſerie invicem ſucceſſerint; quemadmodum animal idem maneat, quamvis multas e genere externarum mutationum ſubierit: manet autem ἕν τι, μέχρις ἂν ἡ ποιοῦσα καὶ συνδέουσα ταῖς ἐπιπλοκαῖς κοινωνία τὴν ἑνότητα διαφυλάττῃ. Adparet facile, ἡ ποιοῦσα corrupta verba eſſe: ipſe Editor ἡ ἑνοῦσα maluit, Cl. Ruhnkenius ἡ ἑνοποιοῦσα.

Cum vero interdum in loca inciderimus, de quibus nobis paulo aliter videretur, concedet nobis humanitas doctiſſimi Editoris, ut noſtras dubitationes modeſte indicemus. Pag. 67. negat Plutarchus, Deum, ſi nihil eſſet in homine dignitatis praecipuae, ſi nulla eius pars immortalis, ullam noſtri curam habiturum, λόγον ποιεῖσθαι ἡμῶν, ἐν ὀλίγῳ φθινόντων. Jam illa ſequuntur: ὥσπερ αἱ γυναῖκες, τοὺς Ἀδώνιδος κήπους θεραπεύουσαι, ἐφημέρους ψυχὰς βλαστανούσας, εἶτα ἀποσβεννυμένας. Ac grammatica quidem ratio poſtulabat, ἐφημέρων ψυχῶν — βλαστανουσῶν — ἀποσβεννυ-

σβεννυμένων, ut ad ἡμῶν referatur quam ipſam ſyntaxin Cl. Editor reſtituendam eſſe ſuſpicatur. Sed nobis videtur oratio ἀνακόλουθος facta eſſe, eo quod interpoſuerat, ὥσπερ αἱ γυναῖκες, θεραπεύουσαι τοὺς κήπους; iam enim pergit accuſativo caſu, ψυχάς, quibuscum hortos confert: id quod tanto facilius intelligetur ſi in fine periodi repetatur θεραπεύων, ex eo, quod Plutarchus poſuit, θεραπεύουσαι: nam ſic omnia conſtabunt: μικρὸς οὕτως ὁ θεὸς, ὥστε λόγον ἡμῶν ποιεῖσθαι, (θεραπεύοντα, itaut curet,) τὰς ψυχάς, ὥσπερ αἱ γυναῖκες τοὺς κήπους. Pag. 72. is, qui loquitur, prae ſe fert, habere ſe rei illuſtrandae aptam narrationem, quae tamen fabulae propior ſit, quam vero; ideoque, ea neglecta, ſe μόνῳ τῷ εἰκότι uti velle, h. e. ea diſputatione, quae veriſimiliter concludendo rem efficiat. Urgentibus amicis, ut narrationem explicet, haec reſpondet: Ἐάσατέ με ἀποδοῦναι τῷ λόγῳ τὸ εἰκὸς, poſthaec de μύθῳ videamus. Hic pro τὸ εἰκὸς legi vult τὸ συνεχὲς, quod etſi bonum efficit ſenſum, tamen non opus videtur: poterit enim ita accipi, ſe huic diſputationi veriſimile argumentum additurum, ſe hanc diſputationem argumentando abſoluturum; ac tum demum ad narrationem venturum. Atque ita pergit pag. 72. argumentis uti, iisque pertractatis, pag. 83. orditur μῦθον. Aut, ſi hoc diſplicuerit, ita ſaltem interpretari licebit: *Sinite, ut, quod addi debet*, (quod deeſt ad expletam diſputationem,) *adiiciam*: quem quidem ſenſum latinus interpres exprimere voluiſſe videtur. Sed prior ratio fuerit fortaſſe melior.

Reſtat, ut de fragmento dicamus, quod apud Stobaeum Serm. 119. Themiſtio tribuitur. Sed Cel Wyttenbachius non modo Plutarchicum dicendi genus in eo ſibi agnoviſſe viſus eſt; verum etiam nominibus eorum, qui loquentes inducuntur, admonitus, ad Plutarchum auctorem referre maluit: Timon enim, Plutarchi frater, et Patrocles eius ſocer fuit, iidemque in aliis eius libris colloqui ſolent. Refert

 autem

autem fragmentum ad deperditum de anima librum, quem a Plutarcho ſcriptum eſſe, nonnullis teſtimoniis conſtat. Quo plures vero corruptos ac deſperatos locos hoc fragmentum habet, eo ſaepius coniectura, eaque interdum liberiore, utendum fuit. Non procul ab initio pag. 132. corrupta verba ſunt: *ἀλλ' οὕτω μὲν λογιζόμενοι καὶ τὰ ἄφθαρτα δόξουσι διανοεῖσθαι φθειρομένοις*: miratur autem hoc loco philoſophus, quid ſit, quod mortis terror omnium animos pervagetur, ſi de immortalitate conſtet. Iis ergo Cel. Editor haec ſubſtituit: *ἀλλ' οὕτοι ἡμῖν λογιζομένοις καὶ τὰ ἄφθαρτα δόξουσι τὰ αὐτὰ διαν. τοῖς φθ.* Paulo poſt pag. 133. vocabulo *θανάτου* indicari dicitur *τὸ ἄνω φερόμενον εἰς θεὸν*: quae ſequuntur, ea ſic emendanda cenſentur: *οἷ* (pro *ὃ*) *δὴ καὶ λόγον ἔχει, καθαπερεὶ κάμπης τινὸς ἀνείσης, οἷον ἐξαίττειν καὶ ἀναθεῖν τὴν ψυχήν.* De *ἐξαίττειν* et *ἀναθεῖν*, pro *ἐξάπτειν* et *ἀναθεῖναι*, monuerat Geſnerus; de *κάμπη* Cl. Wyttenbachius confert alium Plutarchi locum (conſol. ad uxor. p. 611.), *καθάπερ ἐκ κάμπης ἀναχαίτισμα*, in quo obiter *ἀναχαιτίσασα* reponit. Sed Valkenario placet: *καθάπερ εἱρκτῆς τινὸς ἀνείσης.* Pag. 134. etymologia verbi *γενέσεως* haec ponitur: *δηλοῖ ῥοπήν τινα κάτω καὶ νεῦσιν ἐπὶ γῆν ἐκείνου τοῦ περὶ τὴν τελευτὴν πάλιν ἀναθέοντος*: quae nobis quidem ſic videntur intelligenda: *indicat quamdam proclivitatem ad terram et inclinationem eius* *ὄντος*, *quod in morte rurſus ſurſum fertur.* Sed Cel. Wyttenbachius primo *ἐκείνου τοῦ π. τ. τ. π. ἀναθέοντος* parentheſi incluſit; deinde ſic interpretatus eſt, *ἐκείνου τοῦ π. τ. τελευτὴν* ſcil. *δηλοῦντος, ὡς* (hoc verbum addit,) *πάλιν ἀναθέοντος*, *cum contra nomen, quod mortem ſignificat, ſignificet iterum adſcendere.* Fortaſſe his paulo durioribus auxiliis non opus eſt. Pro *φιλομουσώτατοι* p. 139. *φιλοσώματοι* corrigit; ſaltem deſcribuntur ii, qui ventri atque corpori dediti ſunt.

Continet etiam libellus animadverſionum quasdam copioſiores de veterum philoſophorum ſententiis diſputationès, collectis examinatisque pluribus locis illuſtratas: quo genere notarum Plutarchi interpretatio carere vix poteſt. Huc pertinent, quae p. 97. ſqq. de animi natura et motu, de corpore item, diſſeruntur. Nec difficultates omiſſae ſunt, quas in rebus hiſtoricis Plutarchi et aliorum diſſenſus movet; quarum exempla proponere brevitas noſtra non patitur. Eandem ob cauſam exempla locorum ex aliis ſcriptoribus per hanc occaſionem, emendatorum, addere non licet, quamquam eorum non parvus numerus eſt, in iisque multi, a Valkenerio et Ruhnkenio, Viris celeberrimis, correcti. Arbitramur tamen, his poſitis, quae breviter excerpſimus, fidem factam eſſe noſtrae de pretio huius libri ſententiae, quam ab initio pronunciaveramus.

HERMANNI CANNEGIETERI JCti et Anteceſſoris, Obſervationum Juris Romani libri quatuor, in quibus plurima Juris Civilis, aliorumque Auctorum loca explicantur et emendantur.

Lugdun. Batav. apud Eliam Luzac, in 4to.

Quantus poſt Cuiacium, ſaeculi ſui ſidus, exortus ſit virorum eruditorum numerus, qui in libris veterum Jureconſultorum enarrandis, explicandis, illuſtrandis, emendandisque operam ſuam laboremque collocarent, neminem latet. At vero cum ille, qui hanc ſibi ſumit provinciam, iis debeat eſſe inſtructus praeſidiis, quae non niſi multo labore, ſtudio, et tempore parantur, factum eſt, ut pauciſſimi aliquid effecerint, quod omnino poſſet probari. Supra iuſtam hanc, et perpetuam paene reprehenſionem, extollit ſe eruditio Celeb. *Cannegieteri*, quam cum antea, tum his ipſis, quos tractamus, Obſervationum Juris Romani libris, praeſtitit.

tit. Apparet inde, eum non legum antiquarum modo esse intelligentissimum, sed et scriptores antiquos, historiam, criticam artem, summa diligentia et tractasse, et ad usum apte contulisse. Quae ne laudandi vana inducti cupiditate dixisse videamur, pauca proferemus, e quibus libera iudicandi erudito lectori sit facultas. Omittenda autem censuimus, quae libro primo et secundi quinque prioribus capitibus continentur. Prodiere ea iam, ut notum est, aliquot ante annos Franequerae, in forma quaterna. Repetita autem videntur et ob argumenti similitudinem, et fortasse quod exemplaria iam essent divendita.

Lib. II. c. 6. l. 14. ff. *de Transact.* multis magnorum ingeniorum explicationibus sollicitata est, neque tamen ita, ut his interpretationibus homo eruditus acquiescere possit. Quae celeb. *Cannegieter* proposuit, haud sunt improbabilia. Bene simul demonstratur exemplis, antiquorum JCtorum scripta ita ad nos pervenisse, ut aut ab ipsis, aut ab aliis aucta, mutata imminuta, videantur.

Cap. 7. vexatissima l. 4. ff. *de pignor. act.* bene exponitur.

Cap. 10. de Burgariis, et voce Burgi, docte et diligenter differitur.

Cap. 14. docetur, verbum *imperare* in fidei commissis non adhibitum, sed *sperare, iubere.*

Cap. 15. pag. 199. tentatur locus apud Suetonium, in quo tamen a nobis non impetramus, ut doctissimi *Cannegieteri* sententiam amplectamur. Locus est in vita Horatii: *quoties ego vidi patrem tuum CUBITO emungentem.* Vult legi *CUBITUM.* Quod cur reiiciamus, satis idoneae videntur adesse caussae. Primo, nullus affertur codex, qui eam lectionem affirmet. Et deinde dubitamus vehementer, num *emungere* idem significet, quod *abstergere.* Censemus vulgatum retinendum, et *emungentem* debere accipi eo signifi-

significatu, qui est notissimus. Nam est opprobrium in hominem sordidas artes exercentem, et vero etiam sordide viuentem. In reliquis locis, quae celeb. *Cannegieter* adducit, ut doceat *o* et *e*, et talia saepissime permutata esse cum *um*, facile cum illo consentimus, praesertim in locis Statii et Manilii, quae ex eadem ratione vult emendanda.

Cap. 17. ostenditur, qui coelibes fuerint, eosque non adoptare potuisse. Sunt quidem contra hanc sententiam nonnullae obiectiones et difficultates, quae tamen, ut videtur, bene soluuntur.

Lib. III. cap. 2. agitur de *fori disputationibus*. Unus Raevardus aliquid de his dixit, eumque caeteri sunt sequuti. Docet cel. *Cannegieter*, alias fuisse *disputationes*, alias *fori disputationes*, hasque, non illas ius dedisse. Usum autem eorum desiisse, postquam ad Principes summa potestas redisset.

Cap. 5. docte inquiritur in controversam hanc inter JCtos quaestionem: num Cenotaphium dictum sit fueritque religiosum. Sensu grammtico ita dici conceditur, negatur iuridico.

Cap. 7. de *Pegasi* JCti nomine, consulatu, virtutibus, ac libris, certiora, quam adhuc, etiam a Pagenstechero in Jur. Pegas. traduntur. Neque vero cel. *Cannegieter*, ab aliorum, ut fit, pendet auctoritatibus, sed omnia ex auctorum antiquorum, diligenter investigatis, beneque expositis locis, confirmare studet.

Cap. 8. emendatur l. 26. §. 1. de *pignor.* et *hyp.* Exercuit haec lex summos viros; sed facilis erit, si pro *metueri* legatur *metuere*.

Cap. 11. et sqq. Tribonianus, a Joh. Fr. Ramos acerbius habitus incusatusque, antiquorum allatis testimoniis, ab huius cavillationibus liberatur.

Cap. 20. In quaestione illa notissima de furto per lancem et licium, a multis, in primis a Cel. *Wielingio*, peculiari dissertationi tractata, explicanda aliam longe diversamque ab omnibus Cel. *Cannegirter* ingressus est viam, utiturque testimonio aut Festi, aut cuiuscunque alius apud Festum. Quae ratio, quia nimis esset longa, omittenda est visa, ipsisque illis, qui cognoscere volent, ad legendum commendanda. Nobis saltem videtur haud improbabilis.

Lib. IV. cap. 1. locus ex Nonii libro 12. *de doctorum indagine*, ea diligentia excutitur, qualis adhiberi solet et debet in recensendo castigandoque auctore aliquo. Vellemus eodem modo plura antiquorum scriptorum loca ab eruditis esse pertractata, maior saltem inde veniret utilitas, quam si ex omnibus scriptoribus unus tantum alterve locus, in quo aut vox aut sententia eadem est, notatur, in cumque quasi cinnum ingenii eruditionisque vis omnis concluditur.

Cap. 2. res ipsa, de qua Nonius loquitur, explicatur, doceturque simul, *conventio in manum* quae sit. Proprie haec adhibetur de nuptiis, inprimis quae coëmtione contraherentur, etsi in principio de multis aliis rebus sit usurpatum.

Cap. 3. traditur, quid in coëmtione a marito sit emtum, quid ab uxore? hancque et mariti et uxoris mutuam fuisse coëmtionem. Multae simul ad hanc rem pertinentes formulae explicantur, et complura loca auctorum, inprimis Servii, illustrantur emendanturque.

Cap. 4. docetur effectus coëmtionis, aliterque *in manum*, aliter *in matrimonium* convenisse. Illud de iis dictum, quae dotem haberent, hoc de pauperibus. Quae materia continuatur cap. 5. declaraturque, quae *matrona* apud antiquos, quae *mater familias* sit dicta, ex locis Gellii, Servii, aliorumque, quin et eadem, ubi difficultatis quid habere videntur, bene expediuntur.

Cap. 9.

Cap. 9. agit de auctore Legis Aquilliae, eumque putat incertum Cel. *Cannegieter.* Ea praecipue constituere adnititur, quae huius legis capite secundo fuerint contenta.

Cap. 10. interpretatur, quid in L. L. XII. tabb. sit *membrum ruptum*, quid *os fractum*, et simul quis *membri* sit significatus.

Cap. 11. inquiritur in hanc quaestionem: *An ex lege Romuli licuerit viro uxorem domo expellere?* Negat Dionys. Halic. affirmat Plutarchus. Conciliatio inter utrumque, ut nobis videtur, satis bene instituitur.

Haec speciminis loco sufficiant. Permulta praeterea antiquorum auctorum loca examinantur, illustrantur, emendantur, quae describere nihil attinet. Unum hoc monendum non abs re duximus, Cel. *Cannegieterum* videri nobis iusto procliviorem ad emendationes locorum difficilium, idque sine auctoritate codicum. Quae res, an boni sit exempli, nos quidem vehementer dubitamus.

OBSERVATIO ECLIPSEOS LUNAE partialis Regiomonti in Prussia A. 1771. Octobr. 23. horis vespertinis facta a GOTTHILF CHRISTIANO RECCARD, S. R. M. a Consil. Consistorii Theol. Doct. et Prof. Ordinar.

Tempus verum

Hor. IV. Min. 52 Sec. 2 post merid. Luna unum circiter gradum elevata primum conspecta inter vapores horizontis:

Diameter lunae horizontalis 86¾ partes micrometri, quarum valor Min. 30. Sec. 11.

Tempus verum

Hor.	Min.	Sec.	
Hor. IV.	Min. 52	Sec. 0	Luna occultata a nubecula, quae impedivit observationem initii eclipseos.
Hor. V.	Min. 10	Sec. 2	Chorda defectus 52 part. microm = 18′ 12″
	15	6	Chorda defectus 58 part. microm. = 20′ 18″
	16	22	Sinus Sirbonis tactus ab umbra.
	19	14	Chorda defectus 61 = 21′ 21″.
	24	34	Mons Sinai tactus.
	26	42	Chorda defectus 68 = 23′ 48″.
	28	12	Mons Sinai et Sinus Sirbonis medius in umbra.
	29	26	Mons Sinai immersus.
	33	32	Mons Catarractes tactus.
	37	7	Insula Creta tacta.
	38	5	Chorda defectus 72 = 25′ 12″.
	42	38	Chorda defectus 74 = 25′ 54″.
	45	30	Sinus Sirbonis totus immersus.
	52	0	Mons Thospetis tactus.
	54	36	Sinus extremus Ponti tactus. Partes obscurae 31 = 10′ 51″
	56	37	Partes lucidae 55 = 19 15
	58	9	Partes lucidae 56 = 19 36
Hor. VI.	Min. 0	Sec. 45	Partes lucidae 55½ = 19 30
	3	51	Partes lucidae 55 = 19 15
	5	54	Sinus Sirbonis medius emersus.
	7	29	Sinus extremus Ponti medius in umbra.

Tempus

Tempus verum		
Hor. VI. Min. 12	Sec. 30	Chorda defectus 78 = 27′ 18″
		Diameter lunae 86½ = 30 16
17	57	Insula maior tacta
20	26	Sinus Sirbonis emersus.
26	15	Chorda defectus 75 = 26 15
44	14	Chorda defectus 67 = 23 27
46	54	Mons Sinai medius e umbra.
47	14	Mons Sinai totus emersus.
49	7	Margo obscura montis Sinai emersa.
55	34	Sinus extremus Ponti totus emersus:
		Chorda defectus 58 = 20′ 18″
57	44	Chorda defectus 56 = 19 36
Hor. VII. Min. 0	Sec. 41	Chorda defectus 50½ = 17 41
3	0	Chorda defectus 44 = 15 24
8	5	Chorda defectus 33 = 11 53
10	15	Chorda defectus 32 = 11 12
11	30	Chorda defectus 28 = 9 48
13	51	Umbra vera egredi incipiens.
15	13	Finis eclipseos.
16	24	Penumbrae finis.

Facta est haec observatio in Observatorio domestico, propriis sumtibus exstructo, per tubum sex pedum, cui applicatum est micrometrum Kirchianum. Horologium oscillatorium anglicanum, a Io. Shelton elaboratum, quod ad observanda tempora adhibebatur, per altitudines Solis correspondentes, tum ipso observationis die, tum postri-

 die,

die quadrante duorum pedum in radio obſervatas, eſt correctum, adhibita ſimul debita meridiei ob declinationis variationem correctione.

In horizonte quidam vapores et nubeculae haerebant, caeteroquin coelum erat ſereniſſimum. Color umbrae erat cineritius. Umbra ipſa bene erat terminata, penumbra brevis et pallida.

CHRISTIANI ADOLPHI KLOTZII

Opuſcula nummaria, quibus iuris antiqui Hiſtoriaeque nonnulla capita explicantur.

Halae Magdeb. ſumtibus Curtii, plagg. 24.
8vo. mai.

Abiiciant e manibus librum hunc, qui aut plane ab hoc antiquitatis genere abhorrent, aut tenuem aliquam illius cognitionem, e libellis paucis, ad oſtentationem vanam et inutilem collectam, animo tenent. Iis enim, certum eſt, nihil ſcripſit *Klotzius*. Recedant quoque a lectione libri elegantiſſimi, ii, qui linguas calamosque, veneno perfuſos venales habent, quique id pro animi malignitate tantum agunt, ut mordeant alios, et, ſi mordere nequeant, ſaltem allatrent. Horum enim protervitatem ſilentio ulciſci ſolent viri eruditi. Spernit degeneres columbas regius Jovis ales, nec praelio miſcet leo cum imbellibus capris. Haec ideo monemus, ut indicaremus cauſſam, ob quam *Klotzius* hominibus quibusdam ne unam reſpondendam cenſuit voculam.

Jam quae libri huius ſit ratio, exponemus. Scripſerat nonnulla immortalis nominis auctor, ante aliquot annos, de variis rei nummariae capitibus, quae non ſine voluptatis ſenſu

sensu a plurimis lecta et laudata fuerunt. Haec ad retractanda per otium nulla alia de caussa animum adiecit *Klotzius*, quam quod et augeri ea, et castigatiora reddi posse, videbat. Locus vero emendationibus hoc fuit facilior, quo pauciores attigerunt res, a V. Cl. explicitas. Nemo enim numorum contumeliosorum originem curiosius indagavit, eorumque historiam quasi composuit; multi vero multa perperam et falso de iis docuerunt. Ingredienti ergo hanc viam *Klotzio*, non poterant non multae difficultates obiici, quae sensim paullatimque, non uno impetu, vinci solent et superari. Nam qui his in literis recte versantur, antiquorum monimentorum interpretationem pluribus operibus inspiciendis, comparandisque inter se similibus, adeoque perpetua eorum, quae per innumeros libros dispersa sunt, observatione, contineri et absolvi sciunt. In reliquis vero de re nummaria libellis, collegit auctor quam diligentissime omnia, quae ad argumentum illustrandum pertinere videbantur. Omisit autem vulgaria, et quae cuique nota esse debebant. Quare maximam omnino gratiam a viris doctis, harumque rerum peritis iniit, novoque hoc ingenii, doctrinae, et diligentiae monumento nomen suum ab interitu vindicavit. Jam, quae continentur hoc libro disputationes, indicabimus. Prima agit *de numis contumeliosis et satyricis*, cuius primo in capite disserit auctor *de antiquis picturis, statuis et gemmis ignominiosis*. Quamvis nullus veterum scriptorum, ne Plinius quidem, apud quem nullam fere antiquarum rerum frustra quaesiveris, de numis ignominiosis aliquid memoriae prodiderit, habemus tamen iam antiquitus picturas ignominiosas. Affert auctor huius rei exempla e *Plinio*, apud quem inprimis famosae sunt picturae Gryllorum, e *Suida*, *Cicerone*, *Philostrato*, *Aristide*, aliis. Rectius quoque *Christio* interpretari nobis videtur legem illam Thebanorum, de qua *Aelianus* dicit: „audio legem esse Thebis, „praecipientem artificibus cum fingendi, tum pingendi peritis, ut rerum formas honestiore modo exprimerent: iis

„autem

„autem, qui eos in deterius aut finxiſſent, aut pinxiſſent, „minatur lex mulctam ſe picturae ipſius pretium irrogatu- „ram.“ Haec enim lex non de peritia artis, ſed de honeſtate et dignitate interpretanda eſt. Deos quaque picturarum licentia irriſos fuiſſe antiquitus, idoneis argumentis A. demonſtrat. Pertinet huc famoſa illa pictura Dei Judaeorum et Chriſtianorum, cuius mentionem inicit *Tertullianus*, pictura *Geſilochi, Apellis* diſcipuli, qui Jovem Liberum parturientem pinxit mitratum, et muliebriter ingemiſcentem inter obſtetricia dearum. Quae imago multum auctori facere videtur ad illuſtrationem alius picturae petulantis, in vaſculo Etruſco, a *Winkelmanno* datae, amorem Jovis et Alcmenae exhibentis. Cui multas e picturis Herculanenſibus A. addidit, quas quo minus recenſeamus et temporis et loci ratio prohibet. Sunt picturae iſtae ridiculae Tom. III. Tab. XXVI. XXVII. XXVIII. Inveniſſe quoque ſibi viſus eſt imagines contumelioſas in gemmis antiquis, quibus annumerat deformes illos moriones et monſtroſos, capite ſemiraſo, et ridiculo vultu; aſinos palliatos; Europam, hirco inequitantem, et memorabilem illam gemmam *Stoſchianam*, quam *Winkelmannus* deſcribit in libro, cui titulus eſt: *Deſcription des pierres gravées du feu Baron de Stoſch, p. 443.* De ſtatuis vero quibusdam, quae vulgo aliorum in contumeliam conflatae videntur, longe aliter ſentit. Fatetur enim, ne unam quidem ſe invenire potuiſſe, quae ignominioſa dici poſſit.

Secundo capite *de numis Graecorum et Romanorum* diſputat, *qui ignominioſi exiſtimantur.* Nullos omnino numos nec a Graecis, nec a Romanis, ad irridendos alios et vituperandos cuſos fuiſſe, probare ſtudet. Copioſa eſt et docta, quam hic inſtituit, diſputatio, in qua prae aliis capitibus, de numis Spintriis, Saturnalitiis, et de ſigno porci antiquis in numis, egregie multa exponit, ſententiamque ſuam immenſa lectionis copia defendit. Si vero dicendum, quod res

res eſt, minus conſentientes habet nos hac in re, quamvis omnes illos numos, qui partim recte, partim falſo ignominioſi habentur, alio modo interpretetur. Sequitur nunc caput tertium, *de numis ignominioſis recentiorum temporum*, quos eo conſilio perluſtrat, ut ſatyricorum originem indagare poſſit. Ipſorum numorum hiſtoriam hic exhibere non poſſumus. Legant, qui his deliciis animum paſcere volent, ipſum librum, quem bis aut ter legiſſe, neminem, credimus, poenitebit. Vidiſſe quidem ſeſe dicit auctor, et in manibus habuiſſe, plures numos, qui tempore belli, poſt Caroli VI. mortem contra Auſtriacam domum orti, cuſi ſunt, itemque alios, quibus bellum, quo nuper Germania miſere devaſtata eſt, dedit originem. Sed ab his omnibus memorandis abſtinuit. Reliquit telam inceptam poſteris. Erit, inquit, fortaſſe poſt centum annos, qui eadem libertate noſtrae aetatis numos commemoret, qua ego, qui maiorum noſtrorum tempore prodiere, narravi. Ille igitur, quicunque fuerit, in quibus erravimus, corriget; quae a nobis neglecta addet; quae certas ob cauſſas omiſſa, liberaliter adiiciet. Nulla eſt rerum humanarum, quae non emendationem requirat: nulla, in qua perficienda non plus valeat duorum diligentia, quam unius, qui primus in illa elaboraverit. Meo animo nil gratius eſt quam diſcere, erroresque, ſi etiam cum famae detrimento fieri debeat, lubentiſſime et ipſe emendo, et aliis, mihi hoc beneficium tribuentibus, magnam gratiam habeo. Quam digna haec viro ingenuo profeſſio! Ultimus, quem exhibet, numus, ad annum MDCCXX. refertur, et in vituperium Philippi ad Saragoſſam devicti fuit conflatus. Has diſſertationes numarias excipiunt *varia iuris veteris capita, monimentis antiquis illuſtrata.* Quae iuris veteris capita illuſtrantur, ſunt *lex Porcia*, *aqua innocentiae olim teſtis*, *ritus adoptionis*, *nuptiae per confarreationem*, *lex Servilia*, *viarum munitio*, *liberalitas alimentaria.* His monumentis addidit *monimenta Principum ſuper clypeo inauguratorum.* Iſtius libelli conſcribendi occaſionem dedit

 auctori

auctori numus aliquis, quo Gallia Ludovici XIV. primordia regni proposuit. Impositus rex puer scuto, dextra manu sceptrum tenet. Scutum sustinent, conspicua liliis, et Providentia, gubernaculum tenens sinistra, prope pedes iacente globo terrarum et cornu copiae. Supra: *Francorum spes magna.* Infra: *ineunte regno*, M. DC. XLIII. Ipsis antiquitatis e fontibus limpidis ritus huius originem ostendit, et praetereundo quasi pictorum errores ridiculos castigat. Ultimo tandem loco posita est *iurisprudentiae e numismatibus a C. F. Homelio illustratae uberior discussio.* Qui Hommelianum librum cognitum habent, multas auctori nostro habebunt gratias, qui cum fontes indicavit, e quibus hausit sua Cel. *Hommelius*, tum etiam quamplurima suis ex adversariis ad communem utilitatem depromsit. Tangunt vero, quae addidit noster Hommelianis laboribus, mon. I. II. III. IV. VII. X. XI. XII. XIII. XIV. XXV. XXVI. XXVII. XXIIX. XXXI. XXXII. XXXVI. XXXVIII. XXXIX. XLVII. XLVIII. XLIX. L. LI. LII. LV. LVI. LVII. LVIII. LXI. LXII. LXVII. LXIX. — XC. LXXIX. LXXXVIII. XCI. — CII. CIII. CIV. CV. CVI. CVIII. CXIV. — CXX. Ultimum tandem locum occupat dissertatio *de numis, necessitate urgente, cusis, castrensibus et obsidionalibus.* Primo loco recensentur numi, quos viliori, quam constitutum esset, valore interno, publice, ut loco proborum usurparent cives, urgente necessitate, magistratus aut Princeps aliquis edixit. Incipit auctor a Romanis, a quibus ad Graecos Imperatores, ad Gallos, Venetos, Belgas, Suecos, Principes Silesiacos et Germanos exspatiatur. Eandem rationem sequitur in contexenda historia numorum castrensium et obsidionalium. Additus est index, qui tamen parum videtur copiosus. Forte auctor manum admovere noluit, relicta Sosiae suo opera ingrata. Grati nos accipiamus hoc viri clariss. donum quasi et munusculum. Colamus illius manes, qui omnem, quam vivit, vitam in eo consumit, ut inserviat doctorum virorum studiis, literisque sit adiumento.

OBSER-

OBSERVATIONES IN QUAEDAM
loca Dionyſii Halicarnaſſei quibuscum aliquot Livii comparantur.

Auctore

JOHANNE CHRISTIANO GOTTLEBER,

A. M. Scholae Provinc. Miſen. Rectore.

Si qui inter veteres aliquo numero fuerunt hiſtoriae conditores, qui fidem in rebus e monumentis et libris vetuſtis accurate tradendis, diligentiam in iis ad temporum rationem digerendis, ſapientiam civilemque prudentiam in cauſſis rerum vel bene vel male geſtarum indicandis, moribus hominum apte exprimendis, ſententiisque e philoſophia vitae admiſcendis, ſummamque omnino ingenii elegantiam, copioſo, ornato, et perſpicuo orationis genere, poſteritati probarent: haud ſcio, an *Dionyſius*, optimo cuique rerum geſtarum ſcriptori ſit ſimillimus, plurimis anteponendus, et, omnium harum virtutum cauſſa, ſtudioſe legendus, et magni aeſtimandus. Etenim de fide eius, quae in ſcribenda hiſtoria ſumma eſt lex, et unice ſectanda prae reliquis ſcribendi virtutibus; (Lib. I. pag. 6.) inter omnes, qui diligenter hunc ſcriptorem legerunt, ſatis conſtat, eum non modo ex annalibus librisque ſacris, (Lib. XI. p. 736.) ſed et ex antiquisſimis ſcriptoribus romanis, *Fabio Pictore*, *Gellio*, *Licinio Macro*, quos ſevero examini ſubiicit, et interdum confutat, res romanas hauſiſſe, ſed et contra populares ſuos, praeſertim *Cardianum* et *Timaeum Siculum*, (Lib. I. pag. 5.) a quibus omne nomen romanum, tanquam ex obſcura, humili, et turpi latronum nequiſſimorumque hominum turba ortum, agitabatur, priori libro et identidem, (v. c. VII. pag 474.) ritus romanos, e Graecia deſumtos, idoneis argumentis probando, graviter diſputaſſe, et nobilitatem augu-

ſtioremque originem huic populo vindicaſſe. Quum autem non tam Romanis, quam Graecis, quos de rebus geſtis non modo, ſed et de antiquitate, magiſtratibus, quos cum Graecis comparat, (v. c. in deſcriptione dictaturae V. p. 336.) ritibus, ſacris, religione inſtructurus erat, has ſcriberet antiquitates: non modo ſuis civibus, ſed poſteris praecipue gratum fecit, cum tradendis moribus et tota antiquitate, longe copioſius romanis ſcriptoribus, tum rebus geſtis maiori luce et copia commemorandis; ut ex reliquiis librorum undecim, hiſtoriam trium Livianorum complectentibus, facile intelligi poteſt. Unde et multae res memorabiles, v. c. turbae et ſeditiones, a nexis, aeris alieni cauſſa ortae, item Patrum libido et erga inopes cupiditas, et inde in montem ſacrum profecta ſeceſſio, diſſenſiones primorum de magiſtratu novo plebis creando, melius et plenius ex ipſo quam e *Livio* peti poſſunt. Nihil dicam de antiquitatibus, quas romani ſcriptores, ſuis hominibus notas atque cognitas, vel breviter, vel non attingunt; quarum notitiam vel nullam, vel admodum mancam, ſine graecis auctoribus eſſemus habituri: ut pompae circenſis et ſalutis augurii deſcriptio, quarum illam *Dionyſio*, (Lib. VII. p. 474. ſq.) et hanc *Dioni Caſſio* (Lib. XXXVII. p. 46. Steph. ed.) debemus, clare probat. Quam ſeverus cenſor et aeſtimator rerum, ab aliis memoratarum, Dionyſius fuerit, nec omnibus promiſcue fidem habuerit, vel ex eo patere videtur, quod *Polybium*, non contemnendum auctorem, non fidei praeclarum dicit, (Lib. I. p. 5.) vel aliorum ſcriptorum fabulas, omni fide maiores, et originis nominisque romani auguſtioris faciendi cauſſa excogitatas, vel non commemorat; quo portentoſam Livii narrationem de Mucio Scaevola, dextram accenſo foculo iniiciente, indecoram Romanorum perſonae, referam, quam et praetermittit *Cicero* pro Sext. (cap. 21.) vel mentione earum facta, diligenter examinat, et pro rei ratione confutat; ut ex narratione de Fabiis omnibus, praeter unum, interfectis, intelligi poteſt. (Lib. IX. p. 580.)

Quare,

Quare, si quis regulas de fide historica mente separare, easque ad normam aliquam exigere velit, ut, an recte sint positae nec ne, videat: non commodius id facere posse eum putem, quam diligenter legendo hoc fide dignissimo scriptore. Quarum virtutum, breviter laudatarum, non ultimam et hanc esse putem, quae ex eius orationibus, historiae intertextis, elucet clarissime, quas in plerisque moribus hominum attemperavit, in iisque prudenter vel recte vel perperam facta animadvertit, non omissis rerum caussis, impedimentis, et erroribus, in administranda republica commissis. Saepe admiratus sum artem, qua oratores suos pronuntiare iubet, quid in quaque re commodi aut incommodi sit eventurum; quibus artibus vel consiliis Patres auctoritatem et dignitatem tueri contra furores tribunorum plebisque possint; quid valeat ad persuadendum vel disuadendum, et quae sunt reliqua. Egregius plane est in historia illorum temporum, quibus plebs in montem sacrum secessit, et de eo revocando tam variae et contrariae sententiae sunt pronuntiatae: omnia verba et sermones tam accurate moribus hominum illustrium, veluti Appii, (Liv. VI. p. 386. sq.) Valerii, Bruti, Largii Meneniique respondent, ut his defungar exemplis, et tam cogitate prudenterque dicuntur, ut caussae, Tribunatui adversae, et praedicta ab Appio incommoda, veluti patrum deminuta auctoritas, et plebis effrenata per tribunos licentia, maiestati Senatus, institutis maiorum legibusque vi armata quasi obviam iens, cum vero convenire videantur, et longe pulchrius omnia haec dicta, ex ore tantorum virorum, quam ipsius Dionysii, audiantur. Quae omnia dramatis formam quasi induunt et antiquitati magnam, ut opinor, praestantiam in rebus gestis, memoriae prodendis, prae nostrae aetatis historiarum scriptoribus plerisque dare videntur. Pulchre quoque suis locis observat, rem romanam, non forte quadam, sed divinitus, ab exiguis profectam initiis, magis magisque crevisse, et ab hostibus paene oppressam afflictamque, seditionibusque domesticis

 affectam,

affectam, singulari providentia divina, conservatam fuisse, (Lib. V. p. 282. et Lib. VII. p. 427.) Ex quibus omnibus apparet, Dionysium omnia praesidia scribendae historiae, monumenta antiqua, facultatem, usu et exercitatione subactam, iudicandi, quid genuinum spuriumque in iis sit, ingenium elegans, vim dicendi haud vulgarem, reipublicae gubernandae peritiam, ipsiusque reipublicae status cognitionem iustam, in potestate sua habuisse. Quae egregiae virtutes, quum in describendis populi, orbis terrarum domini et principis, rebus terra marique bene gestis, eleganti scripturae genere commode ostentari possent: non mirandum est, harum rerum peritos, omni tempore hunc scriptorem maximo in honore habuisse, et nihil magis, quam eius libros, iniuria temporis deperditos, doluisse. Eius denique doctrina, non modo in rerum tam variarum cognitione, et, si prisca spectes tempora, in subtilitate explicandi obscura, et magis decora poeticis fabulis refellendi, verumque inde, quoad eius fieri potuit, eliciendi; sed et in facultate, quam optimis scriptoribus, veluti *Homero*, *Herodoto*, *Thucydidi*, *Platoni*, *Xenophonti*, *Isocrati*, *Demosthenei*, aliisque acceptam tulit, res venusta oratione vestiendi, sententiisque acutis illuminandi, continetur. Unde insunt eius antiquitatibus plurima lumina ex *Homero*, omnium scriptorum fonte, nec non ex aliis, quorum nomina paullo antea recensui, verba et formae, quas in usum suum convertit; ut non commemorem loca, quae antiquitatum illustrandarum caussa laudat, de quibus dicere nihil est, opus. Sed, ne quid dissimulem, et insunt libris eius quaedam loca, legibus scribendi contraria, tempori personisque non satis accommodata, praesertim in orationibus; quae, an castigatione aliqua sint digna, nec ne, lectoribus, harum rerum peritis, locis singulis excitatis, deinceps iudicanda relinquemus. Sed, antequam ordiamur singillatim haec persequi, loca quaedam a Dionysio ex veteribus desumta, vel imitatione expressa, ordine librorum posthabito, gramaticis obser-

vationibus

vationibus illustrabimus, et deinde de reliquis disputabimus.

In loco, quo decemviros docet, foedere inter se pepigisse clandestino, ne quis collegarum, ulla in re, adversaretur alteri, utitur *Dionysius* forma Homerica (Lib. 10. p. 682.) πρῶτον μὲν ὅρκια τεμόντες.] Loca sunt notissima, ubi Poeta: ὅρκια πιστὰ ταμόντες, v. c. Il. β. 124. et alibi. Unde suspicor esse legendum apud *Dionysium*: ταμόντες, quod *Homerus*, quod equidem sciam semper τῷ τάμνειν hac in re utatur, ut et *Eustathius* ad Il. θ. 87. verbum τέμνειν novum habeat, nec *Homero*, ob amorem Jonicae dialecti, usurpatum. Sed τέμνειν tamen occurrit, (Il. N. 707.) ubi tacuit *Eustathius*: (forsan ideo, quod in codd. suis non habuit lectionem vulgatam?) at *Barnesius* ibi legi vult τάμον. Iamdudum viri docti monuere, ὅρκιον non esse foedus, quod interposito iure iurando fiat, sed, ut quemque docere potest τὸ τάμνειν, victimam, quae foederis sanciendi caussa feriatur, caedatur: (v. *Vin. Ernest.* ad Il. β. 245. et quos laudat,) quamquam Scholiastes minor, (ad Il. γ. 245. ὅρκια πιστὰ) τοὺς πιστοὺς ὅρκους τῶν θεῶν; sed perperam: non melius quam interpres latinus: *praecones per urbem ferebant deorum foedera firma:* quod vidisse neminem unquam putem, nisi forte interpres foedera ferri vidit. In eiusmodi contextu τὸ ὅρκιον nunquam verti et significare potest ius iurandum sive foedus, propter τὸ φέρειν; etsi concedendum est, in aliis locis, his dissimilibus, ὅρκιον significare iusiurandum, siue fidem iureiurando praestitam, ut Il. η. v. 69. ubi vero est ὅρκια — οὐκ ἐτέλεσσεν. *Hesychius* quidem consimili modo: ὅρκια πιστὰ, ὅρκους ἐπὶ πίστεσι; et in ταμόντες, ποιήσαντες, συνθέμενοι; quae glossa pertinet ad Il. β. 124. sed breviloquentia formae c. τ. explicatur, fidem iureiurando spondere, f. pacisci, scilicet illa victima in eiusmodi re ferienda. Omnes norunt, eadem dicta et cadere in formam: *foedus ferire.* Caeterum improprie locutus videtur

videtur Dionyſius, formam Homericam, in foederibus adhibitam publicis, ad pactum aliquod privatum nefariumque transferendo. Nihil aliud enim fecere Decemviri, quam ut iureiurando ſe obſtringerent, ne alter alteri adverſaretur. Interpres quidem latinus: *foedus clandeſtinum iureiurando ictum eſt;* ſed uti potuit hac in re verbo *foederis*, quod *Cicero* illud ſubinde pro pactione privata adhibet: v. c. in *Or. in Piſon.* c. 13. ad quem locum v. *Abram.*

ἐν τρίβῳ τȣ͂ πολέμȣ κεῖσθαι.] hanc formam quoque Homericam puto, legiturque Lib. VI. p. 368. et XI. p. 730. Imitatus eſt, ut opinor, *γεφύρας πολέμοιο* (Il. Δ. 371.) quae Scholiaſtae ſunt, *διέξοδοι τ. π.* Unde ſine dubio tractae ſunt *Thucydidis ὁδοὶ πολέμȣ* (I, 122.) in oratione Corinthiorum, qui paullo ante dicunt: „veriſimile eſſe ſe cum Lacedaemoniis contra Athenienſes fore victores, primum quod rerum bellicarum peritia praeſtent &c. paullo poſt, quod adſint ſibi praeterea aliae belli gerendi viae, i. e. rationes, modi, commoda, a ſua ipſorum parte — ex quibus omnibus eluceat, ſe fore victores. Non male, mea ſententia, Scholiaſtes explicat per *πορισμὸν*, quaeſtum, lucrum. *Heſychius* enim *πορίζει, κερδαίνει*; ut ſit: nobis favent etiam alia in hoc bello feliciter gerendo, ſociorum defectio &c. ſic *πορισμὸς* 1. Tim. 6, 6. „quaeſtus magnus eſt pietas chriſtiana. E latinis *Tacitus Ann.* Lib. II, 5. habet *proeliorum vias*, quas tractaſſe Germanicus dicitur, i. e. agitaſſe conſultaſſe, qua ratione feliciter bella cum Germanis gerenda ſint, quid ipſi quaeſtuoſum ſ. in lucro ponendum, quo hac vel alia ratione Germanos debellare poſſit. (conf. Cl. *Erneſt.* not. ad l. c.) Et ſic etiam Noſter, ad *Homeri Thucydidis*que imitationem, dixit *τρίβον τȣ͂ πολέμȣ*, quae nobis vel aliis commoda et noxia eſſe poteſt, prout verbum activae vel paſſivae ſignificationis adiiciatur. Sic *κεῖσθαι ἐν τρίβῳ τȣ͂ πολ.* eſt: expoſitum eſſe hoſti eiusque incurſionibus, ut commoda prae nobis habeat &c. Et ſic Agamemnon

memnon in Homerico loco: τί πτώσσεις — cur trepidas, et circumspicis belli semitas, i. e. te hostium incursionibus, pugnis, expositum iri. Cui itaque sunt (ὑπάρχουσι) viae proeliorum, s. belli, ille alios vincere, iisque noxam inferre potest; sed qui κεῖται ἐν τρ. τοῦ πολ. iacet s. proiectus est, obiectat caput periculis &c.

ἀναπετάσαντες πύλας.] (Lib. IX. p. 620.) Et hanc poeticam formam ex *Homero* desumtam putem, apud quem occurrunt πεπταμέναι πύλαι (Il. Φ. 531.) portae apertae, sive ut *Claudianus* loquitur, postes resupinati. Noster et dicit τόπους ἀναπεπταμένους, locos patentes. Habet et *Xenoph. Cyr.* V. p. 95. ἀναπεπταμένας πύλας. Transfert etiam *Xenophon* ad oculos, in fabula *Herculis Prodicii* de voluptate: ὄμματα ἀναπεπταμένα, i. e. oculi supra modum patentes.

Ἐν ᾧ ἕκαστος χωρίῳ ταχθῇ.] (Lib. IX. p. 566.) quem quisque locum in acie tuendum acceperit, eum sibi domum, agrum, ducat. Videtur respexisse *Xenophont. Cyr.* Lib. III. p. 66. ed. *Leuncl.* Rex Assyriae inter caetera admonet suos ad virtutem: non modo de vita certamen propositum esse cogitent, deque solo, in quo sint orti; sed et de aedibus, in quibus sint educati, de uxoribus, liberis, bonis &c.

σώζων τὸν παραστάτην.] ibid. παραστάτας nominatim se compellabant milites Cyri, quasi adstites, qui latus alterius cingerent, vitaeque periculo defenderent. (*Cyrop.* III, 68.) Sic Alcibiades habuit Socratem, in expeditione contra Potidaeam contubernalem et παραστάτην — *Plutarch.* in *Alc.* p. m. 194.

ῥῆξαι φωνήν.] (IV. 256.) est ποιητικώτερον. Occurrit apud Aristophanem Νεφ. v. 355. et hebraismum sapere videtur: v. Jes 54, 1. פצחי רנה ῥῆξον scil. φωνήν, conf. Gal. 4, 17.

 Ἐγνώσθη.]

Ἐγνώσθη.] (IV. 256.) hic aoristus videtur paullo rarior, et hinc notandus. Etiam *Xenophon Cyrop.* V. p. 106. illo utitur. *Doctiss. Fischerus* in anim. super *Welleri* Gramm. omisit hunc aoristum exemplis munire.

ὑμᾶς ἠξίȣ ςέργειν τȣ̀ς παρόντας.] (VI. p. 387.) sine dubio Isocratis sententiam in mente habuit *Dionysius*: ςέργε μὲν τὰ παρόντα, ζήτει δὲ τὰ βελτίω, quae exstat in *orat.* ad Dem. p. 12. τὸ ςέργειν sumtum est eadem vi ac τὸ ἀγαπᾶν, contentum esse. Pro τȣ̀ς παρόντας autem lego: τὰ παρόντα, ut contexta suadent, et *Sylburgius* iam ad illum locum monuit, quamquam Isocratis locum non laudavit.

πολέμιον τὸ βȣλόμενον — δειλὸν τὸ μὴ δυνάμενον.] (XI. 720.) βȣλόμενον h.l. positum pro βȣλήσει, et δυνάμενον pro δυνάμει, manifesta imitatione *Thucydidis*, apud quem (Lib. I. c. 90.) τὸ μὲν βȣλόμενον καὶ ὕποπτον της γνωμης, ad quem locum videndi *Wasse* et *Duck.* Notavit ipse *Dionysius* hanc loquendi propriam *Thucydidi* rationem (in *epist.* ad *Amaeum de Idiot. Thuc.* T. II. p. 234.) eumque genera inter se permutare, veluti masculinum et neutrum pro foeminino, et foemininum pro masculino, docet: quam in rem exempla laudat, cum τάραχον pro ταραχῇ, ὄχλησιν pro ὄχλῳ, et βȣλόμενον et δυνάμενον pro βȣλήσει et δυνάμει ponit. Quae observatio nostra dicta confirmat.

Ἀνακωχὰς ποιησάμενος.] (Lib. III. p. 152) pro ἀνοχὰς, verbum quoque Thucydideum, v. c. Lib. III. p. 4. et alibi; quod vero in *epist. ad Amaeum* p. 133. peregrinis, raris, obsoletis et coniectu difficilibus adnumerat. At *Moeris* Atticista, ἀνακωχὴ, Ἀττικῶς· ἀνοχὴ ἑλληνικῶς. *Hesychius* explicat ἀνάπαυσιν.

ὥρα ἔτȣς] (VIII. 556.) ὥραν fervorem aestatis significare, Viri docti ad *Thuc.* (II. 52.) docuere, et ex hoc loco confirmari potest, propter adiectum πνῖγος; unde non

est

eſt neceſſe, ut in loco Thucidideo legatur ὧρα θέρες, quum veriſimile ſit, Noſtrum, Thucydidis cenſorem acrem, tamen et in hoc illum imitatum, et exquiſitiori loquendi forma eſſe uſum.

Τοσȣ̃τος φθόρος — ἐνέσκηψεν.] (Lib. VII. 427.) imitatio et haec Thucydidea eſt, et verba fere eadem Noſtri cum Thuc. ſatis probant, illum in mente locum notiſſimum de peſtilentia (II. 47.) habuiſſe.

Εἰς πλȣ̃τȣ μᾶλλον ἐπίδειξιν — ἐπιτραγωδȣμένη.] (Lib. II. 103.) triumphum romanum dicit ſuis temporibus faſtu quodam tragico, magis ad divitiarum oſtentationem, quam virtutis opinionem agi. Τραγωδεῖν, et compoſitum, latinae formae, *tragoedias excitare*, reſpondet, ut *Cicero* loquitur in *Milonian.* 7. *nunc eiusdem Appiae nomen, quantas tragoedias excitat*, i. e. tragice exaggeratur, ſive, ut *Victor.* V. Lib. XXI. 14. p. 566. explicat: materiam praebet, ad invidiam Miloni faciendam, factum illius agitandum et augendum. Quo ſenſu Demoſthenes adhibuit, ut in notis *Abramius* et *Victorius* l. c. loca laudarunt.

Τὸν Ταρκύνιον ἐνδυόμενος.] (XI. 689.) *M. Horatius Barbatus*, invectus in Decemviros, dicit eos induere Tarquinium, i. e. mores, ingenium, ſ. crudelitatem Tarquinii imitari; quae loquendi forma illuſtrat locum Paullinum Rom. 13, 14. ἐνδύσασθε Ἰης. Χρ. Imitamini Jeſum Chriſtum, morumque ſanctitatem ſectamini. Loca alia hanc in rem congeſſere Viri eruditi: locum ipſum Paulli explicat multis *Deylingius* Obſ. Sacr. P. III. Obſ. 42.

Λευκαςία.] (Lib. I. p. 43.) *Glareanus* ſcribendum putabat λευκωσίαν ex *Strabone* L. VI. init. et ſic edendum curavit *Burmannus* apud *Ovid. Met.* XV. 708.

Leucoſiamque petit, tepidique roſaria Paeſti:

non probante hanc ſcripturam *Heinſio*, ex *Silio*, (VIII 579) *Dionyſio* noſtro et *Plinio* (III. 6.) quod ſyllaba ſecunda producitur. Sed hanc rationem non tam gravem putem, ut ideo ſcribendum ſit apud *Ovidium*, Leucaſiam: poetae enim latini, ut notum eſt praecipue in nominibus propriis Graecorum, rationem quantitatis non ſemper habent. Unde et *Drackenb.* ad locum *Silii* tuetur *Leucoſiam*; etiam *Salmaſius*, vir eruditiſſimus, (*in Exerc. Plin.* p. 49.) probabat. Simile mendum latet apud noſtrum (I. p. 25.) in voce παλάντιον. Scribendum enim παλλάντιον. Omnes norunt *Livii* locum: (I. 5.) *Jam tum in palatino monte Lupercal hoc fuiſſe ludicrum ferunt, et a Pallanteo, urbe Arcadiae, Palatium — appellatum.* Et ita *Sigonius* ex *Euſtathio*, et *Gronovius* ex *Dionyſ.* recte laudant παλλάντιον. Notavit et lectu digna *Sylburg.* ad l. c. *Salmaſ. ad Solin.* p. 99.

οὗτος ὁ κόσμος — παρέμενε τοῖς ὑπάτοις.] (Lib. III. 196.) Dixerat antea, Etruſcos Tarquinio Priſco miſiſſe inſignia regum ſuorum, veluti coronam auream, ſellam eburneam, ſceptrumque in ſummitate habens aquilam, et purpuream tunicam auro diſtinctam, purpureumque amiculum varium; eundemque ornatum, exactis regibus, manſiſſe Coſſ. excepta corona togaque picta. Unde fuerunt, qui Coſſ. ſcipionem obtruderent ex hoc loco, ut ſane videtur. Sed Dionyſium huius ſententiae poenituiſſe, patet ex Lib. IV. p. 268. ubi Brutus in oratione, ſceptra, coronas aureas, et purpureas auro intertextas trabeas, Coſſ. eximit, eaque inſignia triumphali pompae tantum permittit, ut vere fuerunt. *Livius* XXX. 15. *ibi Maſiniſſam primum regem appellatum, eximiisque ornatum laudibus, aurea corona, aurea patera, et ſella curuli, et ſcipione eburneo, toga picta, et palmata tunica donat. Addit verbis honorem, neque magnificentius quicquam triumpho apud Romanos, neque triumphantibus ampliorem eo ornatu eſſe.* Videri quidem poſſit, Livium (V. 41.) Coſſ. quoque tribuere ſcipionem eburneum, quum M. Papirius, Gallo, barbam

bam ipſius permulcenti, ſcipionem eburneum capiti impegit; ſed paullo ante Livius commemorat, viros, qui curules geſſerint magiſtratus, veſte, quae auguſtiſſima ſit thenſas ducentibus triumphantibusque, veſtitos, medio aedium eburneis ſellis ſediſſe. Unde, quod honorum et virtutis inſignibus mori vellent, inter alia ſcipione eburneo procul dubio ornati Gallos expectarunt.

Ἄφεσιν χρεῶν ψηφισαμένην.] (ſc. urbem Athen.) τοῖς ἀπόροις, σόλωνος προκαθηγησαμένε.] (Lib. V. p. 330.) Valerius in oratione ſuadens, remittenda eſſe plebi debita, urbem Athenienſem, quae, auctore et ſuaſore Solone, egenis aeris alieni remiſſionem eandem conceſſerit, exempli loco, vim ad perſuadendum habentis, laudat. Intelligit ſine dubio Solonis σεισάχθειαν, i. e. oneris excuſſionem, cuius mentionem facit *Laert.* I. 45. quae fuit, interprete *Heſychio*, χρεῶν ἀποκοπή, ſ. χρεῶν ἄφεσις, (*Dionyſ.* VI 390.) latini vocant novas tabulas. Nomen huic rei a Solone paullo lenius, ac blandius, conſulto inditum fuit. *Diodorus Sic.* quidem (I. *Bibl.* c. 79. p. 90. ed. Weſſ.] de *Solone:* ἀπολύσαι τὰς πολίτας ἅπαντας τῶν ἐπὶ τοῖς σώμασι πεπιστευμένων δανείων. Quid ſignificent haec verba explicat *Plutarchus*, (in Sol. p. m. 86.) ne quis δανείζῃ, i. e. mutuam det pecuniam ἐπὶ τοῖς σώμ. ſub nexu corporis. Caeterum etſi hoc exemplum praeclare rem praeſentem illuſtrat; corpora enim aeris alieni cauſſa quoque nexa Romae, ut olim Athenis, fuerunt: attamen illud pro illa ſimplicitate temporum, quibus Romani nihil vel parum graecarum legum et inſtitutorum norant, doctius iuſto eſt, perſonaeque Valerii haud accommodatum. Quod et dicendum videtur de Appii oratione, (p. 331.) quem *Dionyſius* exempla Graecarum urbium commemoraſſe dicit.

Καὶ πᾶσαν κακῶν ἰδέαν.] eod. l. vocem ἰδέας hac vi Noſter ſine dubio ex *Platone* deſumſit, ubi ſaepe notat γένος, *Laert.* in *Plat.* vita p. 84. ed. Menag. τὴν ἓν ἰδέαν ὁ πλάτων

 καὶ

καὶ εἶδος καὶ γένος. Habet et haec *Suidas*. De uſu vocis v. *Pearc.* ad *Long.* p. 119.

μάλιςα δὲ πάσχειν τῦτο τῦς ὄχλυς.] pag. 331. πάσχειν more Atticorum poſitum videtur pro ποιεῖν; ut v. c. apud *Ariſtoph.* in *Nub.* 234.

Πάσχει δὲ ταὐτὸ — τὸ κάρδαμα.

v. *Schol.* Dixerat antea Noſter, amentium cupiditates non expleri, ſed in infinitum progredi, ſubiungitque, hoc praeſertim facere plebem.

δεθέντες — κλοιοῖς καὶ μύδροις.] (VI. p. 402.) deſcribit *Dionyſius* querelas civium, qui ſe in ſervorum numero, quin beſtiarum, haberi queruntur, et furcis et μύδροις vinciri: *Heſychius*, μύδρος, ὁ ἀργὸς σίδηρος, πεπυρωμένως, (operarum vitium eſt in *Ald.* legendum — μένος,) intelligo orbiculare ferrum, quod vel talos vel collum ambit, quo vincti ſunt,

iſti plagipatidae, ferritribaces viri.

Hac voce uſus eſt *Anaxagoras*, de ſole, quem dixit eſſe μύδρον διάπυρον, (*Laert.* II. 3. *Caſaubonus* in not. ad *Laert.* pag. 37.) non tam ferrum, quam globum igneum vult intelligi. Malim potius πεπυρακτωμένον σίδηρον, cum *Schol.* ad *Euripid. Oreſt.* v. 982. p. m. 211. ubi obiter Euripidem Anaxagorae ſtudia aemulatum commemorat. Caeterum ex *Menagii* obſ. ad h. l. p. 46. didici, *Cyrillum Alex. Suidam &c.* Caſaubonianae explicationi favere. Plura loca veterum de hoc verbo laudata ſunt in *Heſych. Albertiano* Tom. II. pag. 627.

Πανοικεσία.] VII. 432. et XI. 686. apud *Thucyd.* Lib. III. 57. et II. 16 ſcribitur πανοικησία; et ſic videntur omnino veteres Attici ſcripſiſſe: quamquam *Thomas* Magiſter laudat ſub πανοικὶ locum *Thuc.* ex Lib. II. 16. et πανοικεσία

ιοπεοία scribit: attamen libri vetusti constanter receptam tuentur lectionem. Itaque scribit *Moeris*, ut omnes recentiores graeci, ut et Noster. Vide, sis, *Duck.* ad *Thuc.* III. 57. Sed si ad analogiam aliarum vocum veluti μελοποιίας revocem, recentiorum ratio praeferenda videtur.

Τὸ ἐπιβάλλον ἑκάστοις λάχος.] VIII. 542. Τὸ ἐπιβάλλω vim habet h. l. paullo rariorem, significat enim *pertineo.* Paullo post 544. Τὸ ἐπιβάλλον ἑκάστοις μέρος. Et sic apud *Luc.* 15, 12. δός μοι τὸ ἐπιβάλλον μέρος. — Hac vi apud *Schol. Aristoph. Nub.* ad v. 233. — ἐπιβάλλει τοῖς θείοις.

Τὸ δὲ παραβάλλεσθαι πράγμασι καλοῖς, χαλεπὸν καὶ ὀλίγων.] IX. 589. Interpres: *at res egregias gerere, perdifficile paucisque datum.* Sed vim orationis enervatam reddidit. Malim: obiectare vero caput periculis rebus gerendis egregiis &c. Quod Noster dicit παραβάλλεσθαι, *Homerus* παρατίθεσθαι κεφαλὰς dicit, v. c. Od. β. 237. (utitur et ipse hoc verbo hac potestate, ut mox videbimus)

σφὰς γὰρ παρθέμενοι κεφαλάς.

Hesychius in παρθέμενοι, παραβαλλόντες, laudato hoc loco Homerico. *Thucyd.* III. 14. καὶ μὴ πρόησθε ἡμᾶς ἴδιον τὸν κίνδυνον τῶν σωμάτων παραβαλλομένους; ad quem locum lectu digna est observatio *Wass.* et *Duck.* et locus Lib. I. c. 133. conferendus; ex quo *decipiendi* significatio quam *Suidas* huic verbo subiicit, non probatur *Stephano*; explicanti illud: in discrimen coniicere. Recte, ut mihi videtur. *Stephanus* enim consentientem habet *Homerum* Il. I. v. 322.

Αἰεὶ ἐμὴν ψυχὴν παραβαλλόμενος πολεμίζειν.

Semper animam in aperta belli pericula mittens. (Virg. IX. 662.) Ab hac vi sine dubio paraboli, i. e. proiectae audaciae gladiatores, nomen trahunt, v. Gesn. Τὸν πάνυ ad *Plin. Epp. IX. 26.* „*Sunt enim maxime mirabilia, quae maxime insperata, maxime periculosa, utque Graeci magis exprimunt,*

„*munt*, παράβολα.“ Capiatne ex his dictis locus difficilis PAULLI ad Hebr. 11, 19. lucem? ὅθεν αὐτὸν καὶ ἐν παραβολῇ sc. ὄντα ἐκομίσατο, i. e. quum in summo periculo mortis scilicet esset.

Ἀπὸ τῆς ἑστίας ἀναστήσας.] VIII. 481. i. e. ἐγείρας ἀπὸ τῶν βωμῶν, ut Schol. *Thuc.* III, 282. explicat; supplex antea confugerat Coriolanus in focum Attii Tullii, tanquam ad aram; quod est καθέζεσθαι ἐπὶ τῆς ἑστίας, qui mos erat supplicum, ut satis notum, qui, relicta ara, surgebant, s. erigebantur, quo tuti essent, ut hic Attius quoque facit. Rem et illustravit Wasse ad *Thuc.* I. 133.

οὐ παρ' ὀλίγας ψήφους ὤφειλεν.] Lib. IX. p. 585. malim cum Syllburgio ὦφλεν — *plurimis calculis Menenius damnatus est.* ὀφλεῖν saepe occurrit apud *Platonem*, notione τοῦ damnari, et, expositum esse alicui rei. *Timaeus* ὀφλεῖν, ἡττᾶσθαι ἐπὶ δικαστηρίῳ. *Plat. Apol.* c. 29. ed. *Fisch.* πόσον ἂν οἴει γέλωτα ὀφλεῖν, quo te risu exceptum iri putas. *Alc.* α. p. 221. *Bas.* 2. ἵνα μὴ γέλωτα ὄφλω, et aliis locis. *Dion.* VI. p. 360. αἰσχύνην ὀφλήσομεν. *Id.* Lib. V. 328. αἰσχύνην — ὀφλήσοντες. Praecipue usurpatur de mulcta alicui irrogata. Coniecturam nostram videntur confirmare sequentia: ὥστε τὸ σύμπαν ὄφλημα. Quodsi *Thomae Magistri* observatio recte se habet, ὄφλημα esse mulctam damnatione irrogatam, et ὀφείλημα, ἐκ δανείου debitum mutua sumta pecunia s. aere alieno contractum, nostra lectio valde stabilitur. Cui aliquantum tribueremus, si consulere alias edd. possemus. Interim bene defendi potest vulgata lectio: ὤφειλεν. Sic apud *Plat.* Apol. S. 25. in re simili, in contextis quidem legitur ὦφλε, sed mavult *celeberrimus Fischerus* ὤφλεις, quod haec lectio maiores habeat auctoritates. Habet et *Moeris* ὤφλεις, ἀντὶ ἡττήθη δίκην.

περὶ

περὶ τὰς θερινὰς μάλιστα τροπὰς Σεξτιλίου μηνός.]

IX. 583. Dionyfius dicit, *Sp. Servilium* et *A. Virginium*, circa aeftivum folftitium, Sextili menfe, iniiffe confulatum. Sextilem h. l. non effe menfem *Auguftum*, vt ex veteri ratione numerabant Romani, (Ovid. Faft. III. 149, 50.) fed *Junium*, facile docere poffunt verba, θερ. τροπ. Apud *Livium* Lib. II. 51. horum Coff fit mentio, inque chronologia *Sigoniana* referuntur ad annum 276. v. c. ubi falfo *Servilius* praenomine P. appellatur; in chronologia vero *Glareani* in Dionyfium, ad annum 278. Quibusdam, affuetis vulgari opinioni, confulatum femper initum effe Kalendis Januariis, mirum videri poffit, Dionyfium initium imperii horum Coff. in menfem Junium reieciffe. Quod tempus et *Glareano Sylburgio*que paullo infolentius, et iufto maturius fuiffe videtur: ille enim malam huic loco medicinam facere tentat fua coniectura: περὶ τὰς χειμερίους μάλιστα τροπὰς Δεκεμβρίου μηνός, debili argumento ductus, quod dicat Dionyfius infra p. 737. *Geganium* et *Quintium* iniiffe confulatum idibus Decembribus. Sed eiusmodi correctio potius mihi refectio violenta fanorum membrorum videtur. Diligentes lectores Livii non ignorant, confules prioribus feculis imperium confulare plerumque aeftivis menfibus iniiffe; cui rei probandae aliquot locis idoneis defungemur. *Livius* III, 6. *creati Coff. L. Aebutius, P. Servilius, Kalendis Sextilibus, ut tunc principium anni agebatur, confulatum ineunt.* Qui locus docet, principium anni confularis his temporibus menfe Sextili fuiffe. Sic intelligendus *Liv.* III. 22. Q. Fabio, L. Corn. *Coff. principio anni ftatim res turbulentae,* (conf. Liv. IV. 1.) Lib. III. 8. *Quum aliquot interregna exiffent, P. Valerius Poplicola — Coff. creat. — Ante diem III. Idus Sextiles confulatum ineunt.* Sed confulatum quoque inierunt menfe Martio. Q. Fabio M. V. Q. Fulvio Flacco IV. Coff. Idibus Martiis, quo die magiftratum inierunt — *Liv.* XXVII. 7. qui annus fuit 541. Quae loca fatis, ut opinor, tuentur lectionem receptam. Per fecesfionem ple-

bis, *Cominius* et *Spurius Cassius*, Kal. Septembribus consulatum inierunt, notante *Dionysio*, VI. 378. sed prius, ut addit, quam esset sollemne. Ergo post mensem Septembrem ordinarie consulatum ineunt? quod vix capio ex locis e *Livio* laudatis. Caussam autem, cur aestivo tempore inierint Coss. magistratum, quaeram in consulatu *L. Jun. Bruti*, qui tempore aestivo Consul creatus est, ut vel apparet ex eo, quod seges agri Tarquiniorum, matura messi, paullo post initum consulatum, desecta, in Tiberim est fusa. (Liv. II. 5.) Nunc breviter videamus quid sint.

Τροπαὶ θερειναί.] Vocantur illae *Homero* Τροπαὶ ἠελίοιο, Od. o. 403. *Perottus*, ineptus *Homeri* censor Poetam ex hoc loco inscitiae in Geographicis postulabat, quod insulae Syri situm sub Tropico solstitiali collocarit. (Parallele des anciens et mod. Tom. II. p. 62.) Eius inscitiam bene, ut in aliis, castigavit *Boilavius*, in *obss.* ad *Long*. T. II. p. m. 181. Sed hic vir doctus tamen male hoc in loco secutus est Eustathium qui per Τροπὰς ἠελίοιο h. l. occasum solis intelligit, et pro hac explicatione frustra laudat *Hesychium*, in Τροπαὶ, quas per δύσεις interpretatur. Sed Τροπαὶ sunt, ut vel ex hoc loco intelligi potest θεριναὶ vel χειμεριναὶ, illae sunt solstitium aestivum, hae brumale. Vide hanc in rem *Gell*. II, 22 *Petavius*, in *rat. tempp*. Tom. II. p. 6. docet, Τροπὰς non minus aequinoctia, quam solstitia appellari. Ex laudatis Homeri versibus colligebat *Huetius*, heliotropium in insula Syro constructum, (*Laert*. I. cap ult) non Pherecyde, sed et Homero esse antiquius: cuius rationem praeclare posuit *Salmasius* (*Plin. Exercitt*. 446.) in significandis aequinoctiis et solstitiis; non enim, ut vulgo putant, horis monstrandis serviit. In eiusmodi igitur parapegmate, sive tabula astronomica, ἡλίου τροπαί, solstitia et aequinoctia, siderum occasus et ortus, et alia, descripta erant. (*Salmasius* l. c. 522.) Ita *Meton*, Lacedaemonius Astrologus, columnas statuit in iisque τὰς τοῦ ἡλίου τροπὰς, solstitia, annotavit, (*Ael*. V. H. X. 7.)

X. 7.) *Huetius* multum pro sua sententia firmanda invenit, ut opinor, in Scholio *Pseudodidymi* ad *Homer.* l. c. quod *Boilavius* p. 182. obscurius habet, quam ut intelligi possit. Ille enim; on ne sait pas trop bien, ce qu' a voulu dire par là ce commentateur, aussi obscur qu' Homere est clair. ἡλίυ σπήλαιον, δι' ὁ σημειοῦνται τὰς ἡλίυ τροπὰς — v. *Menag.* ad *Laert.* p. 43.

Τὸς πελέκεις καὶ ἄλλα παράσημα.] Lib. X. 644. Creato Cos. Quintio, qui, quum ei deferretur dignitas consularis, ruri degebat, ac in opere inveniebatur, meminit Dionysius securium. Nemo ignorat, secures fascibus esse exemtas, lege Valeria. Sic enim ipse *Dionysius* (Lib. V. p. 338.] *renovato more*, sc. secures cum fascibus praeferendi, qui regibus quidem usitatus, *sed a consulibus intermissus fuit*, dum Poplicola primus Cos. novi magistratus invidiam minuere voluit. Eadem habet *Plutarch.* in vita *Valer.* p. 102. *Livius* quidem, *omnia iura, omnia insignia, primi consules tenuere; id modo cautum est, ne, si ambo fasces haberent, duplicatus terror videretur.* (Lib. II, 1.) Etsi non mentionem facit securium, certo tamen constat ex *Dionys.* (Lib. V. 292.) primum fascibus secures fuisse inditas, sed a Valerio, invidiae a se amouendae caussa, exemtas. At sibi non constare *Dionysium* videri possit, quum Lib. V. 278. scribat: non utrumque consulem habuisse XII. secures, terroris eximendi caussa civibus, sed alteri praelatos esse XII. fasces, alteri vero tot secures a lictoribus, collegasque singulis mensibus secures sibi vicissim tradidisse; quod cum *Livio* l. c. pugnare videtur. Nihil enim habet de securibus; deinde, contra Dionysium, uni Cos. modo tribuit fasces. Sed nihil huc facit silentium *Livii* de securibus; sine dubio enim, scribenti haec non venere in mentem, agnoscit enim alio loco (Lib. XXIV. 9.) secures; in qua sententia etiam fuisse video *Lipsium* (*Elect.* I. 23. p. 430.) conf. *Virg.* VI. v. 818. s. Sed tota ea res mihi sic videtur conferri posse.

Omnium primum, unicuique consuli, regiam potestatem habenti, XII. fasces cum securibus praelati; *Dionysius* enim l. c. ait: ne vulgus falsam de innovata republica, quasi pro uno duos urbi reges praefectos, opinionem conciperet &c. quae suspicio non potuisset oriri, si utrique consuli iunctim duodecim secures praelatae fuissent: postea vero, ne libertas hoc terrore oppressa videretur, alteri XII. fasces, alteri XII. secures datae; quod denique institutum etiam mutatum est, ut XII. lictores cum fascibus modo praeirent. Sed restat scrupulus: secundum Dionysium XXIV. lictores fuerunt, quum consentientibus plerisque XII. modo, ad imitationem regum, exstiterint. Hunc mihi sic eximo. Ab initio XXIV. lictores fuisse, facile crediderim propterea, quod quilibet consulum, regiam habens potestatem, et insignia regum habuerit necesse est: sed quod eo duo reges pro uno creati viderentur diminutus est lictorum numerus, qualis fuerat regum tempore, sublatis simul securibus. (*Dion.* V. 292.) Lapsum esse Dionysium, tam diligentem scriptorem, nolim affirmare, cum Lib. III. p. 106. modo XII. lictores cum securibus, regibus, eorumque successoribus, i. e. consulibus, adscribat, nempe numero eorum, qui continebat XXIV, redacto mox ad XII. Itaque diversa tempora tenenda sunt in hac difficultate. Adiuvat *Dionysium Valerius M.* qui Lib. III. 1. Poplicolam numerum fascium dimidia ex parte minuisse dicit. Ita enim ille: *P. Valerius — cum exactis regibus imperii eorum vim universam, omniaque insignia, sub titulo consulatus in se translata cerneret, invidiosum magistratus fastigium, moderatione ad tolerabilem habitum deduxit, fasces securibus vacuefaciendo, et in concione submittendo, numerum quoque eorum dimidia ex parte minuit, ultro Sp. Lucretio collega assumto.* Sed *Appianus* male ipsis regibus XXIV. secures affingit, (Lib. I. civ. p. m. 687.) quem errorem iam castigavit *Lips. in Elect.* l. c. Quod tandem attinet ad secures, Quintio consuli creato, in agello versanti oblatas, sic expediri hanc difficultatem posse putem. In urbe, post legem Valeriam,

riam, soli dictatori secures praelatae sunt, sed extra urbem quoque Consulibus, praecipue cum essent cum imperio missi in provincias. Sic ipse *Dionysius* (Lib V. 292.) *Et ut firmius populo persuaderet, se publicae libertatis studiosum esse, ademit secures fascibus, moremque post se reliquit consulibus, qui usque ad mea tempora perduravit, ut tantum extra urbem securibus utantur, intra moenia contenti solis fascibus*, conf. Lib. X. p. 683. Quae confirmantur loco *Livii* (Lib. XXIV. cap. 9.) *Lictores ad eum accedere Cos. iussit, et quia in urbem non inierat, protinus in campum profectus: admonuit, cum securibus sibi fasces praeferri.*

ADD. Ad obs. de Anaxagorae opinione; solem esse μύδρον διάπυρον. add. *Plat. Apol.* XIV.

Jam nunc deinceps, esse loca in Dionysio Halicarn. quamvis egregio scriptore, quae comparata cum *Livio*, et aliis, non semper vero, tempori, personaeque alicuius convenire videantur ulterius demonstrabimus.

Primus locus, qui attentione lectorum, nostraque consideratione dignus videtur, reperitur Lib. I. p. 102. agitque de primo, quem Romulus egit, triumpho. Romulum narrat Dionysius, debellato et occiso Acrone, exercitum Romam reduxisse, spoliis opimis praelatis, victimisque, diis destinatis ante ductis: ipsum purpura indutum laureaque coronatum, maiestatis ostentandae caussa, quadrigis in urbem invectum, extremumque pompam clausisse; reliquas equitum peditumque copias, hymnis deos patrios celebrasse, ducemque carmine incondito praedicasse, effusa obviam magna hominum turba cum uxoribus liberisque. In urbe ipsa praesto fuisse crateras vino repletas, mensasque cibis variis instructas ante aedes illustrium virorum positas fuisse; atque hanc fuisse pompam triumphalem, tropaeis atque victimis celebratam, quam nominent Romani triumphum, cuius auctor sit Romulus. Qui locus, si cum *Livio* (I. 10.)

comparatur, ſimplicitati illorum temporum, nec Romuli perſonae ſatis eſt accommodatus. Etenim vix credibile videtur, Romulum, eo tempore, quo cultus paullo ſimplicior adhuc vigebat, indutum purpura, ſive chlamyde, aut, ut latini vocant, paludamento, urbem eſſe ingreſſum. Longe ſimplicior et propior verum eſt Liviana huius victoriae deſcriptio. „*Duce hoſtium occiſo*, ait l. c. *urbem primo impetu* „*capit. Inde exercitu victore reducto, ipſe cum factis vir mag*„*nificus, tum factorum oſtentator haud minor, ſpolia ducis hoſtium caeſi ſuſpenſa, fabricato ad id apte ferculo, gerens, in Capitolium aſcendit.* — Alienum quoque a vero eſt, regem quadrigis, maieſtatis regiae oſtentandae cauſſa, in hoc triumpho uſum eſſe. Metitur hic *Dionyſius* priſca tempora ſuis. Hic enim ſplendor ad tempora Priſci Tarquinii eſt referendus, ut ſcite obſervat *Plutarchus* in vita Romuli (p. m. 27.) ideoque noſtrum *Dionyſium* caſtigat. (Ρωμύλον δ' οὐκ ὀρθῶς φησιν ἅρματι χρήσασθαι Διονύσιος.) Sed habet hoc *Dionyſius*, ut tempora interdum non ſatis diſtinguat, ut ex hoc loco, et ex deſcriptione pompae Circenſis, ut infra videbimus, intelligitur. Haec pompa praeterea non vocari poteſt triumphus, ut idem *Plutarchus* l. c. bene monet; fuit potius origo triumphorum, quam magnificentiam poſteritas, rebus bene praeclareque geſtis, aemulabatur. (ἡ πομπὴ — τῶν αὖθις θριάμβων ἀρχὴν καὶ ζῆλον παρέσχεν.) At in comparatione Romuli cum Theſeo, dicit *Plutarchus* (p. 38.) βασιλεῖς ἐθριάμβευσε? Sed hoc non nimis urgendum puto, et ſic intelligendum, tanquam Romulus iuſtum legitimumque de regibus egerit triumphum; id enim nunquam factum. *Plutarchus*, nihil aliud opinor, voluit, quam hoc, Romulum regibus ducibusque victis, eorum potentiam fregiſſe. Sumendum hoc vocabulum eo ſenſu, quo *Paullus* (Col. II. 15.) de doctoribus iudaicis cepit. Primum itaque triumphum, auctore *Plutarcho* (p. 27.) ad tantum ſplendorem evexit Tarquinius, Demarati filius; cum quo et facit *Eutropius* (I. 5.) qui hunc regem, deuictis Sabinis, triumphantem

phantem primum urbem intrasse dicit. Moribus haec sunt consentanea Prisci Tarquinii: hominem hunc graecum scimus divitiis potentem Romam commigrasse, cupidine ac spe magni honoris ibi adipiscendi. cui incepto et par eventus respondit. Accessit et eius maiestati splendor donis, quae ei debellati Hetrusci, pacem quaerentes, obtulere, veluti coronam auream togam pictam, scipionem eburneum, sellamque elephantinam; ut tradit *Dionysius:* (Lib. IV. 195.) quae ornamenta triumphalia ex parte fuerunt et sententiam *Plutarchi*, cui *Livius* non repugnat, contra Dionysium egregie confirmare videntur. Ille enim disertis verbis (I. 38.) „*Sabino bello perfecto, Tarquinius triumphans Romam rediit.*" Facit et hoc contra *Dionysium*, quod nullus triumphus, quod equidem sciam, etiam sub regibus, sine auctoritate Senatus populique fieri poterat; quod tamen hic factum esset, Dionysio nihil de hac re tradente, quod alias facit, v. c. in vita Tarquinii (Lib. III. 194.) Victis enim Hetruscis, ita: „*Ex hoc proelio, superiorum omnium, quae inter se commiserunt, longe maximo, quum praeclaram victoriam Romani reportassent, res illorum admiranda ceperunt incrementa. Quare a Senatu populoque decretum est, ut triumphalis a rege deduceretur pompa*, conf. *Zamosc.* de S. R. p. 187." Romulus itaque, ut, unde digressi sumus, revertamur, secundum *Plutarchum* (p. 27.) Acrone occiso, spoliisque opimis captis, ut votum Joui redderet quam gratissimum, et oculis civium speciosissimum, quercum recidi, instarque tropaei adornari iussit, armis Acronis in ea suspensis: ipse vero veste cinctus, et capite fluente coma laurea coronatus, feretrum, innixum humero dextro, erectum gerens, incessit, civibus cum gratulatione eum excipientibus. Qui locus et docet, tropaeum esse quodvis lignum, in quo aliquid suspenditur v. c. arma ducis, et talia. Sic ad caput Caesaris occisi tropaeum cum veste, in qua fuerat confossus, positum est, i. e. lignum simile tropaeo (*Suet. Jul.* 84.) Notandum et hoc, quercum arborem, ut pluri-

plurimum, ſumtam ad excitanda tropaea. Apud *Virgil.* XI. 5. & 83. Aeneas, victo Mezentio,

Ingentem quercum, deciſis undique ramis
Conſtituit tumulo. —

vbl v. *Cerdam.*

Pompa ipſa vocatur a *Dionyſio* l. c. ἐπινίκιος et. τροπαιοφόρος, ut et aliis locis, v. c. p. 173. et 194. quod in ea tropaeum hoſtium praetulit Romulus, (quae definitio eſt triumphi,) ſive, ut loquitur *Livius*, quod ſpolia ducis hoſtium caeſi ſuſpenſa, fabricato ad id apte ferculo, geſſit. Nota ſunt *Ciceronis* (Offic. I, 36.) *fercula pomparum*, item *Suet. Jul.* 37. In deſcriptione huius pompae et commemoratur a *Dion.* l. c. militum mos, imperatorem incondito carmine proſequendi, cuius et mentionem facit *Plutarch.* (*Rom.* p. 27.) qui deinde invaluit. *Plutarchus* quidem, ipſum Romulum paeanem praecinuiſſe dicit exercitui in armis ſequenti; ſed hic paean, pro temporum illorum ruditate, inconditis carminibus conſtitit. *Livius* Lib. IV. 20. in deſcribendo maximo triumphi ſpectaculo, quo Coſſus regis Tolumnii ſpolia geſſit, eiusdem ritus meminit: „Milites in „eum carmina incondita, aequantes eum Romulo, ceciniſſe." Milites quidem Caeſaris per Gallicum triumphum iactarunt, (*Suet. Jul.* 57.)

Urbani ſervate uxores, moechum calvum ducimus.
Aurum in Gallia effutuiſti: hic ſumſiſti mutuum.

Unde militum licentiam licet animadvertere, imperatores ſuos eiusmodi verſiculis inſectantium; quod Graeci ἰαμβίζειν et καταστώπτειν vocant, ut intelligitur ex *Dionyſ.* VII. 477. qui ipſe hanc petulantiam militum obſervat. *Triumphorum deductio*, ait, *arguit, Romanis iam olim vernaculos fuiſſe ſcurriles iſtos, et ſatyricos luſus. Permittitur enim victores deducen-*

deducentibus, iambos et dicteria iacere in clarissimos viros, et ipsos imperatores: quemadmodum Athenis solebant, pompam in plaustris ducentes scommatibus obvios impetere. Acronem *Dionysius* (p. 106.) vocat βασιλέα τῶν κανιτῶν, et populum κανίτας; *Plutarchus* vero rectius (p. 26.) κενινητῶν. Urbs enim, quam et habet *Dionysius* l. c. κανίνη vocatur. Forte latet mendum scripturae in *Dionysio*: *Xylander* quidem in notis ad *Plut.* p. 5. damnat κανίτας. *Livii* auctoritas et hic valet, ille enim semper Caeninenses habet.

Alter locus, qui cum *Livio* pugnare videtur, exstat Lib. II. p 82. quo Romulum multitudinem in tres partes maiores, tribus τρίττυς s. φυλὰς dictas, descripsisse tradit, quas *Livius* vero (I. 18) centurias equitum, Ramnenses, Titienses, et Luceres, Sabino bello confecto, dicit, tribusque sub Servio Tullio demum ortas asseverat. (Lib. I. p. 43.) Hic enim ita: „*Quadrifariam urbe divisa, regionibus collibus*„*que, quae habitabantur partes, Tribus eas appellavit.* Qui locus quidem contra Dionysium nihil facit; Tribus enim Servii Tullii sunt τοπικαὶ, non γενικαὶ, quales fuere Romuli, ut ipse auctor est IV. 219. et dudum bene docuit *Sigonius* de *ant. iur civil. Roman.* p. 14. Sed nunc de dissensu ipso videbimus. Etsi hi auctores gravissimi hac in re inter se discrepare videntur, re vera tamen, ut nobis videtur, dissensus est nullus. Defendi potest in primis *Dionysius*; sed nec *Livius* negligentiae in scribendo postulari debet. Hoc solum inter *Dionysium* et *Livium* interesse videtur, ut ille vocabulo latioris significationis usus sit quam hic, et, ut dicam, quod sentio, diligentius et accuratius rem tradidisse videatur. Pro *Dionysio* enim sunt *Plutarchus* (*Rom.* p. 30.) *Varro* (Lib. IV. p. 22. 23.) *Asconius Pedianus* ad Lib. I. in *Verr.* c. 5. p. m. 61. b. (quem locum falso laudavit *Sigon.* l. c tanquam scripserit haec *Asconius ad divinationem,*) *Festus* in *Lucerenses*, et ipse *Livius* (Lib X. c. 6.) „tres an„tiquae Tribus, ait, Ramnes, Titienses, Luceres" — ita ut

Gg „sibi

„sibi ipse non constare videatur." . Pro *Livio Valerius* stat *Maximus* (Lib. I 4.) et *Hor.* A. P. 342. *Sigonio* quoque (*de iure ant. civ. Rom* p. 11.) ratione temporis Dionysius cum Livio non consentire videtur. Ita enim ille: Dionysio placet, *Romulum, ubi primum ab agresti illa Albanorum convenarumque multitudine rex declaratus est, populum in tres tribus divisisse: Livio autem non nisi confecto bello, atque consociato cum Tatio imperio, tres equitum centurias esse factas.* Ita quoque accusat *Dionysium Gron. Obss.* III. 25. p. 504. et *Plutarchum*, sed male; hic consentit enim hac in re cum Livio. Sine dubio cum non inspexit, v. vit. Rom. p. 30. Sed et hoc non dixisse *Dionysium* putem. Traduntur quidem haec statim post narrationem de Romulo in regno confirmato; non autem scribit hoc institutum Reipublicae, Romulo rege ab omnibus declarato, statim factum esse, sed, temporis ordine posthabito, res domi gestas, primum, ut solet, singillatim commemorat, et deinceps bella; quod cuivis lectori attento ita esse apparebit.

Quibus ex dictis apparet, in re ipsa convenire cum Dionysium, tum Livium; utrumque modo alio vocabulo rem esse elocutum. Quod Romulus populum in tres partes diviserat, una harum partium trium commodissime *tribus* appellari poterat; nomen enim *tribus* et *tribuni* declarat, ut ait *Plutarchus*, (Rom. 30.) tres partes fuisse. *Varro* quidem (de Lin Lat. IV. p. 22.) Tribunos militum ideo sic dictos putat, quod terni tribus tribubus Ramnium, Lucerum. Tatiensium, olim ad exercitum mittebantur. Nomen tribus, omnem complectitur iuventutem, tum pedites et equites, qui belli tempore ex unaquaque earum tribuum deligebantur Unde et milites, ut vult *Varro* p 23. ideo sic dicti sunt, quod trium millium primo legio fieret ac singulae tribus, Tatiensium, Ramnium, Lucerum, millia singula militum mitterent. Quatenus vero ex tribubus et equi-

tes,

tes *), non modo Celeres illi, Romuli custodes corporis, sed et alii ad bellum ituri deligebantur, Tribus illae Centuriae equitum vocari poterant. Equites v. c. tribus Ramnensis, centuriam equitum Ramnensem constituebant, et sic in caeteris tribubus. Quaelibet igitur harum trium partium populi, tribus rectissime dici potuit, quatenus complectebatur peditem et equitem; eadem vero quoque centuria equitum, quatenus equites dabat, eodem nomine, quo tribus, recte, ut opinor, nuncupari poterat. Centuriae vocem *Livium* h. l. sumsisse putem eo sensu, non quo ipsos homines centum capit, sed quo partem populi aut exercitus significat, qua vi est apud *Ciceronem*, ut ex Clave ERNESTIANA intelligi potest, et *Livium* ipsum I. 35. Haec ita esse, elucet vel inde, quod Livius ipse l. c. Ramnensem, Tatiensem, et Lucerensem Centurias, vocat antiquas tribus, ut videatur promiscue centuriam et tribum adhibuisse. Certe hoc patet, Livium, instituisse Romulum tribus huius nominis, non negare, etsi illarum priori loco mentionem non fecit. Quod et non admodum erat necesse. Referunt enim se invicem centuria et tribus, ut et usus posteriorum temporum docet, ubi tribus et centuria praerogativa promiscue usurpantur; ut praeclare explicavit *Gron.* Obs. p m. 518.

In transitu monebimus, in Lexico Fabri, sub voce *Tribus* male, legi „*tres initio fuere; postea Servius Tullius quartam addidit.*" Quam ad rem probandam laudatur Dionys. IV. 18. (p m. 219) sed falso Nam non verum est, Seruium Tullium tribus Romuli Tribubus addidisse quartam, et Dionysius ne verbulum quidem scripsit, quod voluit auctor horum verborum. Supra iam dictum est ex Dionysio, Romuli tribus esse alias quam Servii: illae fuere γενικαὶ et

*) Isidor. Lib. IX. Origg. 3. Romani equites in una *tribu* trecenti.

et Tullianae *[illegible]*. Tullius totam urbem in quatuor regiones distributam, ne quis e sua regione in alteram transiret, et quatuor tribuum fecit. Quod si ita esset ut est in Lexico scriptum, nomen tribuum antiquissimarum, et esse deberet in indice XXXV. tribuum; quod tamen longe secus habet. Scribendum itaque potius est: postea Servius, ratione Romuli relicta, urbem quatuor tribuum ad regiones IV. urbis, esse voluit. Caussam probabilem, cur Servius a Romuli divisione discesserit, laudat *Sigonius* de ant. iure civ. Rom. p. 14. Loco laudato *Dionysii* in Fabri Lexico, adscripta sunt verba: de *Tullio* et *Servio;* mendose, pro Servio Tullio.

RHETORIQUE FRANÇOISE par Mr. CREVIER, Professeur Emerite de Rhetorique en l' Université de Paris.

Lut. Paris. cIↄIↄcclxvi. Vol. XII. duodenis.

Eloquentiae verae praecepta ex Aristotelis, Ciceronis, Quinctilianique libris discenda, *Creuierius* recte statuit, suam tamen non omnino supervacuam operam, conscripta hac rhetorica Franco-Gallica, existimavit, praeprimis cum temporum vicissitudines, locorum diversitas morumque, religionis ac imperii forma, linguaeque varietas, multa ad usum rhetoricae spectantia mutaverint. Suis igitur popularibus praecipue hunc librum utilissimum praeceptis ad imperii Franco-Gallici formam accommodatis, aeque ac exemplis egregiis e veteribus oratorum recentioribusque libris lucupletatum, reddere studuit; nihilo tamen minus aliorum quoque studiis inservit. Praemissa commentatione de eruditione oratori necessaria, atque de diversis circa quae industria eius versetur generibus, totius artis summa

summa in tres dispescitur, pro more oratorum, partes, inventionem videlicet, dispositionem, ac elocutionem.

Primum itaque praecepta ex veterum ordine prudenter proposuit, inventio argumenta adeoque τὰ ἤθη et τὰ πάθη complectitur. Tyronum gratia inventionem argumentorum in diversa genera, ex regulis logicis et materia dicendi collocata, dispescuit, eorumque insignem utilitatem peculiari tractatione sub finem libelli praedicavit, ac commendavit. De morum autem doctrina ita, ut simul usus in unoquoque dicendi spectetur genere, disseruit: eandemque rationem in tractandis elegit affectibus, usum eorum et in sacra, et in civili eloquentia ostendendo. Eum porro servavit ordinem in tradendis dictionis elocutionisque praeceptis, considerando primum dictiones per se spectatas et in iunctura positas euphonias causa, ubi quidem non pauca praecepta Ciceronis, in linguam Franco-Gallicam translata, deprehendimus. Apte atque concinne doctrinam de periodis, numeroque orationis, explicavit. Deinde significationem vocum propriam et figuratam sub examen vocavit: unde de elegantia, perfectione, bene comtae orationis suavitate et perspicuitate, verba fecit: porro de ornatu orationis in verbis et rebus, ope figurarum, quorsum et tropos refert; tandem de convenientia verborum cum re ipsa, quae in recto usu trium scribendi generum cernitur, disseruit. Tandem appendix, praecepta ad memoriam, elocutionem, et imitationem pertinentia continens, sequitur.

Quilibet intelligit talem librum unicuique verae eloquentiae studioso utilem futurum, quod multa ei insunt, nostro genio, linguaeque nostrae accommodanda; prae reliquis tamen futuris oratoribus sacris commendandum esse, quippe qui multa, eaque eximiis exemplis e Bourdalovii, Masillonii, aliorumque scriptis illustrata, discere, simulque cognoscere poterunt, Auct. quam maxime ab omni partium studio alienum fuisse, cum horum virorum errores reprehendendo indicaverit.

Ut vero lectores nostri de operis huius utilitate iudicare possint quaedam decerpere lubet. Sic pagina 131. de argumentorum inventione, in orationibus praecipua officiorum capita tractantibus, disseruit, ut ostenderet eas ex more a Gallis recepto, proprie orationum, non vero dissertationum metaphysicarum, ut apud Anglos, prae se ferre speciem debere; posterioris enim generis commentationes, in Scholis quidem, nequaquam autem in conventibus sacris aut civilibus, ubi sermo popularis plurimum valet, esse proponendas. *Auctor* praeterea argumenta e Scriptura Sacra patribusque ecclesiae petere suadet, quae tamen non ita accipienda sint, quasi multa e Patribus in unum acervum congerere oporteat, sed ita, ut sacer orator meditationes patrum in morum doctrina egregias probe perspiciat, sibi proprias reddat, iisque ad ornandam suam utatur orationem. Cuius quidem rei caussa Cyprianus, Augustinus, Leo Magnus, Bernhardus

dus, aliique, omnino commendari diligenterque legi merentur. Philosophiae suas quoque in orationibus sacris tribuit partes, cuius munus in explicandis notionibus Scripturae Sacrae cernitur; cavendum tamen esse docuit, ne ea summam orationis sacrae constituere videatur, quia philosophorum subtilitatem non prodere debeat. Quare merito Massillonium, in libro cui titulus le petit Carême, arguit, easque commentationes philosophicas, non orationes sacras dicendas esse docet. Admonet praeterea, Scripturae Sacrae loca ex sententia auctoris esse explicanda, neque longius petitis, contortis ingeniosisque interpretationibus, ad materiam dicendi trahenda. Lectu item digna sunt, quae de genere dicendi animos movente prodidit, qua quidem in re eum uberiorem fuisse optaremus. Exempli tamen loco ea nobis esse poterunt, quae tristitiae producendae inserviunt. Recte quidem huic affectui in orationibus sepulcralibus suas tribuit partes, alias enim raro occasio praebetur oratori animos tristes reddendi. Unde docuit, Passionem Jesu Christi nequaquam eo pertinere, ut animus contristetur, sed ut magnitudo ac deformitas peccati, rigor iustitiae divinae, et favoris summi numinis copia, pateant. Orator itaque minus recte agere videtur mulierculis lacrymas exprimendo, quod Christus, tanquam adversum aliquid passioni serio vertuerit. Alia tamen ratio est in adhortationibus, ad benefici animi demonstrationem, quae ubique exemplo Massillonii summo studio commendanda.

Nihil

Nihil amplius addendum eſſe exiſtimamus, cum utilitatem libri unusquisque jam dictis perſpicit, atque intelligit, Crevierium, tot tantisque ex veterum Scriptorum lectione cinctum praeſidiis, accurate ac eleganter praecipere potuiſſe; ubique certe diligentem et eruditum Rollini diſcipulum, veſtigia eius preſſe ſequentem, invenire facile eſt.

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiae

Calendis Junii Anno MDCCLXXI.

ACTA SANCTORUM SEPTEMBRIS, ex Latinis et Graecis, aliarumque gentium monumentis, servata primigenia veterum scriptorum phrasi: collecta, digesta, commentariisque et observationibus illustrata a Jo. Stiltingo, Const. Suyskeno, Jo. Periero, Jo. Cleo, e Soc. Jesu Presbyteris Theologis: Tomus VIII. *quo duo postremi dies continentur, cum eiusdem mensis supplemento, et gemina appendice mensis Augusti.*

Antwerpiae, 1762. 5 Alph. 15 plagg. in fol.

Quod dudum iam admonitum est, esse hoc opus instructissimum superstitionis Romanae apparatum, id pari fide atque integritate de hoc Tomo, qui iam ad manus est, affirmare atque repetere licet. Etenim, quis nisi sacris Romanensibus addictus credat, binis quotannis diebus in ecclesia Romana tot sanctorum memoriam recoli, ut eorum vita et rebus gestis, seu verae sint illae, seu fictae et commentitiae, describendis, tam vastum atque hydropicum volumen expleri possit?

tio hodie memoratur apud Wionem, Menardum, et Buceli-num. Vita S. Disibodi episc. data est ad VIII. Julii Brixius episc. Conf. sine loco hodie annunciatur in Florario Mf. *Fortasse* erit Brixius f. Brictius episc. de quo actum est ad IX. Jul. Atque sic procurrit tribus fere paginis disputatio auctorum nostrorum de Sanctis praetermissis. Nolumus iam minutatim omnia inde repetere, nomina tantum horum Sanctorum, et loca, ubi plura de iis in hisce Sanctorum Actis cognoscere lectores nostri possint, commemoraturi. De b. Johanne de Dukla disputabitur in Operis supplemento ad XIX. Julii. Victorinus Conf. quemadmodum a Castellano vocatur, auctoribus nostris idem videtur, ac S. Victor, de quo ad XXXI. Aug. De S. Bertellino vid ad IX. Sept. de martyribus CL. ad XIX. Sept. de SS. Januario et Sosio ad XIX. Sept. Lotharium Saxon. Imperatorem nolunt auctores nostri in numerum Sanctorum recipere. Dabimus hic ipsa Jesuitarum verba, ut, quid statuant de hoc Imperatore, lectores nostri intelligant. „Lotharius Imperator — inquiunt — „cum titulo beati memoratur apud Menardum, qui ipse observat, sanctitatem Lotharii ex poenitentia brevi non adeo „fieri certam, ideoque rectius non vocasset beatum, aut etiam omisisset. Bucelinus tamen rursum inter beatos recensuit, et laudibus ornavit speciosis magis, quam veris." An vides, lector erudite, quare Jesuitae nomen Lotharii nolint fastis Sanctorum inserere? Nimirum, hoc unum ad sanctitatem consequendam deerat bono Lothario, quod dominationi atque arrogantiae sedis Romanae cedere noluit, quod iure et auctoritate Imperatoris Germanici egit in caussa Schismatis inter Innocentium II pontificem legitimum et Anacletum II. Antipapam orti, quod denique in expeditione Italica priore, Innocentii defendendi caussa suscepta, bona Mathildina sibi atque Imperio Germanico, cuius feuda fuerant, iure quodam suo vindicavit. Hac tanta peccatorum mole obrutus Imperator, quomodo potest ab ullo Jesuita in consortium Sanctorum recipi? Sequitur iam S. Ceolfridus,

de

de quo vid. ad XXV. Sept S. Firminus et S. Barrus, de quibus eodem die. Martyres Olivenſes XXVII. Sept. S. Bernardinus XXVIII. Sept. De Johanne Gandavenſi, Baudo, Nicolao Avenionenſi, Petro Guillot, Michaele de Fabra, Henr. Scarampo, Carolo Bleſenſi, Metropolo, Simone de Roxas, Hermanno abbate Waldſaſſenſi in Germania, Martino Spoletino, Antonio Nugnez, de his igitur omnibus nihil in his Actis Sanctorum occurrit, quoniam carere cultu publico dicuntur. Jam ſequuntur Sancti, de quibus binis ultimis Septembris diebus, et menſe Octobri diſputabitur. Nimirum de Ripſime et ſociis martyribus, de Leopardo M. de b. Simone, de b. Felice de Meda d. XXX. Sept. de S. Veriſſimo, Maxima et Julia martyribus d. I. Octob. de S. Cogano abbate d. XIII. Octob. de Aquilino d. XXI. Octob. de Tryphone Trophymo et Dorymendonte d. X. Nov. de rege Joſaphat et S. Maximo d. XXVII. Nov.

Primus igitur Sanctus, qui ad diem XXIX. Sept. commemoratur, eſt Michael archangelus, de cuius variis apparitionibus factis in monte Gargano, in urbe Coloſſenſium quae poſtea dicta eſt Chone, in Soſthenio, ſuburbio Conſtantinopolitano, aliisque in locis, copioſe expoſitum eſt a Stiltingo inde a pag. 4 — 8. Pag. 8. recenſentur ea, quae de S. Michaele reperiuntur in Scripturis ſacris. Loca huc pertinentia ſunt Dan 10. Jud. 1. Apocal. 12, 7. Dan. 12. Jam a pag. 10. uſque ad 123. ſequitur longa diſputatio de Gabriele et Raphaele, Archangelis, et de reliquis angelis eorumque apparationibus, tum veris, i. e. ſcripturarum ſacrarum teſtimonio comprobatis, tum falſis aut ſaltem incertis, de cuſtodia angelorum circa ſingulos homines, regna, urbes, eccleſias &c. de apparitione S. Michaelis in Chonis (urbe Coloſſenſi.) Pag. 41 — 49. continetur libellus Graece ſcriptus atque Siſinnio cuidam attributus, in quo multa narrantur miracula, muliercularum auribus admodum grata, opera Michaelis archangeli patrata, qui et ipſe magnus coeli

 militum

militum imperatori, divinaeque militiae princeps ibi vocatur. Adiecta est versio latina Possini, et annotata quaedam critica Stiltingi, quibus supersedere profecto poterat. Liceat nobis tamen inde repetere notam (g) quae est pag. 48. „Si verum est miraculum modo relatum, res illa potius contigerit seculo V. aut VI. circiter, quam II. ad quod referendum esset ex ordine relationis." Atque sic saepenumero crisin instituit super miraculis, quae aut omnem verosimilitudinem superant, aut manifeste cum fide historica pugnant. In talibus nos potius sic ratiocinaremur: Si verum est, multum est. Sed non est verum. Ergo nec est multum. Haec acta a Lipomano Tomo VI. Vitarum fol. 229. edita, sunt inter ea, quae attribuit Metaphrasti, prout ex Graecis facta erant Latina sub hoc titulo: Narratio miraculi, quod factum est in regione Chonensi a Michaele archangelo, principe militiae caelestis. Petrus Possinus, e Soc. Jesu, qui est Latinus interpres horum actorum, ea ipse manu sua descripsit ex bibliotheca illustrissimi domini Car. de Montchal, archiepiscopi Tolosani, et ex codice, quem dicit non antiqua quidem, sed plane transmarina tamen exaratum esse manu. Adscribuntur Sisinnio cuidam. Jam vero sunt bini Sisinnii, quorum alter patriarchatum Constantinopolitanum administravit ab anno 426. usque ad finem fere anni 427. alter floruit post Simeonem Metaphrastem. Leo Allatius, qui in diatriba de Simeonum scriptis pag. 96. de hac nostra homilia agit, eam tribuit Sisinnio Constantinopolitano, sed non addito discrimine primi aut secundi. Sed praeter hosce duos Sisinnios, plures alii subinde commemorantur apud Labbeum in indicibus Conciliorum, qui Seculo VII. VIII. IX. vixisse dicuntur. Inter hos est alter episcopus Hieropolitanus, alter Laodicensis, qui Chonis vicini erant, uti et plures alii ibidem memorati. Hinc magis credit Stiltingus, episcopum aliquem illarum partium sermonis huiusce auctorem esse, quam Sisinnium Constantinopolitanum. Pag. 49 – 54. commemorantur variae ecclesiae S. Michaeli vel

angelis

angelis dicatae circa Conſtantinopolin et in ipſa urbe. Pag. 54. diſputatur, qualia ſint acta apparitionis S. Michaelis in monte Gargano, et tempus apparitionis inveſtigatur. Pag. 58. agitur de loco apparitionis, et examinantur varia auctorum aſſerta. P. 61. legitur libellus ſub hoc titulo: Apparitio S. Michaelis in monte Gargano, auctore anonymo, ex V. aut VI. Mſs. vetuſtiſſimis collatis inter ſe, et cum aliis nonnullis. Adiectae ſunt in fine animadverſiones quaedam criticae maximam partem ad lectionis varietatem pertinentes. Quae pag. 63 — 69. de eccleſia S. Michaelis in monte Gargano, votivis peregrinationibus et miraculis illuſtri, de ſaxis item eiusdem eccleſiae, ſalutaribus contra peſtem anno 1656. ſaevientem, dicta ſunt, atque in ſequentibus etiam de talibus fabulis dicentur, ea omnia libenter praetermittimus, relicturi illa mulierculis. Pag. 69. agitur de feſtivitate S. Michaelis, diu ante apparitionem celebrata, et de eccleſiis aliquot vetuſtioribus Romae et in aliis civitatibus Italiae. Pag. 76. eſt libellus ſub hac inſcriptione: Apparitio in monte Tumba, auctore anonymo, ex editione Mabillonii, cum tribus Mſc. collata, et ex iis correcta, cum notis criticis. Pag. 83. enumerantur particularia aliquot S. Michaelis beneficia et apparitiones, de quibus quid vel ipſe Stiltingus ſtatuat, operae pretium eſt cognoſcere. „Particularia — „— inquit S. Michaelis beneficia cum apparitionibus con„iuncta, etiam plurima apud ſcriptores reperiuntur, ſed non „omnia aeque certis teſtimoniis probata ſunt, *ut in miraculis „et apparitionibus paſſim contingit.* Quapropter ex proba„tis ſcriptoribus nonnulla ſolum ſeligere ſtatui, omiſſis iis, „quae in actis fabuloſis occurrunt.“ Pag. 87. quaeritur, an inſignis victoriae cauſſa, in honorem S. Michaelis inſtitutus ſit ordo militaris de Ala, it. de Ordine S. Michaelis in Gallia. Quod igitur attinet ad priorem Ordinem eius fundatio omnis litteris inſtitutionis nititur, quas Alphonſus Henriquez Luſitaniae rex, poſt inſignem de Mauris reportatam victoriam anno aerae Chriſtianae 1167. dediſſe dicitur. Has litteras primus

primus edidit Bernardus de Brito, in chronico Cisterciensi Lusitanice scripto, et impresso Ulyssipone a. 1602. l. V. c. 2. unde ab auctoribus nostris repetitae hic leguntur Dabimus lectoribus earum brevem summam. Alphonsus igitur Henriquez dum esset in Santarena, venit contra ipsum Albarch, rex Sibilliae, cum ingenti multitudine militum, et castra posuit prope oppidum, in quo cum parva manu suorum erat inclusus. Hinc cogitavit de bello contra Albarch suscipiendo, rogavitque angelum suum custodem, et archangelum Michaelem, ut ipsi in pugna adessent. In ipso autem proelio dicitur Alphonsus Henriquez vidisse coram se, non corpus ipsum, (quod fabulae commendandae caussa diligenter est ab impostore additum) sed manum Michaelis pugnantis, cuius sumitatem, (ita enim legitur in ipsis litteris,) cooperiebat ala tanquam angeli. „Cumque ego — inquit „Alphonsus Henriquez, — manum vidi, intra me confor„tatus insilii in hostes, et ecce cadebant a latere meo mille, „et decem millia a dextris meis, vulnus autem ad me nul„lum *apropinquabat.*" Atque in memoriam huius memorabilis visionis, dicitur in honorem S. Michaelis institutus esse ordo militaris de Ala. Apparet, nisi nos omnia fallunt, nemini non ex ipsa narratiuncula commentum tam clare, ut refutandi caussa verbulum addere non sit operae pretium. Et tamen Stiltingus multis argumentis, quibus in re aperte ficta supersedere profecto poterat, probat; fictam esse hanc narrationem. Ceterum hae litterae tum multis ac puerilibus oppletae sunt vitiis grammaticis, ut lector eruditus risum tenere non possit. Jam ut ne nihil de Ordine S. Michaelis in Gallia dicamus, is institutus est ab Ludovico XI. Francorum rege, Ambasiae 1469 et postea collegium canonicorum pro ordinis sacello erectum, aut confirmatum ab Alexandro Papa VI. Pag. 89. minutatim commemorantur apparitiones, non solum variae, sed etiam beneficia angelorum inde a seculo II. usque ad XVII. Pag. 123. agitur de S. Fulgentio episcopo et Conf. Atinae in Campania, cuius

memoria

memoria nullis generalioribus fastis adscripta reperitur, praeterquam catalogis Phil. Ferrarii, et Martyrologio generali Castellani. Praeterea commemoratur etiam in editis aliquot operibus, veluti apud Ferd. Ughellium Italiae sacrae Tomo VI. edit. sec. col. 418. et apud Franc. Orlendium in Orbe sacro et profano Vol. III. Part. II. p. 1593. denique in catalogo episcoporum Atinensium, qui reperitur in Bonif. Tauleri historia Atinensis civitatis, Neap. A. 1702. edita. Pag. 125. admodum breviter atque dubitanter Stiltingus disputat de SS. Eutico vel Eutichio, Plauto et *forte* Heraclea, Placido, Ambuto, Tracia, Donata, martyribus, ut et p. 126. de SS. martyribus Rom. *forte* Salutario, Possesso, Januario, Amplo, Celedono, Justino ac militibus aliquot. Pag. 127. pari cum haesitatione Stiltingus disputat de SS. Dada, Gobdelaa, Casdia aut Casdoa, et *forte* Gudelia, martyribus in Perside. Dubitat enim ipse, an Gudelia diversa sit a Gobdelaa, et Casdos quis fuerit, virne, an femina, fatetur se ignorare. P. 129. sequuntur acta Dadae, graece scripta ab auctore anonymo, et latine versa a Stiltingo, ex Mscto. Vaticano, collato cum Menaeis impressis, unde praeter aniles fabulas, et commentitia miracula, nihil eruditioni profuturum disci potest. Pag. 135. sermo est de S. Fraterno, episc. Antissiodori in Burgundiae ducatu, cui Perierus non audet certo asserere martyrium, quamquam a multis scriptoribus diserte appelletur martyr. De ipso praelibata iam quaedam sunt Tom. II. Jul. in praetermissis diei IX. De S. Ursione Conf. forte monacho in dioecesi Galliarum Trecensi, syllogen criticam nobis dat Suyskenus pag. 139. de quo quid sentiat, statim ab initio profitetur his verbis: „S. Ursionem, de quo praeter cultum incerta sunt omnia, ad „hunc diem XXIX. Sept. aliquot martyrologia commemorant.“ Pag. 142. Cleus exponit de S. Cyriaco Abb. Conf. in Palaestina, qui in Menologio Basiliano Corinthi vixisse, atque filius presbyteri Corinthiaci fuisse, dicitur. Habemus eius vitam graece scriptam, auctore Cyrillo Scythopoli-

tano, Cyriaci discipulo, quam cum versione latina Lipomanus primum, deinde Surius, denique Pougetus cum nova interpretatione lat. edidit in Analectis Graecis, ubi in praefatione huius vitae auctorem Metaphrastem esse arbitratur. Pag. 147 — 159. legitur haec ipsa vita cum versione lat. et animadversionibus criticis Clei, qui eam desumsit ex codice Vaticano atque Cyrillo Scythopolitano tribuit. Multa ibi narrantur de ipsius abstinentia monachali, multa commemorantur et varia miracula, veluti, Cyriacum aliquando hominem lunaticum unxisse oleo sanctae crucis, quo ille repente sanitati restitutus dicitur, it. scillas, herbas amaras, discipulo cuidam suo reddidisse dulces, et vaticinatum esse; delirasse hominem dixeris. Pag. 159. Perierus exponit de S. Leodowino s. Lutwino, Archiepiscopo Trevirensi, cuius extat vita, a Thiofrido, Epternacensi abbate conscripta. Quam bene fecerit Perierus, quod hanc vitam suppresserit, iudicare lectores nostri ex speciminibus poterunt, quae inde depromta sunt, et scriptoris stultitiam omnium optime declarant. Vitam igitur Leodowini orditur Thiofridus a nominibus ac stirpe genitorum; „matrem ei fuisse — ait — „Gunzam, egregii Treverorum archipraesulis Basini sororem; patrem Gerwinum, qui ex praepotentibus generis „lineam ducens Francorum regibus, filio in sacri baptismatis unda, quodam praesagio futurorum, Lutwin nomen imposuit. Apta profecto et mystica, et patris et filii nominum congruentia! Quia Gerwin *gerens* vel *optans vinum*: „Lutwin vero, cum secundum os et organum Spiritus sancti David vinum laetificet cor hominis, interpretatur populi laetitia. Et quid congruentius, quam ut, divina „praeordinante providentia, a gerente vel optante vinum „populi nasceretur laetitia, et in utriusque praesignaretur „nomine, quid futurum esset in utriusque opere? In utriusque nomine vinum sonat, quod *Deum* et homines laetificat; sed diversa meritorum praerogativa pater Gerwin „est dictus, quia, cum secundum subtilissimi assertionem

„Augu-

„Auguſtini, a Deo homines ex aqua facti ſint vinum, produ-
„xit vinum, filium videlicet, divinae ſapientiae ſuavitate
„praeditum, vino compunctionis inebriaturum acquiſitionis
„populum. Et filius Lutwin nomen eſt ſortitus, quia vi-
„num erat propinaturus, quod in nuptiis Chriſti et eccleſiae
„admiratus eſt architriclinus: atque hoc in fonte baptiſma-
„tis, utpote adoptionis Dei filios educaturus ſuper aquam re-
„fectionis, quae cum vino redemtionis profluxit ex latere
„redemtoris, et oſtenſurus fontem ſalutiferum, qui manans
„de domo domini irrigat torrentem ſpinarum." Ohe, iam
ſatis eſt! Riſum quis hic teneat. Praeterea ipſe Perierus in
Lutwini vita multas agnoſcit fabulas, atque ficta miracula.
Sequuntur duae ipſius vitae breves, altera ex MSt. Trevi-
renſi, altera ex MSt. S. Maximini Trevirenſis deſumta.
Utraque ab auctoribus anonymis profecta, ſubleſtae fidei pu-
tatur vel ab ipſo Periero. Pag. 176. recenſentur ex MSc.
Trevirenſi miracula Lutwini, ab auctore anonymo ſeculi XI.
Mediolanenſi monacho ſcripta, ſ. ficta potius, quae ultro
praetermittimus. Sequitur pag. 180. b. Alaricus ſ. Adalricus,
Ordinis S. Benedicti in Uſnaugia, lacus Tigurini inſula in
Helvetia, filius Burchardi II. Alemanniae ducis. Mater
ipſius varia habet nomina apud ſcriptores; nam Bucelinus
eam b. Regulindam, Lazius Hedwigam, Aventinus Luitgar-
dem, continuator denique Rheginonis in chronicis ad a. 926.
Widam appellat. Alaricum hunc ſequitur S. Grimoaldus,
Presb. Conf. e Ponte – Curvo in regno Neapolitano.
Pag. 186. exponitur de Joh. de Monte mirabili, Ord. Ci-
ſterc. in monaſterio Longi – Pontis in Gallia, qui a Chry-
ſoſtomo Henriquez in Menologio Ciſterc. a Phil. Ferrario in
catalogo generali ſanctorum qui in Romano martyrologio
inſcripti non ſunt, item ab Andr. Sauſſeo in martyrologio
Gallicano, commemoratur. Vitam illius Aubertus Miraeus
in Chronico Ciſterc. a. 1664. Col. Agripp. typis dato,
pag. 189. edidit. Suyskenus inde a pag. 218 — 235. ſup-
peditat aliam ipſius vitam, auctore anonymo monacho Lon-

gi–Pontis coaevo ex MSct. autographo Longi–pontano. De b. Nicolao de Furca Palenae Ordinis Eremitarum S. Hieronymi congregationis b. Petri Pisani Romae, copiose agit idem Suyskenus pag. 235 — 258. De hoc praeter Claudium Castellanum, in martyrologio universali, nemo exponit. Saianellus, in historicis monumentis Ordinis Hieronymitarum, eius quaedam gesta, perpauca tamen, propter monumentorum penuriam suppeditavit; tanto copiosius scripsit ibidem de ipsius cultu. Furca Palenae, Pelignorum oppidum in Aprutio citeriore, regni Neapolitani provincia, esse dicitur ipsius patria. Sequitur iam dies XXX. Sept. quo die coluntur S. Victor, S. Ursus cum sociis, S. Antoninus s. Antonius M. S. Castus martyr, S. Desiderius M. S. Gregorius, S. Ripsime, S. Gaiana cum sociis mart. S. Leopardus, S. Hieronymus, S. Victurnianus, S. Laurus, S. Honorius, S. Simon, b. Felix de Meda. Sancti, qui hoc die praetermissi, et in alios dies relati sunt, una cum locis, ubi de iis agitur, sunt S. Vedastus, VI. Febr. S Humbertus, XXV. Maii, Guilielmus, VIII. April. S. Victor, VIII. Maii, Algerius s. Adalgerius de Villalta, in praetermissis ad XVI. Junii, Jacobus de Vitriaco in praetermissis ad I. Maii, Carilefus I. Jul. S. Otto II. Jul. S. Sophia vidua I. Aug. Sirudis VII. Aug. Malchus X. Aug. B. Jordanus de Pisis in suppl. ad XIX. Aug. Festum reliquiarum redemtionis nostrae XXV. Aug. Gaudentius XXX. Aug. Theodora X. Sept. S. S Quilicus et Candidus XXII. Sept. S. Mochanus et b. Bernardinus XXVIII. Sept. Coganus in praetermissis ad XXIX. Sept. S. Bavo I. Oct. S. Franciscus de Borgia X. Oct. S. S. Thracus, Probus, et Andronicus XI. Oct. S. Hubertus III. Nov. S. Adfalduis virgo VIII. Dec.

Primi igitur, quorum memoria ad XXX. Sept. in ecclesia Romano Catholica colitur, sunt S. Victor et Ursus, cum sociis Thebaeis martyribus Soloduri in Helvetia, de quibus copiose exponitur a Cleo inde a pag. 267 — 293.

Extant

Extant horum Sanctorum acta duplicia, quorum altera e Gallia sibi allata Surius ad XXX. Sept. edidit, altera Cleus noster ex cod. MSt. Signiacensi accepit. De quibus quid sentiat, suis ipsius verbis breviter indicabimus: „Difficile — inquit „— esset, decidere, quae antiquitate praestent et praeferenda sint, neutris tamen credo multum tribuendum." Ut ne tamen temere iudicasse videretur, depromsit e posterioribus actis aliquam historiolam miraculi admodum ridiculi, quod profecto non merebatur crisin tam diligentem et copiosam, qualem subiunxit Cleus. Nimirum Victor et Ursus dicuntur a Maximiano imperatore caesi esse, et in flumen Arulae praecipitati, nec tamen longe a dicto ponte defluxisse. „Nam — inquit impostor horum actorum — divi„na misericordia, apud quam omnia possibilia sunt, suae „mansuetudinis potentiam in eis demonstravit. Non longe „namque a dicto ponte, capita in manibus portantes, flumen „egressi sunt, et ad locum, ubi nunc in honore ipsorum Basi„lica fabricata est, pervenerunt." Mirabilia haec et mirabilibus mirabiliora succedunt: „sancti enim martyres, genua „ad terram flectentes, quasi ad unius horae spatium, prius„quam corpora sua ad terram deponerent, cunctis cernen„tibus orabant, orationi vero fine dato corpora sua ad ter„ram demiserunt, ac si dicerent: haec requies nostra in „seculum seculi." Sequitur pag 293. eiusdem Clei disputatiuncula de S. Antonino sive Antonio M. Placentiae in Italis, qui in martyrologio Augustano, Labbeano, et Corbeiensi, annunciatus legitur, et de quo iam quaedam dicta sunt a Sollerio in hoc ipso opere ad II. Jul. p. 7. seq. S. S. Castus et Desiderius MM. culti Placentiae in Italis, de quibus exponitur a Stiltingo pag. 294. simul annunciantur in codice Epternacensi apud Florentinium in Annotatis, in codice Labbeano, et in martyrologio Autissiodorensi apud Martenium. Pag. 204. agitur prolixe de S. Gregorio Episc. Armeniae Conf. et de SS. virginibus Ripsime, Gaiana, et sociis martyribus in Armenia maiore. S. Gregorium commemo-

rant uno consensu Graecorum Menaea, Menologia, Synaxaria, Menologium Basilianum, Typicum Sabae, Menologium Slavo Russicum, duo breviora Menologia, (quorum alterum est Florentiae in bibliotheca Benedictina, alterum fuit quondam in bibliotheca Lindenbrogii,) atque alii multi Graecorum Fasti, Fasti item Coptitarum Aegypti et Aethiopum regni Habessinorum apud Ludolfum, Martyrologium Coptorum a Melch: Inchofero Romae latine redditum, Martyrologium Arabico Aegyptium, cetera. Rectius dicitur Gregorius, ex mente Stiltingi, passus esse sub Tiridate, Armeniae rege, quam sub Diocletiano imperatore, quanquam hic revera eo tempore regnavit. Eodem tempore vixisse dicuntur SS. Ripsime vel Ripsimia, quae et Ripsimes a Latinis vocatur; Gaiana porro et sociae, quorum memoria eodem die, atque iisdem fere in libris, celebratur. Nomina earum valde corrupta leguntur in fastis Copticis; nam Ripsimes v. c. modo Rapsime, modo Arsima, modo Arisima appellatur; et Gaiana in Agaietam immutata legitur. Tiridates quoque, sub quo Gregorius atque hae virgines passae dicuntur, in quibusdam vocatur Theidad. Pag. 305. Stiltingus critice inquirit in acta Gregorii cum Graeca, tum Latina, quae et ipsa pag. 320. et multis seq. typis expressa leguntur. Prima Gregorii vita Graeca, eaque prolixissima, edita est ex bibliotheca Medicaea Florentina S. Laurentii Plut. VII. cod. 25. Codex, unde haec vita repetita est, sic inscribitur: *Πρόλογος Ἀγαθαγγέλου, ἐν οἷς καὶ τὸ μαρτύριον (μαρτύριον) ἁγίου Γρηγορίου.* Horum actorum auctor quanquam in fine semet ipsum spectatorem eorum, quae narraverit, et doctrinae per Gregorium traditae auditorem fuisse fateatur, atque in primis de fide sua in scribendo multa iactitet: tamen impostura ipsius adeo manifesta est, ut vel doctissimi Romanae ecclesiae doctores haec acta cogantur pro spuriis habere. Baronius, qui Metaphrastae tribuit, non negat in Annalibus ad a. 311. num. 22. „Acta illa Gregorii complura habere, quae haut cunctis arrideant in omnibus."

„bus.“ Tillemontius, qui et ipſe Metaphraſten auctorem agnoſcit, multo apertius de iis loquitur, Monument. Eccleſ. Tom. V. in perſequutione Diocletiani art. 44. repetita Baronii ſententia, dicitque „haec acta indigna eſſe, e quibus „praecipua etiam capita ſeligeret,“ et pro ulteriori refutatione ad eorum lectionem remittit. Denique Bailletus in Tab. crit. ad XXX. Sept. „Acta — inquit — S. Gregorii „tantis involuta ſunt fabulis, ut vix aliquid probabile inveni„ri valeat, idque in duobus tantum locis opera Euſebii et „Sozomeni. Fatendum ſane eſt, acta S. Gregorii omnia, „quae habemus, multis laborare defectibus, fabuloſisque ex„aggerationibus miſere corrupta eſſe.“ Haec ipſorum doctorum Romanenſium iudicia uti ſunt a Stiltingo fideliter indicata, ita male ipſum habent. Nam ſtatim ſubiungit, plura tamen ſeſe in iis reperturum, quae aut certiora ſint aut probabiliora, quam crediderint laudati critici. Quaerat igitur, donec fortaſſe aliquando micam veritatis in illis reperiat! Nam hoc, quod in ſeq. dicit, nec omnia aſſerta Gregorii cum adiunctis ſuis eſſe admittenda, nec omnia reiicienda, profecto non ſufficit. Binae extant aliae vitae Gregorii, altera Latina, altera Graeca quidem illa, latine tamen edita apud Lipomanum et Surium. Illius auctor incognitus Stiltingo videtur ſeculo IX. vixiſſe, atque adeo Metaphraſte antiquior eſt. Huius vitae auctor eſt Metaphraſtes. Quale vero ipſi ſit pretium ſtatuendum, inde poteſt colligi, quod Metaphraſtes omnia deſumſit ex vita Graeca Gregorii quam primo loco commemoravimus. Nam facta pleraque, etiamſi aut fictitia ſint, aut ſupra verum exaggerata, eodem fere modo enarravit, paucis tantum praetermiſſis. Praeter has tres vitas extat etiam encomium Gregorii, e Lingua Armena latine factum ab abbate Villefroy, atque editum a Montefalconio Tom. XII. Operum Chryſoſtomi p. 822. Tres codices MSti. in quibus hoc encomium legitur, prae ſe ferunt auctorem Chryſoſtomum. Verum cum non ſit veroſimile, Chryſoſtomum ſciviſſe Armenica, et Cucuſi in Armenia

menia minore, ubi in exilio vivens hanc orationem habuisse fertur, pro concione dixisse; cum praeterea multa ibi occurrant a Chrysostomi more et stilo dissonantia, cum puteus et fossa loquentes, serpentes et dracones orantes, Tiridates rex in aprum conversus, et portenta similia ibidem enarrentur; cumque Gregorius ibi Petro et Paullo similis dicatur: propter has igitur caussas nec Montefalconius, nec Stiltingus, illud encomium audent Chrysostomo adscribere. Impostor mirifice prodidit stultam Gregorii admirationem, animumque superstitionum farragine oppletum. Sequitur pag. 413. S. Leopardus, martyr Rom. cultus Aquisgrani in Germania, qui in Galesinii martyrologio, in Baronii Rom. martyrologio, apud Molanum et Grevenum in Auctariis Usuardinis, annunciatur. Acta eius, quae Suyskenus a Joh. Gamans, Soc. Jesu presbytero, descripta ex antiquo MSto. libro ecclesiae b. Mariae Aquensis, i. e. Aquisgranensis, accepit, multis fabulis inquinata sunt. Jam sequitur Stiltingi copiosissima atque doctissima de S. Hieronymo presbytero et doctore ecclesiae in Bethleem disputatio, quae inde a pag. 418. usque ad 688. porrigitur. Quae quoniam nimis est prolixa, quam ut possimus eam in brevem veluti summam concludere, indicabimus saltem paragraphos, in quibus fortasse aliquid occurrit historiae ecclesiasticae studiosis profuturum, earumque argumenta, ut quid unoquoque loco quaerendum sit lectores nostri intelligant. Statim ab initio §. 1. Stiltingus stupet atque exhorret ad iudicia doctorum quorundam ecclesiae Rom. veluti Tillemontii Tom. XII. art. 1. Dupinii, aliorum de Hieronymo, quibus iudiciis dicit propius accessisse ad haereticorum i. e. protestantium sententiam. Horum acrium de moribus Hieronymi iudiciorum caussam Stiltingus inde putat enatam esse, quod Hieronymus fidem Rom. apostolico ore laudatam magnificis elogiis celebret, quod cathedram S. Petri magnis laudibus efferat, a sede Rom. omnem in fidei articulis errorem amoveat, quod afferat necessitatem communicandi cum ecclesia Rom. quod profanos dicat,

omni-

omnique salutis spe excludendos arbitretur omnes, qui communioni Rom. pontificis se subtrahunt, cet. Haec omnia uti longissime abhorrent partim a Scripturis s. partim ab historia ecclesiastica, ita centies sunt a doctissimis, et nostrae, et ipsius Romano Catholicae ecclesiae doctoribus refutata, ut adeo magnopere miremur, tales nugas hic iterum effundi atque recoqui et defendi a Stiltingo potuisse. Ceterum quanquam nemo non agnoscit Hieronymi merita in Scripturas sacras, atque omnem omnino eruditionem: tamen non ita occludimus oculos, ut veluti stulti atque partium studiosi admiratores Hieronymi vitia atque virtutes eodem numero loeoque habeamus. §. 2. Enumerantur documenta praecipua de Hieronymo, tum vetustiora, tum recentiora. §. 3. Inquiritur in patriam Hieronymi, quam ipse de viris illustr. c. 135. Stridonem appellat; qui locus ingenia multorum criticorum vehementer exercuit. §. 4. Est de anno ipsius natali, qui videtur annus 331. Inest in hac §. lata disputatio adversus Baronium, Tillemontium, et alios, qui, obiisse Hieronymum aliquot annis octogenario minorem dicunt. §. 5. Exponitur de ipsius parentibus, studiis in patria et Romae, de itinere in Galliam, et baptismo Romae suscepto. §. 6. De commoratione Hier. Aquileiae et de amicis ipsi notis ante iter in Orientem; et de epistola prima scripta. §. 7. Agit de itinere H. Aquileia Antiochiam, de sociis itineris, de morbo viri Antiochiae, de morte Innocentii, de adventu et reditu Heliodori, de mirabili somnio, quod ipsi accidit, de tribus scriptis epistolis, et de Apollinario Antiocheno praeceptore ipsius. Illud mirabile somnium Hieronymi breviter narrabimus, magnam sine dubio gratiam inituri apud eos, qui in hac nostrorum temporum luce abiiciendis omnibus scriptoribus veteribus, eorumque lectione cane et angue peius vitanda, egregie patrocinantur invalescenti paullatim ignorantiae. Nimirum Hieronymus in epist. XXII. ad Eustochium narrat, „se subito raptum in spiritu „ad tribunal Judicis pertractum esse, et interrogatum de

„conditione, respondisse, Christianum se esse. Et ille, qui „praesidebat: Mentiris — ait — Ciceronianus es, non „Christianus: ubi enim thesaurus tuus, ibi et cor tuum.“ Tum iurasse dicitur, se nunquam amplius lecturum codices seculares, (auctores profanos,) et, si legerit, eadem semet ipsum poena dignum censere, ac si Deum negavisset. An placet haec fabula? Placebit profecto, si non omnibus, illis certe, qui hodienum tales voces iactant atque se nunquam ex scriptoribus illis antiquis sapere didicisse, exemplo suo egregie probant. Atque omnino mirifice sibi Hieronymus placuit in dissuadenda auctorum veterum lectione. Huius rei caussa etiam, ubicunque potest, Scriptura sacra abutitur, in eaque interpretanda adeo interdum nugatur, ut risum tenere nemo facile possit. Sic v. c. in epistola aliqua ad Damasum pontificem Rom. illum locum Luc. 15. qui exponit parabolam de filio perdito, ad libidinem suam detorquet, et siliquas interpretatur auctores profanos. Ita enim loquitur: „Possumus autem et aliter siliquas interpretari. Dae„monum cibus est carmina poetarum, saecularis sapientia, „rhetoricorum pompa verborum“ Et paullo post observat, apostolum sub aliis verbis quasi dicere: ne legas philosophos, oratores, poetas, nec in eorum lectione requiescas. §. 8. De eremo Hieronymi, de epistolis ad Florentium et multos alios amicos Aquileienses et occidentales inde scriptis agit. §. 9. Est de solitudine Syriae Chalcidis quam inhabitavit, de vita austera, occupationibus et tentationibus, de tempore item quo didicit linguam Hebraicam, quo exscripsisse videtur Stiltingo Hebraicum Matthaei Evangelium, et quo priorem in Abdiam commentarium scripsit. §. 10. Exponit dissensiones ecclesiae Antiochenae, et tres Hieronymi epistolas hac de re scriptas, quarum binae sunt ad Damasum papam tertia ad Marcum presbyterum pertinet, quem alii Celedensem, Stiltingus Teledensem putat. §. 11. Explicat tempus, quo H. presbyter Antiochenus factus, scripsit dialogum adversus Luciferianos. §. 12. De tempore, quo

quo H Constantinopolin profectus, audivit Gregorium Nazianzenum, et scripsit nonnulla opuscula, veluti Eusebii chronicon latine versum et continuatum, translationem Homiliarum Origenis XIV. in Jeremiam, et totidem in Ezechielem, opusculum it. de Seraphim adversus Origenem. §. 13. Exponitur tempus, quo H. Romam profectus a secretis factus est Damasi Papae, quo hortante etiam scripsit commentarios quosdam in Scr. s. et libellum de Osanna, qui est inter epistolas 20. (alias 145.) it. de parabola filii prodigi, quod opusculum, supra iam commemoratum, est inter epistolas 41. (alias 146.) §. 14. Agit de textu latino Scripturae s. volente Damaso ab Hieronymo correcto ex Graeco. Hunc locum vehementer commendamus lectoribus nostris. Nam Stiltingus e libris Hieronymianis multa excerpsit, quae et ad historiam criticam versionis Lat. V. et N. T. et ad cognosendam Hieronymi eruditionem in lingua Hebr. et Graeca, multum faciunt. Quantam sibi tum temporis bonus Hieronymus conflaverit invidiam stultorum hominum, quos ipse bipedes asellos vocat, apparet ex ipsius epist. 27. (alias 102.) ad Marcellam, ubi: „Post priorem — inquit — epistolam – – – – ad me repente „perlatum est, quosdam homunculos mihi studiose detrahe„re, cur adversum auctoritatem veterum, et totius mundi „opinionem, aliqua in evangeliis emendare tentaverim. „Quos ego cum possem meo iure contemnere, (asino quip„pe superflue lyra canit,) tamen, ne nos superbiae, ut face„re solent, arguant, ita responsum habeant: Non adeo me „hebetis fuisse cordis, et tam crassae rusticitatis, (quam illi „solam pro sanctitate habent, piscatorum se discipulos asse„rentes, quasi idcirco sancti sint, si nihil scierint) ut aliquid „de Dominicis verbis aut corrigendum putaverim, aut non „divinitus inspiratum: sed Latinorum codicum vitiositatem, „quae ex diversitate librorum omnium comprobatur, ad „Graecam originem, vnde et ipsi translata non negant, vo-

„luisse revocare. Quibus si displicet fontis unda purissimi, „coenosos rivulos bibant &c.“ Nonne haec ipsa fabula, centies iam explosa et derisa nostro quoque tempore a quibusdam luditur, et ad nauseam usque repetitur? §. 15. Recensetur H. liber de virginitate perpetua Mariae, adversus Helvidium, qui, uti dicit Stiltingus, duo in primis *prava atque impia* dogmata inculcare nitebatur: primum, quod Maria post natum Christum alios ex Josepho filios pepererit; alterum, quod virginitas non praestet coniugio. Mirum est, quam duriter tractet Hieronymus in illo libello Helvidium, tanquam si de felicitate aeterna fuisset controversia, et quam intendat omnes vires, ut virginitatem quasi vitam angelicam commendet, contra ipsa scripturae sacrae praecepta. Ad hanc rem pertinet et alia ipsius epistola de custodia virginitatis ad Eustochium, quam pariter hic recenset Stiltingus. §. 16. Commemorantur variae Hier. epistolae admodum memorabiles, veluti ep. 26. (alias 137.) ad Marcellam, in qua explicat nomina quaedam Hebraica in scripturis Gr. et Lat. relicta; it. ep. 29. (alias 130.) de Ephod et Theraphim; denique ep. 34. (alias 141.) de locis obscuris sacrae Scripturae, quid sit v. c. Ps. 126. panis doloris et filii excussorum. Omittimus hic aliquot §§. quoniam inde nihil eruditioni profuturum disci potest. §. 21. Recensentur H. commentarii in S. Paulli epistolas ad Philemonem, Galatas, Ephesios, Titum, et in ecclesiasten Salomonis; quos hortantibus Paula atque Eustochio scripsit a. 389. In his commentariis maxime sequutus est Origenem, qui fuit illo tempore interpres grammaticus Scripturae s. longe praestantissimus, et Chrysostomum, quos legisse semet ipse in praefatione fatetur. Quam bene versatus sit in interpretando Hieronymus, ipse declarat sub init. libr. II comment. ad Gal. his verbis: „Hunc morem habeo, ut, quo„tiescunque ab Apostolis de veteri instrumento aliquid sumi„tur, recurram ad originales libros, et diligenter inspiciam,

„quo-

„quomodo in ſuis locis ſcripta ſint.“ Ceterum H. inter Latinos fuit primus, qui ope linguae Hebr. et Graecae interpretaretur Scr. ſ. Linguae Hebr. prima initia in eremo Chalcidis, et uberiorem cognitionem hauſit poſtea in Bethleem a doctore quodam Judaico Baranina, quem magnis ſumtibus invitavit ad docendam linguam Hebr. De hac re ipſe pluribus in locis, in primis in ep. 84. (alias 65.) „Putabant — inquit — me homines finem feciſſe diſcen„di. Veni rurſum (ex Aegypto) Jeroſolymam et Beth„leem. Quo labore, quo pretio Baranninam nocturnum ha„bui praeceptorem! Timebat enim Judaeos, et mihi alte„rum exhibebat Nicodemum.“ §. 22 Sequitur brevis diſputatio de H. Quaeſtionibus Hebraicis in Geneſin, de locis Hebraicis, et de nominibus Hebr. Voluiſſe Hieronymum in univerſam Scripturam ſ. tales quaeſtiones componere, ex praefatione illis praepoſita apparet. Excerpemus inde paucula verba, ut, quid potiſſimum inſit in illis, lectores videre poſſint. „Studii — inquit — noſtri erit, vel eorum, „qui de libris Hebraicis varia ſuſpicantur, errores refellere, „vel ea quae in Latinis et Graecis codicibus ſcatere viden„tur, auctoritati ſuae reddere: etymologias quoque rerum, „nominum, atque regionum, quae in noſtro ſermone non „reſonant vernaculae linguae explanare ratione. Et quo „facilius emendatio cognoſcatur, ipſa primum ut apud nos „ſunt, teſtimonia proponemus, et ex collatione eorum, quae „ſequuntur, quid in illis aut minus, aut plus ſit, indicabi„mus.“ Alter libellus, qui eſt de locis Hebr. proprie eſt Euſebii, quem H. Latine vertit reſectis iis, quae digna memoria non videbantur, et pleriſque immutatis. Continet hoc opuſculum vocabula ſcripturae ſ. omnium urbium, montium, fluminum, viculorum, et diverſorum locorum, quae vel eadem manent, vel immutata ſunt poſtea vel aliqua ex parte corrupta. Additiones et correctiones Hieronymi ex collatione cum textu Graeco, diligenter annotavit Vallarſius, editionis Veronenſis Tomo III. Tertius liber de nomini-

bus Hebr. pariter est versio Hieronymi ex Philone, continetque latinam interpretationem nominum Hebr. sive hominum illa sint propria, sive locorum, ordine alphabetico. Ceterum, quae in editione Veronensi Tomo III. a col. 755. editae sunt Quaestiones Hebr. in tres libros regum et duos paralipomenon, eae propter aliquam similitudinem cum opusculo Hieronymiano supra laudato, olim adscriptae sunt Hieronymo; cum tamen hodie certius constet, non scriptas esse ante seculum VII. nec convenire cum dictione Hieronymi. §. 26. Continet eruditam disputationem de correctione Veteris Testamenti secundum τοὺς ό, sive de translatione eiusdem in Latinum ex textu septuaginta interpretum, qui erat in Hexaplis Origenis. Qua utilissima opera quantam sibi hominum stultorum illius temporis invidiam conflaverit, multis in locis quae hic, ab erudito Stiltingo diligentissime collecta, legisse neminem poenitebit; in primis autem in praefatione ad Jobum, quae est Operum Hieronym. Tom. X. col. 47. his verbis queritur: „Si aut fiscellam „iunco texerem, aut palmarum folia complicarem, ut in su„dore vultus mei comederem panem, et ventris opus solli„cita mente tractarem, nullus morderet, nullus reprehende„ret. Nunc autem, quia iuxta sententiam Salvatoris volo „operari cibum qui non perit, et antiquam divinorum vo„luminum viam sentibus virgultisque purgare, mihi genui„nus infigitur: corrector vitiorum, falsarius vocor, et erro„res non auferre, sed serere. Tanta est enim vetustatis „consuetudo, ut etiam confessa plerisque vitia placeant, „dum magis pulcros habere malunt codices, quam emenda„tos.“ §. 27. Est de translatione Veteris Testamenti ex Hebraeo: quae res quanquam esset tum temporis non modo operosissima verum etiam utilissima et maxime necessaria, tamen nec ipsa ab invidi seculi morsibus intacta mansit. Nam in praefatione ad librum Jobi, quae est Operum Hier. Tom. IX. „Audiant — inquit — canes mei, idcirco me „in hoc volumine laborasse, non ut interpretationem anti-

„quam

„quam reprehenderem, ſed ut ea, quae in illa aut obſcura „ſunt aut omiſſa, aut certe ſcriptorum vitio depravata, ma„nifeſtiora noſtra interpretatione fierent — — — Quod „ſi apud Graecos poſt Septuaginta interpratationem, iam „Chriſti evangelio coruſcante, Judaeus Aquila Symmachus, „et Theodotio, iudaizantes haeretici, ſunt recepti, qui multa „myſteria Salvatoris ſubdola interpretatione celarunt, et ta„men in ἑξαπλοῖς habentur apud eccleſias et explanantur „ab eccleſiaſticis viris; quanto magis ego Chriſtianus, de „parentibus Chriſtianis natus, et vexillum crucis in mea „fronte portans, cuius ſtudium fuit omiſſa repetere depra„vata corrigere, et ſacramenta eccleſiae puro ac fideli aperi„re ſermone, vel a faſtidioſis, vel a malignis lectoribus non „debeo reprobari? Habeant, qui volunt, veteres libros, „vel in membranis purpureis auro argentoque deſcriptos, „vel uncialibus, ut vulgo aiunt, litteris onera magis exarata, „quam codices, dummodo mihi meisque permittant pau„peres habere ſchedulas, et non tam pulcros codices, quam „emendatos." Digna eſt haec paragraphus, quae tota perlegatur; continet enim loca admodum memorabilia, a doctiſſimo Stiltingo e libris Hieronymianis huc diligenter translata, de Hieronymi ſtudio critico. §. 29. Exponit de Hier. commentariis in Nahum, Micham Sophoniam, Achaeum et Habacuc, it. de libro qui eſt de viris illuſtribus. Hoc opuſculum ſiſtit vitas ſcriptorum eccleſiaſticorum illuſtrium, qui inde a paſſione Chriſti uſque ad Theodoſii imperatoris annum decimum quartum (a 392) commentariis aut aliis libris in ſcripturam ſacr. in claruerunt, ſcriptumque eſt ad imitationem libelli Suetoniani de illuſtribus grammaticis. Quem autem in finem ediderit hunc librum, ipſe in praefatione indicat his verbis: „Diſcant er„go Celſus, Porphyrius, Julianus, rabidi adverſus Chriſtum „canes; diſcant eorum ſectatores, qui putant, eccleſiam „nullos philoſophos et eloquentes, nullos habuiſſe doctores, „quanti et quales viri eam fundaverint, exſtruxerint, et ad-

„ornave-

„ornaverint; et desinant, fidem nostram rusticae tantum „simplicitatis arguere, suamque potius imperitiam agnos„cant.“ Extat in editione Veronensi eiusdem libri Graeca versio, quae vulgo Sophronio, Hieronymi aequali, adscribitur, quem Hieronymus ipse aliquo loco dicit vertisse quaedam opuscula sua eleganti sermone in linguam Graecam. Sed varia sunt virorum doctorum de hac versione iudicia. Nam Vallarsius, Sophronii non esse, tribus argumentis probat: primum, quod illa versio redolet Graecitatem sequiorem, serviliterque inhaeret ad verbum dictioni latinae, cum Hieronymus tamen ipse dicat, opuscula quaedam sua esse a Sophronio eleganti sermone translata; deinde quod facta est ex exemplari Latino recentiore et corrupto, cum tamen Sophronius, si auctor esset, habere potuisset integrum, nullisque erroribus aut falsis lectionibus interpolatum; denique quod opus Hieronymianum in versione Graeca valde interpolatum est. Nam trunslationi Graecae interpres addidit decem elogia, tenuis eruditionis, et fere tantum desumta ex Pseudo-Dorotheo, quae pertinent ad eos septem apostolos, qui nihil scripserunt, et ad discipulos Pauli, quorum similiter nulla extant scripta. Haec vero fuere ab Hieronymo ipso post cap. I. et IV. inserta, quo pertinent secundum ordinem temporis. Apparet igitur, haec elogia esse a recentiore quodam fraudatore efficta. § 30. Stiltingus in laudes excurrit librorum duorum Hieronymi contra Jovinianum, qui sane de quibusdam capitibus religionis Christianae perverse statuit. Sed si Stiltingus omnia illius hominis asserta haeresium nomine venditat, in eo aut, quid dicat, nescit, aut potius turpe partium studium prodit. Etenim quis, nisi qui aut scripturas non intelligit, aut sexcenties iam refutata dogmata repetere ex libidine defendendi pristini erroris, cupit, quis, inquam, occlamitare nobis potest, haeresin esse, si tu aut prodesse quicquam ieiunia et abstinentiam a cibis quibusdam ad felicitatem aeternam neges, aut coniugia casta et fidelia adaeques vitae caelibi et continentiae? Et

quoniam

quoniam, qui hoc ultimum ſtatuunt, iis prope ſemper a Romanenſibus quidem hominibus libidinis aliqua macula maligne adſpergitur, ſciendum eſt, Jovinianum ipſum nec habuiſſe, nec habere voluiſſe uxorem, non quo vita caelibe quaereret peculiarem aliquam ſanctitatem, ſed quoniam neceſſitas illius temporis ita ſuaſerat. Hoc diſerte Auguſtinus de haereſibus cap 82. ita narrat. Atqui haec eſt ipſa Pauli doctrina in illo loco, ad quem in hac controverſia provocari ſolet, Atque hanc doctrinam fuiſſe tum temporis publicam, patet inde, quod hi libri contra Jovinianum Romae tam male excepti ſunt, ut Hieronymus apologiam ſcribere cogeretur, de quo exponitur §. 31. Nam homines, ipſo fatente Hieronymo in apologia, quae eſt inter epiſtolas 48. (al. 50.) in primis urſerant caput de praerogativa vitae caelibis prae coniugio. Verba ipſius ſunt haec: „Reprehendunt me quidam, quod in libris, quos adverſum Jovinianum ſcripſi, nimius fuerim vel in laude virginum, vel in ſugillatione nuptarum; et aiunt, condemnationem quodammodo eſſe matrimonii, in tantum pudicitiam praedicare ut nulla videatur inter uxorem et virginem comparatio derelinqui.“ Quoniam vero Stiltingus omnia Hieronymi facta ſpecioſo virtutis nomine ſolet venditare, ſubiicimus ex ipſis contra Jovinianum libris locum, unde facillime intelligi poterit, quam leniter egerit cum adverſario ſuo Hieronymus. „Et tamen — inquit — iſte formoſus monachus, craſſus, nitidus, dealbatus, et quaſi ſponſus ſemper incedens, aut uxorem ducat, et aequalem virginitatem nuptiis probet: aut, ſi non duxerit, fruſtra contra nos verbis agit, cum opere nobiſcum ſit. — — — Nunc reſtat, ut Epicurum noſtrum, ſubantem in hortulis ſuis inter adoleſcentulos et mulierculas, alloquamur. Favent tibi craſſi, nitidi, dealbati. Adde, ſi vis, iuxta Socraticam irriſionem, omnes ſues et canes; et, quia carnem amas vultures quoque, aquilae, accipitres, et bubones &c.“ Eſt ne vero iſta tam acerba vehementia digna homine Chriſtiano,

 ne

nedum doctore ecclesiae, qui in omni vita, praesertim si doceat, imitari mansuetudinem et lenitatem magistri sui J. C. debet? Cognitis autem, quas excitaverat, turbis, libenter revocavisset libros emissos, nisi iam fuissent in manibus omnium. Hoc aperte declarat in ep. 49 (al. 52.) quam una cum longiore apologia dedit ad Pammachium, amicum et defensorem Hieronymi acerrimum. Ita enim: „De „opusculis — inquit — meis contra Jovinianum, quod „et prudenter, et amanter feceris, exemplaria subtrahendo, „optime novi. Sed nihil profuit ista diligentia, quum ali„quanti ex urbe venientes, mihi eadem lectitarent, quae se „Romae excepisse referebant. In hac quoque provincia „iam libri fuerant divulgati, et ut ipse legisti, nescit vox „missa reverti. Non sum tantae felicitatis, quantae pleri„que huius temporis tractatores, ut nugas meas, quando „voluerim, emendare possim. Statim, ut aliquid scripsero, „aut amatores mei, aut invidi, diverso quidem studio, sed „pari certamine, in vulgus nostra disseminant: et vel in lau„de, vel in vituperatione nimii sunt, non meritum stili, sed „suum stomachum sequentes. Itaque quod solum facere „potui, ἀπολογητικὸν ipsius operis tibi προσεφώνησα: „quem cum legeris, ipse pro nobis caeteris satisfacies. „Aut, si tu quoque narem contraxeris, illam apostoli περι„κοπὴν, in qua de virginitate et nuptiis disputat, aliter dis„serere compelleris." Quid vero Stiltingus noster ad haec verba? „Noluisset — inquit — hoc Hieronymus, opi„nor, si prius fuisset consultus: noluit tamen factum impro„bare, quod optima voluntate id fecisset Pammachius, qui „videtur aliqua Hieronymi dicta habuisse suspecta." Bellissima est isthaec interpretatio! Sequitur §. 32. crisis aliorum quorundam opusculorum, ut Annotationum in duodecim prophetas et libros regum, et quarundam epistolarum, quarum princeps et nobilissima est ea, quae exponit de optimo genere interpretandi. Occasionem illius scribendae dedere Hieronymo stulti quidam adversarii, qui cum viderent,

rent, ipſum ſcripturas ſacras non ſemper ad verbum vertiſſe, ſed potius ſenſum exprimere vertendo voluiſſe, aegre id ferebant, calumniantes Scripturae ſ. depravationem. Nec hodie deſunt, qui ſimili acti ſtultitia viris doctiſſimis obſtrepant, qui ſenſum potius, quam ſingula verba ſpectant in explicando. Oſtendit igitur Hieronymus late in hac epiſtola, non ſemper praeferendam eſſe interpretationem de verbo ad verbum expreſſam, immo eam ſaepe fieri ridiculam, cum lingua quaelibet ſuas habeat proprietates, quas alia lingua verbis reſpondentibus apte exprimere nequeat. Docet item, apoſtolos teſtimonia Scripturae ſ. non ſemper ſumſiſſe ex translatione ſeptuaginta interpretum. Digna eſt haec epiſtola quae tota cognoſcatur. §. 34. Agit de commentariis in Jonam et Abdiam, it. de opuſculo de X. viſionibus Iſaiae. Bis commentatus eſt Hieronymus in Abdiam, primum cum adhuc iuvenis eſſet, allegorice, deinde grammatice. Ratio, quam adducit in praefatione ad poſteriorem commentarium, eſt memorabilis: „Allegorice — inquit — „interpretatus ſum Abdiam, cuius hiſtoriam neſciebam.“ §. 35. Exponitur de epiſtola ad Fabiolam ſcripta, de veſte ſacerdotali, it. de alia epiſtola, in qua Principiae explicavit Pſ. XLIV. Sequitur §. 36. criſis commentariorum in Matthaeum, et aliquot epiſtolarum. Jam aliquot §§. expſicantur diſſenſiones Hieronymi cum Johanne Hieroſolymitano, et cum Rufino, quo loco etiam contra Tillemontium et alias neotericos, (uti vocantur a Stiltingo,) diſputatur, qui Hieronymum Origenianiſmi arguerunt. §. 49. Exponitur de nobili epiſtola ad Sunnium et Fretelam ſ. Fretellam, quos Hunnos aut Gothos fuiſſe Vallarſius non improbabiliter coniecit. Hi obſervaverant, multum diverſitatis eſſe inter textum Graecum et Lat. Pſalterii; notatisque locorum diverſitatibus rogabant, quo ſingula modo exprimerentur. Quibus reſpondit hac epiſtola Hieronymus, ſignificans, quid magis Hebraico textui conveniat, quantumque differat editio

tio vulgaris τῶν ό ab ea, quae erat in Hexaplis Origenis, et ab ipso latine vertebatur. §. 52. Commemoratur expositio Zachariae, Malachiae, Oseae, Joelis, et Amos, quorum commentariorum nullum ad calcem perductum esse Stiltingus putat. §. 53. indicatur et mirifice defenditur liber Hieronymi contra Vigilantium, qui haeresiarchae nomine a Stiltingo infamatur propterea, quod cultum superstitiosum reliquiarum sanctorum martyrum improbavit, et sollennes Christianorum ad sepulchra martyrum vigilias et pernoctationes; quod ieiunia et continentiam a coniugio nihil valere ad vitam aeternam dixit, quod contra consuetudinem mittendi eleemosynas Hierosolymam, et contra vitam monasticam abdicationemque possessionum omnium disseruit; quod sanctos exaudire preces nostras negavit posse. Contra hunc igitur Vigilantium Hieronymus, (uti erat homo ingenio monachali praeditus,) atram bilem, omniaque effudit dicteria, quae sine indignatione legere nemo potest. Prae fervore scribendi incidit etiam saepenumero in sententias admodum ridiculas atque insulsas, veluti cum Vigilantium dicit sic vocari κατ' ἀντίφρασιν, cum rectius diceretur Dormitantius. Atque in hoc frigido acumine adeo sibi placuit Sanctus ille Hieronymus, ut illud saepius et ad nauseam usque legentium repeteret. Ceterum tamen haec vehementia scribendi ab Jesuita copiose defenditur contra Lutheranos, Calvinianos, et nominatim Clericum, quem prolixe refutasse dicitur Jos. Swingerus in apologia Hieronymi. §. 54. Recensentur commentarius in Danielem et aliquot epistolae, e quibus repetere aliquid non est necesse. §. 55. Inest crisis commentariorum in Jesaiam et epistolae ad Ageruchiam, in qua Hieronymus illi ex more suo dissuadet secundas nuptias, et commendat librum suum ad Eustochium de virginitate servanda. §. 56. Complectitur narrationem de commentario in Ezechielem. in quo conficiendo cum per irruptionem barbarorum interrumperetur

Hiero-

Hieronymus, sequitur §. 57. eiusdem prosequutio. In his vero binis §§. commemorantur etiam aliquot epistolae parvi momenti. § 58. Exponitur de commentario in Jeremiam, de epistola ad Ctesiphontem contra Pelagianos, et de dialogo contra eosdem. §. 60. Commemoratur epistola clara et nobilis ad Evangelium (in veteribus editionibus male, et contra omnes codd. MSt. inscribitur ad Evagrium;) in qua occurrit illud manifestissimum testimonium de aequalitate episcoporum et presbyterorum temporibus antiquissimis. Quid vero Stiltingus noster ad hanc epistolam? Torquet se mirifice, (quemadmodum omnes Romanenses, qui hanc epistolam, si non aperte, clanculum tamen, odio habere debent,) ut ei falsum religionis suae placitis accommodatum sensum affingat. Ceterum Hieronymus statim ab initio huius epistolae mentem suam declarat, ubi: „Audio, — inquit — quendam in tantam erupisse vecordiam, ut diaconos presbyteris, *i. e. episcopis* anteferret. „Nam eum apostolus perspicue doceat, *eosdem esse presbyteros quos episcopos &c.*" Haec verba sunt ita clara et perspicua, ut scire velim, quomodo Romanenses ea interpretari aliter velint. Provocat Hieronymus, ad stabiliendam suam sententiam, ad loca Scripturae s. in quibus eadem dicuntur, veluti Phil. 1, 1. Act. 20, 28. Tit. 1, 5. seq. 1 Tim. 4, 14. 1 Petr. 5. Maluit autem Stiltingus hoc loco, qui propter insignem verborum perspicuitatem in hac controversia primarius est, omittendo improvidis lectoribus fucum facere, quam commemoratione eius periculum interpretationis adire. §. 61. Indicatur epistola Hieronymi ultima ad Augustinum et Alypium scripta, quae pertinet ad controversiam Pelagianam. Omissis multis, quae de Hieronymi morte, elogiis, die natali, translatione corporis ipsius ex Palaestina in urbem Romam, de reliquiis, miraculis, et aliis eiusmodi rebus exponunt, paragraphis, pergimus ad §. 76. et 77. in quibus commemorantur libri, qui Hieronymo falso tribuuntur. In his primo loco ponitur martyrolo-

gium vetustissimum, quod sub nomine Hieronymi typis Lucensibus a. 1658. edidit et copiose illustravit Florentinius. Caussam erroris dedere binae epistolae illi praepositae, quarum altera est Chromatii et Heliodori ad Hieronymum, altera Hieronymi ad illos duumviros responsio. Sed sunt istae epistolae spuriae et suppostitiae, ut multis argumentis historicis, atque in primis e scribendi genere, quod magnopere differt a dictione Hieronymiana, probavit Baronius in praefatione ad martyrologium Romanum. Huc pertinent etiam liber de haeresibus, commentarii in Marcum, Lucam, et Johannem, annotationes breves in epistolas Pauli ad Corinthios, Colossenses, et Titum, (quas constat esse vel Pelagii ipsius, vel scriptoris saltem Pelagiani,) commentarius in apocalypsin, multa denique alia opuscula in libros Veteris Testamenti, quae commemorare non est necesse. §. 78. Refutatur error multorum, etiam recentiorum, quo Hieronymus Scripturam S. in linguam Dalmaticam vel Slavonicam vertisse dicitur. §. 79. Inest brevissima repetitio eorum omnium, quae huc usque sunt de Hieronymi vel gestis, vel scriptis, disputata. §§. 80. et 81. Examinantur ea, quae contra mores aut scripta Hieronymi ab aliquot neotericis obiecta sunt. Neotericorum nomine Stiltingus intelligit Czuittingerum, Clericum, Caveum, Scaligerum, Valesium, Pagium, et inprimis Basnagium. Quid insit in hisce binis paragraphis, facili coniectura assequi unusquisque poterit, qui scit, Romanenses in sanctis suis nihil nisi virtutes solere extollere, in agnoscendis vero vitiis talpis magis coecutire. Multa tamen contra possemus admonere, si copiosioribus esse nobis liceret. Ad finem potius de hoc scriptore vergimus, quem vidimus fuisse virum excellentissimis ingenii atque eruditionis dotibus instructum. Ipse de se Apol. adv. Rufin. II. „Ego philosophus — inquit — rhetor, „grammaticus, dialecticus, Hebraeus, Graecus, Latinus, tri„linguis." Sed quemadmodum viri interdum doctissimi viribus suis nimium confisi retro labuntur, nec bonis suis, ut

decet,

decet, ſemper utuntur, ita nec Hieronymus tantum, quantum potuiſſet, rei Chriſtianae profuit. Quod ut ne videamur temere aut maligne dixiſſe, proferemus ipſa Hieronymi verba e proem. in libr. III. comment. in ep. ad Galat. unde veritas rei apparebit: „Accito — inquit — notario ſtatim „dicto, quodcunque in buccam venerit, aut ſi paullulum „voluero cogitare, melius aliquid prolaturus, tunc me taci„tus ille reprehendit, manum contrahit, frontem rugat, et, „ſe fruſtra adeſſe, toto geſtu corporis conteſtatur." - Fuit praeterea acerrimus adverſarius eorum, a quibus ſemel laceſſitus eſſet, quanquam iniuria atque inſolentia Rufini ipſum quoque paullo inſolentiorem videtur reddidiſſe. Sed in controverſiis cum Joviniano et Vigilantio aſperitas ſcribendi excuſari non ita facile poteſt. Atque hanc ingenii vehementiam ipſe Hieronymus agnovit, cum in epiſt. 50. ad Dominionem ſcripta, his verbis Jovinianum ad ſcribendum provocat: „Moveat manum, figat ſtilum, commoveat „ſe, et, quicquid poteſt, ſcriptis oſtendat. Det nobis occa„ſionem reſpondendi diſertitudini ſuae. Poſſum remorde„re, ſi velim: poſſum genuinum laeſus infigere. Et nos „didicimus litteras; et nos ſaepe manum ferulae ſubtraxi„mus. De nobis quoque dici poteſt, foenum habet in „cornu, longe fuge!" Pag. 689 Exponitur de S. Victurniano Anachoreta Conf. apud Lemovices in Gallia, qui in perpaucis, neque vetuſtis martyrologiis, commemoratur, veluti in Phil. Ferrarii generali catalogo Sanctorum, qui in Romano martyrologio non ſunt, it in Andr. Sauſſei ſupplemento martyrologii Gallicani, in Claud. Caſtellani martyrologio univerſali, et in martyrologio Pariſienſi a. 1727. edito. Habemus huius Victurniani brevem vitam, ſ. potius elogium, quod Phil. Labbeus, ex apographo illuſtr. dom. Franc. Boſqueti acceptum, Tomo II Bibliothecae libr. MSt. p. 695. vulgavit, unde et hoc loco inſertum eſt a Suyskeno, qui tamen nec ipſe divinare audet, unde Boſquetus hoc elogium acceperit, quo Seculo ſit ſcriptum, aut quo tempore vixerit

ſanctus

ſanctus ille Victurnianus. Quare in fine huius diſputationis enixe obſecrat, ut, ſi qui alia, aut certiora de eodem habeant, illa ad Dei eiusdemque ſancti gloriam ſecum communicare ne graventur, uſui futura in Operis huius ſupplemento. Sequitur pag. 692. S. Laurus presbyter, abbas in dioeceſi Maclovienſi apud Armoricos, cuius tum geſta perobſcura eſſe, tum memoriam paucis notam martyrologis, ipſe Suyskenus ſtatim ab initio fatetur. Commemoratur autem in Uſuardini martyrologii aucti editione Lubeco-Colonienſi a. 1490. edita, et apud Caſtellanum in ſupplemento martyrologii univerſalis p. 1008. Pag. 698. eſt de S. Honorio archiepiſcopo Cantuarienſi in Anglia, qui pariter in nullis vetuſtis martyrologiis claſſicis reperitur. Sepultus eſt in aquilonari parte eccleſiae beatorum Petri et Pauli, ubi iacuit uſque ad a. C. 1091. quo *caeleſti odore fragrans*, repertus et cum reliquis ſanctis in novam eccleſiam ſollenniter translatus fuit. Finit Suyskenus hanc totam diſputationem hoc pio epiphonemate: „Manſit ibidem uſque ad Angliae a Ca„tholica fide defectionem, ex quo tempore, quid de eodem „ceterisque factum ſit, non comperi. Sed diſſipata fuiſſe, „quae tunc ſupererant, veriſimillimum eſt, idque mercedis „ſanctos illos tandem accepiſſe ab iis, quorum maiores ab „idolis ad Chriſtum adduxerant.“ Pag. 711. occurrit S. Simon, comes et monachus Romae. Vitam eius a coaevo conſcriptam, et a Chiffletio obſervationibus locupletatam, Perierus in hunc locum retulit. In ea tam multa ridicula ſub nomine miraculorum narrantur, ut legiſſe nos poeniteat. Pag. 751. agitur de b. Felice de Meda, Virgine et abbatiſſa ordinis S. Clarae, Piſauri in ducatu Urbinate. De hac multa iam dicta ſunt ad d. VIII. Sept. in commentario praevio ad acta b. Seraphinae Feltriae. Eius memoriam celebrant, praeter eosdem fere omnes, tum martyrologos, tum hiſtoricos, qui l. c. tribus prioribus §§. ad illuſtranda Seraphinae acta commemorati ſunt, Arturus in martyrologio Franciſcano, Ferrarius in catalogo ſanctorum, qui in martyrologio

rologio non ſunt, et Petr. Paul. Boſca in martyrologio Mediolanenſi. Adiectum eſt in fine huius tomi ſupplementum ad menſem Sept. Pag. 785. in appendice ad d. XVII. Aug. commemoratur S. Donatus monachus Benedict. Congregationis Montis-Virginis in principatu citeriore regni Neapol. Pag. 792. in append. ad XIX. Aug. exponitur de S. Bartholomaeo abb. Conf. in Calabria. Vitam eius graece ſcriptam huic diſputationi inſeruit Stiltingus ex cod. MS. SS. Salvatoris Meſſanenſis, cum interpretatione lat. antiqua, quae Graeco ſermoni non preſſe inhaeret, ſed ſenſum tantum exprimit. Octav. Caietanus in vitis ſanctorum Siculorum Tom. II. eam iam ſeculo proxime ſuperiore latine edidit. Ceterum de huius vitae auctore nec conſtat, nec, ſi conſtet, quicquam proſit; eſt enim merus panegyricus Bartholomaei, qui nihil continet niſi laudem vitae monaſticae, et longam enumerationem ineptiſſimorum miraculorum, quorum cognitionem infrugiferam nos Proteſtantes tanto libentius concedimus aliis, quanto ſumus ab his talibus ſuperſtitionis adminiculis alieniores.

OBSERVATIONES IN QUAEDAM Dionyſii Halicarnaſſenſis loca, quibuscum aliquot Liviana comparantur.

Auctore

JOHANNE CHRISTIANO GOTTLEBER

A. M. Scholae Provinc. Miſen. Rectore.

Succedant duo illuſtria loca, *de pugna Horatiorum et Curiatiorum, et de proſtrata Lucretiae pudicitia,* quae ambo ſcriptores, quisque ingenio ſuo convenienter, ita tractavere, ut non indigna viderentur, quae, quomodo inter ſe comparata differrent, examinarentur. Omni tempore, quo lecti

 ſunt

ſunt Liviani libri, narratio de Horatiis Curiatiisque, item de Lucretia, doctos harum rerum aeſtimatores in tantam rapuit admirationem, ut eam omnibus numeris perfectam et abſolutam haberent. Et veriſſime mihi iudicaſſe videntur, vel propterea, quod nemo, poſt toties inſtitutam lectionem, ſatiatus redierit, ſed re denuo eadem relecta, maiorem pulchritudinem et ſuavitatem animadverterit: quod certiſſimum elegantiae alicuius loci habetur argumentum. Habet hoc *Livius*, ut mihi videtur, prae *Dionyſio*, ut copioſus quidem, ſed non verboſus, brevis in narratione, perſpicuus tamen ſit, ut nihil ad rem recte intelligendam praetermittat, caeteras res vero, quae per ſe facile intelligi poſſunt, lectori cogitandas relinquat; preſſus eſt praeterea in oratione, ubique delectum verborum formarumque loquendi prodente, et narrationem, moribus hominum, eorumque animi motibus, rerumque naturae accommodatam inſtructamque reddit, ut rem factam eſſe tibi oculis cernere videaris: quae omnia eum non modo egregium hiſtoriarum ſcriptorem, ſed et probabilem oratorem faciunt. Fuſa eſt haec ſuavitas, cum ornatu ſingulari coniuncta per totam orationem, facilius ſentienda, quam verbis exprimenda; differtque a narrandi ratione, qua uſi ſunt *Caeſar* et *Nepos*. *Dionyſii* narrationes *Livianis* diſſimiles eſſe videntur hactenus, ut illae plerumque fuſiores quam hae reperiantur, in nimia, et, niſi audaciter loquar, paullo putidiori diligentia, qua lectores de omnibus, quae vel clara per ſe ſunt, vel quae ſcire nihil vel parum refert, inſtruuntur, ut non raro in *μακρολογίας* vitium incidat: quae omnia lectoribus, brevitati Livianae adſuetis, moleſta videntur. Illud quoque obſervatione dignum videtur, *Dionyſium*, perſonis loquentium, temporibusque, non ſatis inſervire. Quodſi enim quosdam, cauſſas laudantes, inducit, cur hoc faciendum omittendumve ſit, admiſcet externa ſubinde exempla, e graeca rerum geſtarum memoria petita, quae nec temporum ruditati, qua, qui haec dicunt, vixerunt, nec eorum ingenio

genio

genio satis sunt accommodata. Quae omnia exemplis ita esse docebimus. Et ut ab Horatiorum et Curiatiorum pugna ordiamur, *Dionysius* (Lib. III, 140.) diligentia, sed ut dixi, nimia et putida, vincit *Livium*. Morte Cluilii regis vel dictatoris Albanorum commemorata, Fuffetii mores describit, quod recte eleganterque facit; deinde, quomodo traxerit bellum, sive quod videret Albanorum ardorem belligerandi refrixisse, sive quod exta tristia et adversa sacrificantibus denuntiata essent, et quam pronus ad pacem faciendam, misso caduceatore, fuerit, fuse narrat. Quibus adiungit narrationem de Fidenatibus et Veientibus, qui fortuna prospera elati, conspiraverint in Romanorum et Albanorum perniciem: sed proditam esse Romano et Albano conspirationem. Vocat Fuffetius Tullum ad colloquium. Prodit Tullus cum amicis suis. Fuffetius demonstrat primo, se nec superatum, nec commeatibus exclusum, pacem male quam bellum: caussas belli quaerentem, se nec idoneas eas reperisse, nec omnes Albanos proclives ad illud suscipiendum fuisse; exta quoque inventa turpia: quibus cogitationibus, inhibita pugnandi libidine, se expectasse, priorem Romanum amicitiae restituendae facturum mentionem, tanquam colonum ab Alba missum, qui urbi condendae locum quaereret: sed frustra; machinationibus enim malis Fidenatium cognitis, se tandem victum, praeter decorum, iis litteras, proditionis huius testes, priorem monstrare. Litteris lectis, loqui pergit Fuffetius, an raptarum bucularum et ovicularum caussa, contra cognatos malint pugnare, quam hostes communes potius aggredi? Tullus ad haec omnia ordine respondet, et partim dicta Fuffetii refutat, partim ei, conditionibus propositis, est auctor, ut pristinis sedibus relictis, Albani Romam migrent, unumque secum Reipublicae corpus constituant. Sponte et profitetur sibi esse persuasum, imminere sibi calamitatem, si cum cognatis bello velit decernere: exta quoque sibi non laeta paruisse, et quae sunt reliqua. Sed quis credat, haec dicta

 fero-

ferociae Tullii esse congruentia, et hominem, tam impotentem irae, tam placide, cum exprobatione sui, orationem Fuffetii auditurum fuisse, qua rationibus levibus, nimis ambitiose principatum sibi arrogabat, quem feroces et superbi nemini concedunt, nec, recte an perperam faciant, curant. At leniter respondet, nec eos prodit mores, quos Livianus Tullus. Discrepat quoque in hac narratione *Dionysius* a *Livio* in nonnullis. Hic enim ita: (Lib. I, 23.) „*Tullus ferox praecipue morte regis — nocte — infesto exer-„citu in agrum Albanum pergit. Ea res stativis excivit Met-„tium — legatum praemissum nunciare Tullo iubet, priusquam „dimicent opus esse colloquio: si secum congressus sit, satis „scire, ea se allaturum, quae nihilo minus ad rem Romanam „quam ad Albanam pertineant.*" Tum Fuffetius, omnibus aliis missis, quae habet Dionysius, ita l. c. infit: — *Si vera potius quam dictu speciosa dicenda sunt, cupido imperii duos cognatos vicinosque populos ad arma stimulat: neque recte an perperam interpretor.* — Tandem monet Tullum: „*inea-„mus aliquam viam, qua, utri utris imperent, sine magna clade „decerni possit.*" Quae dicta in Mettii ingenium callidum et superbum convenientius cadunt, quam quae apud Dionysium leguntur. *Livius* quoque Tullum non facit loquentem, ut *Dionysius*, sed addit modo: *Haut displicet res Tullo.* Bene: superbi enim ad aliorum dicta nihil, vel pauca respondent. Quae brevitas in narrando, quae, quid fecerint homines, non quid ultro citroque locuti fuerint, docet, lectori intelligenti magis probatur, quam verbosa, in qua declamant, non sine iactantia sui, homines; quod vitium in scribendo est, et in recentioribus quibusdam scriptoribus recte quoque notatum est. Sed redeamus ad Dionysium. Postquam desiit loqui Tullus, Albanus postulat tempus ad agitandam hanc rem. Reiicitur conditio Romam migrandi, etsi foedus placet, quo in unum populum coalescant. Quo facto Fuffetius iterum differere pergit: Albanis, tanquam a Graecis oriundis, convenire imperium totius Italiae, fas

itaque

itaque esse, ut et imperent Romanis, colonis a se missis; et multa alia superbe hanc in rem disputat. Tullus iterum haec patienter confutat, et exemplo Spartanorum, qui non modo in Graecos, sed et in Dorienses, a quibus traxerint originem, imperium sibi vindicarint, utitur. Poteſtne videri verisimile, Tullum, hominem bellicosum et litterarum rudem, cognosse res et origines Graecorum, nemini illa aetate tum notas, ut credibile videtur? Putem itaque hoc exemplum iusto doctius et exquisitius. Ut se defendat Tullus contra Fuffetium, qui Romanos, quod communicassent ius civitatis cum multis populis, accusaverat, ab Atheniensibus se accepisse hoc institutum dicit. De quo idem dici poteſt, quod de superiori exemplo. Praeclaras et exquisitas sententias etiam subinde tribuit Tullo, quarum una eſt: (p. 148.) *nulla alia re humanam contineri nobilitatem, quam virtute partam*. Libentius audirem hoc praeclare dictum ex ore Scipionis Africani, aut Aemilii Paulli. Hic, ut hoc exemplo defungar, poſtquam debellatum in Macedonia, Persea quaerens: *qua subactus iniuria contra populum Romanum bellum tam infesto animo suscepisset?* tandem, cum rex, nec interrogatus, nec accusatus, responderet, suos ita monet: *exemplum insigne cernitis, mutationis rerum humanarum? vobis hoc praecipue iuvenes dico. Ideo in secundis rebus, nihil in quemquam superbe ac violenter consulere decet. — Is demum vir erit, cuius animum nec prospera flatu suo efferent, nec adversa infringent.* (Lib. XLV. 8.) Quae dicta magnitudini animi Paulli, tempori et loco admodum accommodata sunt, nemoque, sine sensu pulchritudinis Livianae, hunc totum locum leget. In homine vero feroci et gloriae cupido, quaerente undique excitandi belli materiam, qualis Tullus erat, sententia supra laudata, non audiri solet. Quodsi dicat potius:

Oderint, dum metuant,

non indecorum Tullo videatur. Etsi quoque dem, Tullo non indigna esse haec verba; sententiam tamen ipsam paullo

exquisitiorem, eo loco atque tempore, quo non de decoro, sed de imperio disceptabatur, existimem. Pergit Tullus longa oratione refellere Fuffetii dicta, finitque eam ita: „Unam „rationem duco optimam, quae sola litem dirimere possit, „qua antehac usi tam Graeci, quam barbari, si quando in „contentionem inciderent de principatu aut agro contro„verso. *Hoc exposito finem dicendi faciam.* Equidem cen„seo, certamen id, bellique fortunam, committendam utrin„que parti exercitus.“ Quid opus erat illis: *hoc exposito, finem dicendi faciam?* Nonne brevius et iratius haec poterant dici? cur non sine ambagibus, ipsam dirimendae huius litis rationem mox indicat? Jam fusius narrat *Dionysius*, Tullum ipsum provocasse Albanum ad certamen, vel, nisi hoc placeret, rogasse, ut uni ex utroque exercitu res decernenda traderetur. Qua conditione reiecta Albanus ternos utrinque viros lectissimos offert. Accipit conditionem Tullus. Advocat uterque dux suos in concionem. Res probatur. Albanus, divinitus datos tergeminos fratres Curiatios animadvertens, iis rem Albanam committit. Albanus iterum Tullum ad colloquium vocat. Exposita ibi divina cura in tanto rerum discrimine, non modo sibi esse Curiatios, sed Romanis Horatios quoque divinitus concessos, regi patefacit. At Livius ait, auctores in diversum trahere, Romanine Horatii an Curiatii fuerint? quamquam eo inclinat, ut qui Horatios Romanos fuisse dicant, hos sequatur. Sed ille rem extra dubitationis aleam ponit. Et quomodo in tanta obscuritate poterat certi quid asseverare? Tullus movet dubitationem, esse cognatos hos viros qui commissi inter se nefario sanguine, piaculum inferant in Rempublicam. Fuffetius respondet his dictis et Tullus, induciis decem dierum factis, Horatios arcessi iubet, consultatione prius cum optimatibus habita. Patefacit iis conditionem, qua audita secedunt et, se nihil sine permissu et auctoritate patris facturos, dicunt. Pater consulitur: explorata filiorum voluntate, laudat animi propositum generosum, seque felicem patrem

trem eiusmodi filiorum praedicat. Prodeunt Horatii. Quibus rebus expositis, iterum Dionysius oratione iusto longiori utitur; *„nunc quia praesens res exactam eius pugnae „descriptionem postulat, diligenter narrationem casuum, tragicis „similium, qui subsecuti sunt, pro virili communicare cum lecto„ribus conabor.“* Vix haec dicta, languidiorem reddentia narrationem, locum habere possunt in ea. Describit nunc prodiisse iuvenes, sacris antea peractis, et foedere icto. Antequam conseruerint manus, eos congressos propius, armis traditis armigeris suis, se in complexus mutuos dedisse, non sine multis lacrymis, suavissimisque compellationibus se consalutasse, ut circumstantes sibi non potuerint temperare a lacrymis. Qui locus mihi longe pulcherrimus in tota narratione videtur. Totam hanc rem breviter ex Dionysio excerpsi, ut eluceret, quanto ambitu ille diduceret rem sine necessitate, et quam libenter declamationes intertexeret; quae an omnibus placeant, non dicere ausim. Hoc vero persuasum mihi est, Livianam brevitatem, in commemorandis rebus in facto positis, omissis illis pluribus sermonibus, qui fieri quidem potuerunt, sed profecto non ita habiti sunt, nec lectores iuvant semper esse adamatam. Huius brevitatis in primis Livius fuit studiosus, in describendis originibus primis populi Romani, quod illas lectoribus non admodum iucundas fore praevidebat. Ita enim ipse in praefatione sua aurea: *„legentium plerisque, haud dubito, quin primae origines, proximaque originibus, minus praebitura voluptatis sint.* Illae origines etiam maximam partem erant incertae. Unde Plutarchus de Fort. Rom. p. m. 326. laudans Livium ait: *Quid in his refert immorari, quae certi nil habent, nil definiti? cum et res Rom. perierint, et confusi sint commentarii, ut Livius narrat.* (Lib. VI. 1.) Quae et caussa esse videtur, cur *Livius*, in rebus ante Gallicum bellum gestis, brevior fuerit *Dionysio*; ea et fuit *Polybio* (IIII, 2. p. 431.) ut ab Olymp. CXL. ordiretur historiam demum. De pugna ipsa, *Dionysius* eam, ut opinor, non tanto ornatu et arte descripsit,

scripsit, ut *Livius;* quod et ipsa lectio, uno tenore in utroque scriptore instituta, quemvis docere poterit. Differt quoque in eo a Livio Dionysius, quod occiso uno Romano, et Albanum a Romano caesum esse tradit, ita ut, duobus Romanis occisis, unus superstes, isque integer, duos confecerit Albanos. Qua in re habet omnes, quod equidem sciam, latinos auctores adversarios. Crimen etiam perduellionis, cuius reum se fecerat Horatius, non tam pulchre narrat *Dionysius*, quam *Livius*. Horatii soror, cognito super humeros fratris paludamento (πέπλον ποικίλον vocat Dionysius pag. 157.) cruore polluto, fratrem, planctu et eiulatu, muliercululis sollenmi, edito, ita alloquitur: „*Scelestissime* „*mortalium, gaudes infelix caesis consobrinis, et orbata con-* „*nubio me sorore misera? Neque te exstinctorum cognatorum* „*incessit miseratio, quos fratres appellare solebas, — cuiusnam* „*ferae animum induisti?* Ad haec ille: *immo vero civis pa-* „*triam amantis, malevolosque patriae hostes punientis, sive illi* „*externi sint, sive domestici, in quo numero te quoque po[illegible]:* „*— — scelesta, neque publico frueris gaudio, neque domesti-* „*cis doles calamitatibus; sed contemtis germanis, proci deploras* „*obitum: neque in malam rem te abdis, sed in omnium conspe-* „*ctu id facere non vereris: — quando igitur consobrinos luge-* „*re mavis, quam fratres, et corpore inter vivos oberrans, ani-* „*mum habes apud mortuum, abi ad illum, quem invocas, et pa-* „*tri ac fratribus dedecori esse desine.*" — Num in tanta ferocia, sanguine adhuc hostium cruentatus, tam longa utatur oratione homo, cuius bilem comploratio sororis, in victoria et gaudio publico, movet? Nil dicam de formis, poeticis similioribus, vel paullo acutioribus, quibus utitur Horatius Dionysianus: v. c. *οὐδ᾽ ὑπὸ τοῦ σκότους φθαρεῖσα, ἀνακλαίεις μόνον* — *σκότος* eo sensu sumtum, quo apud *Homerum* de tenebris orci; item: *Corpore inter vivos oberrans, animum habes apud mortuum.* Sed audiamus Livium, (I. 26.) „Soror — soluit crines, et flebiliter nomine sponsum appellat. Movet feroci animum comploratio sororis,

„in

in victoria sua, tantoque gaudio publico. Stricto itaque gladio, simul verbis increpans, transfigit puellam. „*Abi hinc* „*cum immaturo amore ad sponsum*, inquit, *oblita fratrum mor-* „*tuorum vivique, oblita patriae, sic eat, quaecunque Romana* „*lugebit hostem.*" Quot verba, tot iram spirant, quae non „longa sed brevi et abrupta oratione sese exserit, ut aliis exemplis Livii, Ciceronis, et Poetarum omnium aetatum intelligi potest. Omnino in tota narratione praestat Livius Dionysio quae instructa rectissime dici potest exemplumque quod iuvenes imitentur perfectissimum iure meritoque potest haberi. In tanta brevitate qua usus est, tamen spes, timor expectatio, et reliqua exercituum conditio tam feliciter expressa est, ut in rebus, a nobis longissime remotis, fideli vero imagine repraesentatis, tanquam spectator in medio illarum versari tibi videaris; quae ars pingendi omnia sic, ut ea quasi cernas, longe difficillima est, in qua profiteri se potest Livius magistrum. „*Consederant*, ait, „*utrinque pro castris duo exercitus, periculi magis praesentis,* „*quam curae expertes: quippe imperium agebatur in tam pau-* „*corum virtute atque fortuna positum. Itaque ergo erecti sus-* „*pensique in minime gratum spectaculum animo. Datur* „*signum: infestisque armis, velut acies, terni iuvenes, magnorum* „*exercituum animos gerentes, concurrunt.*"

Sed transeamus ad comparationem alterius narrationis, in qua discutienda eodem modo versabimur. Occasio, qua usus Sextus Tarquinius, probrum inferendi Lucretiae, non una eademque ratione ab utroque describitur scriptore. *Dionysius* quidem ait, (Lib. IV. 261.) filium Tarquinii natu maximum, Sext. Tarquinium, in oppugnatione Ardeae, missum esse Collatiam a patre, ad exsequenda quaedam militaria negotia, et devertisse ad cognatum. Abfuisse quidem tunc temporis maritum Lucretiae: hanc vero liberaliter accepisse hospitem. Visa Lucretia, incaluisse Sextum, huiusque facinoris et ante, cum apud cognatum diversaretur,

eum libidinem cepiſſe. Videtur in hac re *Dionyſius Fabium* ſecutus; laudat enim eum antea auctorem, Collatinum fuiſſe filium Egerii. Sed *Livius* paullo aliter, ac probabiliter; etſi res vetuſtate nimia obſcurae, quod rarae per eadem tempora litterae fuerunt, tam clarae atque certae eſſe non poſſunt. Regios iuvenes, ait, in oppugnatione Ardeae, quae longo magis quam acri bello tracta ſit, commiſſationibus et luſu tempus fefelliſſe: potantibus his, interque foecundos calices diſertis, incidiſſe de uxoribus mentionem: ſuam quemque laudaſſe, maxime vero Tarquinium Collatinum Lucretiam ſuam. Inter diſceptantes conveniſſe, Romam et inde Collatiam petere: advolaſſe omnes Romam, ibique regias nurus, fuſis per colla coronis, in convivio pervigilantes, poſito mero, inveniſſe; at Lucretiam lanae deditam, et deſiderio mariti ictam fideli, collocutam cum ancillulis de marito: Sextum vero libidine mala correptum, conſilium per vim ſtuprandae Lucretiae cepiſſe. Paucis diebus poſt rediiſſe Sextum, vimque intuliſſe cognatae. — Ex quibus patet, innuere quidem Dionyſium, Sextum Lucretiam iam antea vidiſſe, quod poſſet cum Livio componi; ſed caetera cum Livio non congruunt. Conſentit cum *Livio*, *Ovidius*, (Faſt. II. 720.) ſive in hac narratione illum ante oculos habuerit, ut certe in aliis narrationibus fecit, ut *Heinſius* (v. 719. e. l.) et *Burmannus* (ad v. 788. e. l.) notavere; ſive alium ſecutus ſit auctorem. *Dionyſius* et contra *Livium* tradit, Lucretiam, peracto flagitio, Romam ad patrem pulla veſte petiiſſe, virumque in caſtris verſantem, inſciumque huius facinoris, a Valerio Romam arceſſitum: *Livius* autem, illam miſiſſe ad virum et patrem ut cum fidelibus amicis venirent: illosque et veniſſe, auditaque rei indignitate, conſolatos aegram moerore: illam vero cultrum ſub veſte abditum in corde defixiſſe. Habet *Ovidius* (II. Faſt 831.) eam fixiſſe ſua pectora *ferro*, quod idem eſt ac *cultro*, vocat enim ita v. 839. ut non audiendi ſint quidam libri, in quibus *cultro* legitur.

Caeterum.

Caeterum de ipsa narratione eadem moneri possunt, quae de superiori monuimus. Apud Dionysium l. c. (p. 262.) Sextus ut ad lectum Lucretiae venit, excitata e somno percunctatur, quisnam se velit; et nomine cognito, minitatur Sextus quid facere velit. „*Nam si sustinueris, ait*, „*tui corporis copiam mihi facere, in legitimum thalamum re*-„*cepta mecum regnabis, nunc quidem in urbe, quam patris mu*-„*nere teneo; ubi vero ille obierit, imperabis mecum Romanis*, „*Latinis, Etruscis, et quotquot aliorum ille nunc tenet impe*-„*rium. Scio enim, me in paternum regnum successurum aeta*-„*tis privilegio. Quanta autem sit regum felicitas, quae tibi* „*mecum communis erit, quid opus est apud non ignaram dice*-„*re? &c.*“ Quis non languorem horum verborum sentiat, minime cadentem in hominem libidine incensum, ferrumque in manu habentem, quo minatur et orat, et brevibus abruptisque utitur sermonibus? Quanto melius *Livius*, et quam eminens morum Sexti est effigies: „*Tace Lucretia, ferrum in manu est: moriere, si emiseris vocem.*“ Narrat nunc *Livius* quid fecerit, non quid locutus fuerit Sextus, ut facit *Dionysius*, qui iterum declamantem inducit Sextum. Ille enim: *Tarquinius fateri amorem; orare* — *versare in omnem partem muliebrem animum.* Lectores sponte sentiunt, quos sermones fuisse habitos sit verisimile, etsi scriptor eos non commemoret. Reprehendit id in historiarum scriptore merito *Polybius*, severus et intelligens harum rerum censor. Illis enim esse dicit, (Lib. II, c. 56. p. 228.) non ut relatu mirabilium lectores ipsa novitate percellat, *neque ut sermones consectetur, quos fuisse habitos sit verisimile* — sed ut vere omnia, et prout quaeque sunt gesta dictave, narret. Quae dicta egregie confirmant, quae de narratione priori Dionysiana dixi. Adiungit his Dionysius longam orationem de Bruto, et confidenter scribit, eum trahere originem ab uno Aeneae sociorum. Unde tam certo ei haec potuere constare? *Livius* saepe queritur, veluti Lib. VI. 1. Romanas res antiquissimas tam incertas

ut nihil certi possit definiri. Sed Dionysius in his multus et copiosus plerumque est, ubi brevitas, ut opinor, longe commendabilior fuisset; conf. laudatum iam locum Plut. de Fort. Rom. pag. 326.

Coronidem huic prolusioni imponemus, adiiciendis aliquot observationibus in descriptionem pompae Circensis, de qua exponit Dionys. Lib. VII. pag 475. In universum notandum est, hanc pompam antiquissimis temporibus non tam sollemnem fuisse, ut Dionysii temporibus, ubi splendor et magnificentia Romanorum mentes occuparant. Etsi innuit (p. 476.) in hac pompa, quae antiquissima sit, et a Graecis mutuata, nihil esse mutatum, quod hic priscus mos suis temporibus obtineat, citra Graecorum consuetudinem, qui eum immutarint: facile tamen simplicitas morum, quae ante Punica et Macedonica bella vigebat, argumento esse potest, hanc pompam omnis magnificentiae expertem fuisse. In recensendis huius pompae partibus, quae diligentissime descriptae sunt, ut hunc locum possis classicum super hac re habere, auctor est, simulacra deorum humeris esse gestata. Sed falso. Loca enim Latinorum, quorum modo duo, *Ciceronis* (Verr. V. 59.) et *Suetonii* (Caes. 76.) laudabimus, satis dilucide probant, imagines deorum in thensis fuisse collocatas. Ille quidem in peroratione, ubi precatur: *omnesque dii, qui vehiculis thensarum sollemnes coetus ludorum initis:* et hic, inter nimios honores, quos receperit Caesar, et thensam commemorat; ad quem locum vid. Torrent. pag. 53. qui tamen, laudato hoc loco Dionysii, nihil amplius monet.

Corollarii loco, ex fine Lib. III. apud Dionys. in quo narratio de Horatiis et Curiatiis continetur, quasdam observatiunculas super formis quibusdam Graecis adiiciemus, ut prioribus prolusionibus in Dionysium fecimus.

ἐὰν — ἥ Φύσις τὰ νέα τάξῃ τῶν πρεσβυτέρων καὶ τὰ ἔκγονα: (pag. 146.) imitatio Thucydidea; hic scriptor enim

enim neutrum adiectivum pro nomine ipso ponit, ut τὸ ἑλληνικὸν statim in prooem. p. 2. pro ἕλλησι, ἀντιπαλον pro ἀντιπάλοις, et alia; ut h. l. νέα et ἔκγονα sunt νέοι et ἔκγονοι.

ἀλλὰ κἂν αὐτοὶ — p. 149. Sensus est: pulchrum esse belli ducibus de imperio decertare, sive vincant fortes viros, sive vincantur. Unde *Ovidius* (Met. V. 190.) vinci a viro forti pulchrum et decorum esse credit:

Adspice, ait, Perseu, nostrae primordia gentis:
Magna feres tacitas solatia mortis ad umbras,
A tanto cecidisse viro.

L. XII, 80.

Quisquis es, o iuvenis, solatia mortis habeto,
Dixit, ab Haemonio quod sis iugulatus Achille.

Virg. X, 829. de Lauso ab Aenea interfecto:

Hoc tamen infelix miseram solabere mortem
Aeneae magni dextra cadis.

Πορευθέντες ἀποκρίνασθε pag. 154. Possit videri hoc exemplum esse ad defendendam puritatem graecae dictionis in illis: πορευθέντες ἀπαγγείλατε Matthaei 11, 4. et πορευθέντες μάθετε cap. 8, 9. et alibi; sed huc non pertinet. Celeritas enim τῷ πορευθεὶς indicatur, ut et fit aliis participiis, veluti ἰὼν et his similibus. Formae autem, ex N. T. laudatae, sunt hebraicae, ut satis notum.

Ἀντὶμεταστάσεις πολλαὶ καὶ ἀντίστροφοι pag. 155. repugnam Horatiorum et Curiatiorum describit, in qua reciprocatae incursiones sint factae, ut alter in locum subierit fugientis, et iterum de gradu suo depulsus sit ab altero,

 retrorsum

retrorſum ſe convertente. Τὸ ἀντίστροφον e re ſcenica deſumtum eſt. Qui στροφὴν cantabant, a dextra ad ſiniſtram, et qui ἀντιστροφὴν, a ſiniſtra ad dextram incedebant; ut hoc epitheton longe ſit elegantiſſimum, et apte huc translatum.

LITTERATURAE ITALICAE STUDIOSIS

Societas typographica Mutinenſis.

Inter eas diſciplinas, quae hoc ſeculo magno ardore excultae fuerunt, non ultimo loco locanda eſt *hiſtoria litteraria.* Gallia, Germania, Hiſpania, immo et remotiſſimae Septemtrionis provinciae, praeſtantiſſima huius argumenti opera ediderunt; neque ulla quaſi terra eſt, quae hoc tempore hiſtoriam non habeat eruditam Scriptorum ſuorum, ſuorumque ſtudiorum. Italia etiam noſtra hoc in genere cum quavis alia regione certare poteſt, nec habet cur congreſſum timeat. Et quando magnum opus Ch. Comitis Mazzuchelli de Scriptoribus Italicis ad umbilicum fuerit perductum, gloriari poterit, externas nationes nihil habere quod hoc in genere ipſi opponant. Attamen caremus adhuc hiſtoria Litteraturae Italicae generali, quae ab antiquiſſimis incipiens temporibus, et per gradus usque ad noſtram deſcendens aetatem, oſtendat ſucceſſive originem, progreſſus, uti decreverint, uti refloruerint litterae, omnesque mutationes quibus eae in Italia fuerunt obnoxiae. Ideam eius aliquam dedit Abbas *Gimma*, ſed hoc nihil aliud eſt, quam nuda idea, quae multis adhuc confuſa, inordinata, et imperfecta videtur. Sunt qui partem eius aliquam excoluerint; nemo, qui totam pertractaverit, quo tamen argumento nullum forſan Italiae poterit eſſe glorioſius. Suſcepit in ſe hanc operam R. P. *Hier. Tiraboſchi*, S. I. Bibliothecarius Sereniſſ. Du-

cis

cis Mutinensis, in eaque iam eo progressus est, ut paucis annis eam ad finem se perducturum speret. Divisit opus ordine chronologico in varias epochas, et ex septem vel octo voluminibus, quibus totum opus constabit, unum quodque unam vel plures comprehendet epochas, secundum copiam materiae pertractandae; id quod hanc praestabit utilitatem, ut quodvis volumen considerari possit tanquam opus separatum et absolutum, hoc est, tanquam historia litteraturae Italicae eius temporis, quod in isto volumine comprehendetur; ad quem finem cuivis volumini exacti et copiosi indices adiecti sunt, quos deinceps index generalis comprehendet omnes. Primum volumen, quod iam prelum reliquit complectitur historiam antiquissimae Litteraturae Italicae, id est Etruscorum, gentium magnae Graeciae, priscaeque Siciliae, et Romanorum, ad mortem usque Augusti. In generali Operis praefatione Auctor rationem reddit, qua diligentia in his rebus tractandis usus sit, vacuus ab omni erga patriam favorabili praeiudicio, nihil asserens, nisi quod ostendat probatissima auctoritate iinniti, studioseque separans id, quod certum, a falso et dubio. Rei argumentum omnes concernens Italos, tot variarum litterarum notitiae, uti variis temporibus excultae fuerunt ab Italis hominibus, caracteres optimorum Scriptorum, eorumque fata, discussiones atque examinationes multarum rerum ad litteraturam Italicam pertinentium, quae forsitan satis lucis nondum acceperant; sperare nos iubent, hoc opus non minus utilitatis lectoribus, quam iucunditatis allaturum. Non historiae litterariae tantummodo amatoribus, sed cuiusvis etiam scientiae studiosis, inservire poterit; quoniam ibi invenient, quae initia habuerit, quos progressus fecerit in Italia, quo tempore maxime floruerit, quis ad summam perfectionem eam perduxerit, quique Scriptores maximam ex ea sibi pepererint famam. Charta, in qua imprimetur, similis erit illi, in qua Prospectus impressus est, iidemque caracteres. Unumquod-

quodque volumen ſex Paulorum Roman. pretio ſubſcriptoribus vendetur, qui tradito volumine ſolventur, ita tamen, ut emptor expenſam transmiſſionis ferat. Tomus tomum ſequetur, et ſperamus anno futuro ſecundum in lucem proditurum, reliquosque ſimili ordine ſecuturos. Subſcriptio ad finem uſque anni 1771. libera eſt, qua finita, quodvis volumen iis, qui non ſubſcripſerint, octo Paulis vendetur.

Mutinae, d. 25. Junii 1771.

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiae

Calendis Julii Anno MDCCLXXI.

RUSKAJA LÊTOPIS' *PO* NIKONOVU *spisku. Izdannaja pod Smotreniem Imperatorskoi Academii Nauk Czast' pervaja do 1094. goda.*

h. e.

ANNALES RUSSICI, DUCTU ET AUSPIciis Academiae Scientiarum Imperialis editi. PARS I. *usque ad ann. 1094.*

Petropoli, e typogr. Acad. Scientiar. 1767. in 4.
27. phyl. praeter praefationem 17. pagg.

Omnes gentes cultiores cum in eruendis excutiendisque rerum suarum monimentis operam suam ac diligentiam praeclare collocent, tum hoc etiam Academiae Petropolitanae laudi atque honori ducendum est, quod instituit Annales Imperii Russici, iam inde usque a Sec. IX. rebus gestis memoria maxime dignis nobilitati, atque hodie inprimis omnium omnino oculos in se convertentis, ex sacrariis suis in lucem ac fructum communem protrahere, et hoc pacto non unius tantum populi cognitionem exhibere certiorem ple-

nioremque, sed, quod potissimum est, tenebris etiam illis, quibus oppleta huc usque fuit universa antiquiorum populorum ad septentrionem spectantium historia, lucem affundere uberiorem. Auctor praeclari huius instituti est doctissimus *Schloezerus*, qui et de codice manuscripto praeter ceteros, in vulgus edendo, et de via ac ratione in tali negotio ingredienda cum Academia consilia sua communicabat, per totum hoc volumen primum correctoris molestiam ipse suscipiebat, et Russum quendam iuvenem ad has vices pari dexteritate ac fide sustinendas instruebat. Habet quidem sagax antiquorum monimentorum venator, si uspiam, heic certe amplissimum, in quem excurrat, et ubi ingenium suum criticum exerceat, campum; verum tale negotium cum res sit plena periculosae aleae, ipsa emendationis opinione vitiis non nunquam admissis gravioribus, cumque vix evitetur accusatio semidoctae plebis, saltem suspicio de locis hac arte obstetrice magis corruptis ac suppressis, quam emendatis, consultius duxit doctissimus *Schloezerus* iussu et auctoritate Academiae et in primis iudicio collegarum suorum illustris de Staehlin et Fischeri Professoris sulfultus in edendis his Annalibus, ne latum unguem quidem ab exemplari suo, etiamsi lapsus librarii esset apertus, deflectere, sed singulas literas et quasi apices tanta cura sequi, ut orbis eruditus in edito hoc codice Niconensi ipsissimum possideret autographum. Neque improbanda videtur consilii huius ratio, utpote quam doctissimi veterum scriptorum tam graecorum, quam Romanorum editores inde usque ab instauratis bonis literis sibi suscipiendam esse putarunt. Attamen hoc non ita est accipiendum, quasi ars critica nullam plane partem sibi in edendis his annalibus vindicare possit. Nam innumeris in locis, qui obscuritate aliqua aut mendo laborabant, sine textus mutatione per accuratam syllabarum distinctionem, iustam interpunctionem ac typos, quos vocant, *cursivos*, ansa lectori data est, per quam verum sensum sine ullo negotio capere queat. Sic pag. 31 — 35. acta Pacis Olegi cum aula

tula Byzantina Oedipum huc usque desiderabant, et verba haec pag. 34. lin. 3. *is' he na ubiuszago, qui contra Nomicidam,* sensu omni carebant; at verbis prioribus nunc operarum beneficio diremtis: *i she na,* lectori sponte sese offeret vera lectio *i shenu, et uxorem (Nomicidae servam sibi accipiet heres interfecti)* &c. Et sicubi lex praescripta vitium aliquod in uno alterove verbo residens intactum relinquere flagitabat, id sane huiusmodi est, ut facillima lectoris coniectura emendari queat, e. g. pag. 110. lin. 21. pro *ptica, avis,* lege *Piscza, potus,* pag. 122. lin. 17. pro *piszi, scribe,* lege *piti, bibere &c.* In locis vero istis, quibus nullus plane sensus est subiectus, et qui maximam partem occurrunt in historia Imperatorum ex scriptoribus Byzantinis excerpta, quique aut his, aut codice Patriarchali in posterum corrigendi sunt, cautio adhibita est haec, ut nulla potius interpunctio, quae uti ab antiquis libris, ita etiam ab hoc codice abest, poneretur, quam ut ista falsus sensus inferretur. Adde, quod correctiones in codice ipso occurrentes, et quae non temere sequendae erant, quia antiquior lectio haud raro melior videbatur, quam recentior, multum facessebat negotii, (v. c. p. 32. lin 2. antiquum hoc et exquisitum vocabulum *imovit,* sciolus, nescio quis, commutavit cum *domovit;* p. 35. lin. 22. *drogoje pretiosum* cum *drugoje, aliud,* sine sensu. Placitum ergo fuit nullam aliam lectionem, nisi eam, quae cum codice Patriarchali, hoc in negotio diligenter consulto, conveniret, typis exscribere. Argumenta vero, sive summaria, quae haud raro in texta migrarunt sensumque turbarunt, non quidem loco suo dimota sunt, attamen typis expressa *cursivis,* ita ut a textis facillime distingui possint. Neque visum fuit recentiorem potius, quam antiquam codicis orthographiam, etiamsi hodie imperitis vitiosa videatur, sequi, quoniam ab solo hominum arbitrio pendet, totumque mutatur in diem, et quis hoc praestabit, ut ne posteri id, quod nos hodie suspicimus atque miramur, olim rideant atque explodant?

Talis vero labor non unius fuit hominis, quapropter doctiſſimus *Schloezerus* in deſcribendis ac conferendis his Annalibus ſocium ſibi adiungendum eſſe duxit *Semen Baſchilov* brevi antea ob latinae et Franco-Gallicae linguae ſcientiam Translatoris in Academia munus adeptum, neque in hoc genere critices hoſpitem et peregrinum, qui etiam, quod nemo ante, effecit, ut et deſcriptio codicis et collatio ab ipſo inſtituta haud poſtremum ἀκριβείας gradum conſequeretur. Multa quidem, quod mirandum non eſt, ſeſe obtulere in edendo hoc codice impedimenta; nam praeterquam quod ἀκρίβεια critica operis ſaepe permoleſta eſt, ipſeque director officinae oſor fuit antiquae orthographiae, *primo* hoc incommodum accidit, quod varii typi ac ſigna Slavonica deficiebant, e. g. duplex *u*, *o* et *e*, quod vicem τ8, ψ et ξ duae literae *pſ* et *kſ* ſubire cogebantur. *Deinde* deerat *Jerik* et numerus millenarius, quapropter *A* cum apoſtropho in ſubſidium erat vocandum. *Denique* ſigla ac compendia ſcripturae in hoc codice haud infrequentia ſupplenda erant, id quod magnam cautionem deſiderabat, ne quid contra analogiam, aut loca iſta codicis, ubi verba ſine compendio eſſent expreſſa, admitteretur. Quae tamen obſtacula tantum abfuit, ut patientiam at diligentiam *Schloezeri* defatigarent, ut eam potius exſuſcitarent atque exacuerent. Quanta inſuper in corrigendis typis diligentia adhibita fuerit, exinde planum fit, quod ſingulae chartae plus quam quinquies cenſum ſubiere, autographo ab ipſo *Baſchilovio* accurate deſcripto, et poſtea ter, ſemel a *Baſchilovio*, tum a *Schloezero*, et denique ab utriſque, ſimul cum apographo collato; qualem ſane curam ac ſortem benignam pauciſſimi experiuntur Annales. Quodſi elegans veſtis et forma externa cum internis animi dotibus coniuncta magnam habet commendationem, id quoque proſpectum in hac editione eſt, ne quid deſit, quod et ad chartarum et typorum elegantiam pertineat. Per totum volumen parte ſiniſtra nomen Principis ſuper inſcriptum eſt, parte dextra aera a M. C. in ſingulis

gulis autem paginis ad marginem aera Chriſtiana. Magna quoque dos huius libri eſt exquiſitior argumentorum diſtinctio. Quotiescunque novus annus incipit, adſcripta ſimul eſt aera tam a M. C. quam P. C. N. In margine vero apparet et codicis chronologia et brevis contentorum expoſitio. Nomina propria typis ſemper *curſivis* exſcripta ſunt, interpunctione, cuius haud exigua vis eſt ad ſenſum alicuius ſcriptoris ſive capiendum ſive diſtorquendum, cuius vero ab antiquorum monimentorum editoribus parum ſaepe habetur ratio, praevia communi deliberatione et *Schloezeri* et *Baſchilovii* facta.

Totum opus VIII. Voluminibus prodibit, quorum unum quodque XIII. Alphabetis conſtabit.

Primum Volumen, quod iam ad manus eſt, et de quo infra pluribus, tradit hiſtoriam Ruſſiae inde ab origine Monarchiae A. 862. usque ad mortem *Uſewolodi* I. A. 1094.

Alterum continebit ſeculum XII, ab *Swatopolko* II. A. 1094. usque ad mortem Georgii II. ſive invaſionem *Batii* A. 1237.

Tertium periodum Tataricam, ex quo ſcilicet Tatari Ruſſiam ſub poteſtate ſua tenuere, complectetur.

Quartum et *quintum* exponet hiſtoriam trium Principum *Dimitrii* Iwanowicz Donſkoj, *Waſilei* Dimitriewicz, et *Waſilei* Waſiliewicz caeci, qui ſibi invicem ab A. 1362. usque ad A. 1462. ſucceſſerunt. Hic prima pars codicis finit.

Sextum et *ſeptimum* ab *Iwan* Waſiliewicz A. 1462. usque ad mortem Caeſaris *Fedor* Iwanowicz A. 1598. perget.

Octavum et ultimum partem iſtam continebit, quae *novorum Annalium* nomine inſignitur et 422. capitulis abſolvitur, quorum 58. priora varias res ſub C. *Iwan* Waſiliewicz geſtas tradunt, reliqua autem ea exponunt, quae ſub regi-

mine *Boris* usque ad A. 1630. evenerunt. Desinit hic quoque codex.

Argumentum *primi* huius voluminis hoc est: pag. 3 — 15. antiquissimae Russiae origines commemorantur usque ad Monarchiam A. 862. stabilitam. Tum sequuntur Principes hac serie:

Rurik mortuus A. 879. p. 15 — 23.

Oleg mort. A. 912. p. 24—40.

Igor, Rurici filius mort. 945. p. 41 — 43.

Svātoslav, Igoris filius † 973. p. 43 — 60.

Jaropolk Svātoslavi fil. † 980. p. 60 — 64.

Uladimir Magnus, Swatoslavi fil. † 1015. p. 65 — 115.

Svātopolk, Wladimiri fil. † 1019. p. 116 — 127.

Jaroslav, Wladimiri fil. † 1054. p. 128 — 150.

Izāslav, Jaroslavi fil. usque 1068. p. 150 — 158.

Usjeslav regnab. 7 mens. p. 158 — 159.

Izāslav sec. vice usque 1073. p. 160 — 167.

Svātoslav II. Jaroslavi fil. A. 1073. † 1076. p. 167 — 178.

Izāslav tert. vice † 1078. p. 178 — 182.

Usevolod, Jaroslavi fil. † 1094. p. 182 — 198.

Sistitur denique IX. foliis: I.) Catalogus Principum Russicorum una cum posterorum nominibus usque ad primum Caesarem *Wasile*, Iwanowicz. II.) Catalogus omnium Episcopatuum istius temporis cum Episcoporum nominibus. III.) Versio brevioris chronologiae Nicephori, Patriarchae. IV.) Commemoratio donationum quarundam a Prin-

a Principe *Dmitrej Iwanowitz Donskoj* monasterio Serginico in Moscovia factarum &c. Pertinent quidem haec omnia non ad ipsam medullam Annalium; at propterea typis simul exscripta sunt, quia in fronte huius codicis reperiebantur, et *Schloezerus* prospiciendum putabat, ne quicquam pretiosi huius documenti interiret.

Occurrunt passim admodum prolixae versiones ex scriptoribus Byzantinis ad solam Imperatorum Byzantinorum historiam pertinentes, v. c. p. 12 — 14. 17 — 23. 38 — 40. 41 — 43. 48 — 51. 55, 56, 136, 144 — 150. 183 — 188. et alia cum historia Russica remotius coniuncta v. c. p. 70 — 83. sermo Theologi cuiusdam coram Wolodimero M. ad religionem Graecorum amplexandam commovendo habitus; p. 96 — 103. tractatus elenchticus de systemate Mohammedico, et p. 115. stricta expositio, quid fuerit in caussa cur Hungari ecclesiae Latinae sese associarent, cum tamen a Graecis rudimenta Christianae religionis capessiverint. Haec omnia, quae proxime diximus, typis *cursivis* exprimenda curavit *Schloezerus*, partim ut spatii aliqua ratio haberetur, partim ut distinctius in oculos incurrerent.

Sed restat, ut, quae ad criticam huius codicis Niconensis cognitionem pertinent, paucis quoque attingamus. Constat enim duobus Voluminibus in Fol. ordin. chart. lint. quorum unum 1362. alterum vero 902. paginis absolvitur. Incipit pariter atque alii Annales, Nestorienses vulgo dicti, a prima epocha historiae Russicae, nimirum a migrationibus Slavorum ex Danubii regionibus sub finem sec V. pergitque usque ad A. 1630. sive dimidium regimen *C. Michajlo Fedorowitz*. Dimidia pars posterior Voluminis secundi inchoans ab Sibiria devicta et circiter nonam totius operis partem complectens peculiari nomine *novorum Annalium* appellatur etsi eadem manu cum reliquis scripta est. Literae huius codicis Msti *cursivae* sunt (*koropisnoje*) lectu tamen haud

haud difficiles. Numeri annorum, argumenta, et literae initiales cuiuslibet ſegmenti rubro colore picta ſunt. Eſtque hic codex ab initio usque ad finem una eademque manu (ſi diſceſſeris ab ultimo folio voluminis prioris dilacerato et poſtea altera manu reſtituto) exaratus, haud dubio circiter dimidiam ſeculi praeteriti partem. Reviſus poſtea eſt, emendatus atque integris verbis ac lineis ſuppletus ab alio quodam aut coaevo, aut non ita multo poſt florente.

Auctor, ſive potius compilator horum Annalium latet, qui vero, ut ab aliis codicibus, a quibus valde diſcrepant, facilius diſtinguerentur, *Niconenſes* a *Schloezero* cognominati ſunt, non quod putarit Niconem Patriarcham quondam celebrem (natum A. 1613. et mortuum A. 1681.) iſtorum auctorem, ſicuti non nemo imperitus ipſi hac de cauſa paene dicam ſcripſiſſet, ſed quia pag. 1—37. infra ad marginem haec verba manu illius Patriarchae ſubſcripta erant.

Anno 7169. (1661.) hunc librum in templo ſanctae vivificae reſurrectionis noſtri Domini Dei ac Redemtoris I. C. novae Hieroſolymae depoſuit humilis Nicon Dei gratia Patriarcha. Et qui iſtum ſibi vindicaverit, uti Achar filius Charmi, aut celaverit, uti Anania et Sapphira, illi ſubtrahat Dominus Deus ſanctam ſuam gratiam et miſericordiae ſanctae ſuae ianuas claudat. Superveniant illum omnes dirae maledictiones ac poenae divinae tam ſpirituales quam corporales in hoc ſeculo, et denique aeternum poſt fata exitium. Et quicunque librum hunc dolo malo deſcripſerit, illius nomen deleat Deus ex libro vitae.

Codicem etenim hunc non Niconis aetate fuiſſe compilatum, ſed maximam partem antiquioris eſſe temporis, exinde apparet, quod ab initio usque ad p. 535. voluminis ſecundi cum codice *magno* ſive Patriarchali, usque ad A. 1594. pertinente et ſine dubio eodem tempore ſcripto, verbotenus

tenus (excepta orthographia paucisque levioris momenti rebus) convenit.

Inter ſeptem reliquos Codices Annalium Ruſſicorum elogio inſignitos et in bibliotheca Academiae imperialis aſſervatos hic noſter Niconenſis quatuor de cauſſis praecipuus, adeoque primum divulgandus videbatur. Nam I.) magna cura atque diligentia praeter ceteros ſcriptus et reviſus eſt. II.) Stilus non aeque priſcus eſt atque obſoletus ac in reliquis, nec filum orationis admodum interruptum, ita ut etiam is, qui in addiſcenda priſca lingua Slavonica praecipuam operam collocare nolit, exinde ſibi comparare queat hiſtoriae patriae cognitionem, etſi non omnibus numeris abſolutam, attamen veram atque iuſtam. III.) Codex hic perfectiſſimus eſt ratione temporis ad quod pertinet. Nullus enim alius usque ad ſec. XVII. aſſurgit. *Radziwilenſis* deſinit A. 1205. *Woſkreſenenſis* et *Alatyricus* A. 1347. *Novogrodenſis* A. 1441. et *Patriarchalis* A. 1549. Solus quidem codex Sophiae nomen gerens res quoque tradit A. 1646. geſtas, ſed multis de cauſſis reliquis omnibus eſt poſtponendus. IV.) Perfectiſſimus etiam eſt propter copiam rerum, quas tractat, etſi non negandum eſt, quasdam partes haud levioris momenti fruſtra in eo quaeri, v. c. Acta Pacis ab *Igore* Rurici filio cum aula Conſtantinopolitana initae, legem *Jaroſlavienſem,* quae non niſi in codice Novogorodienſi extat. Quos tamen defectus largiſſime compenſat multitudine aliarum rerum memoria digniſſimarum atque in ceteris Annalibus Ruſſicis deſideratarum. Accedit, quod et iſta eventa, quae etiam in reliquis Annalibus commemorantur, longe plenius et accuratius enarrat.

De fide huius codicis Niconenſis cum grano ſalis eſt iudicandum, nec temere ei in omnibus adſtipulandum. *Primo* enim compilator eius expers plane fuit literaturae exoticae, id quod ex nominibus peregrinis ab illo mirum in modum depravatis apparet. *Deinde* nec omnem ſemper

fidem meretur in persequenda duorum seculorum priorum historia. Nam licet ex eodem cum ceteris Annalium scriptoribus hauserit fonte, nimirum ex Nestore, tamen cum vetustioribus Manuscriptis collatus v. c. Radzivilensi, (aut ab ipso Nestore scripto, aut ab alio ad Nestoris exemplar quam proxime accedente) ingentis licentiae postulandus videtur. Interpretem magis agit quam librarium, antiquas Nestoris locutiones immutat, iisque haud raro alienam prorsus significationem subiicit, de suo affingit rebus gestis, et talia inspergit, de quibus reliqui Annales plane tacent, et quae in medio relinquenda sunt, donec scriptorum coaevorum testimonio comprobentur.

Quae quidem vitia ab doctissimo *Schloezero* silentio haud praeterita pretium huius codicis Niconensis neutiquam diminuant, sed lectorem potius cautum reddant, moneantque, ne perfectam atque omnibus numeris absolutam expectet Russiae historiam, donec plures codices manuscripti variorum seculorum et auctorum inter se sint collati.

Quod reliquum est, fatemur doctissimum *Schloezerum* hoc novo dono orbem eruditum sibi valde devinxisse, laudemque eam assecuturum esse, quae et instituto huic tam utili, et diligentiae tam bene collocatae iure meritoque debetur.

HISTOIRE DES REVOLUTIONS DE L'EMPIRE Romain pour servir de suite à celle des Revolutions de la République. Par S. N. H. LINGUET, Avocat au Parlement.

Paris, chez Desaint. MDCCLXVI. II. Voll. 12mo. mai. quorum prius 399 posterius 442. pagg. constat, c. praefat. 67. pagg.

Si olim ignorantia, imaginandi vis, atque verborum inanium pompa, in campis philosophorum solum suum natale

natale quasi habuere, ubi saepe levissimae *possibilitates* pro gravibus *veritatibus*, quas aiebant, venditabantur, et nescio an etiamnum venditentur; exulare tamen prorsus debebant, et procul procul abesse ab sacris *historicorum* limitibus, quorum officium est res memoria dignas, prouti evenerunt, cum caussis suis coniunctim tradere, neutiquam vero super factis philosophari, et hanc lubricam concludere rationem; sic mihi rem concipio, sic esse potuit, ergo fuit. Non succensimus illis, qui nulla alia nisi *scepticismi* via ad magnorum philosophorum laudem se pervenire posse putarunt; at iure meritoque explodimus hunc, qui historici munere fungi velit, et mero dubitandi pruritu ductus in labefactanda fide historica inanem operam perdit. Neque irascimur, si quis orator aut poeta omnia cornua movet, et flores ubique spargit, at haud iniuste indignamur, si historicus, qui plane et perspicue rebusque ac personis digne et convenienter scribere debet, declamatoris personam induit, nec nisi Rhetorum flores atque Veneres ubique captat et affectat. At hoc cacoethes invasit quoque campos historicorum, ex quo multiplex Franco Gallorum ingenium genera scribendi miscuit turbavitque, et habitum, qui quidem Rhetorem aut Poetam decet, historico male adaptavit, et ex quo etiam tyrones nostri ad imitanda exterorum vitia, modo splendeant, caeco impetu feruntur. Horum vero omnium, quae adhuc diximus, merito postulandus est *Linguetus*, qui historiam de Revolutionibus Reipublicae Romanae a Vertoto Abbate inchoatam, inde ab Augusto usque ad Alexandrum Severum duobus voluminibus, (quorum unumquodque IV. libris in diversa capita divisis constat,) sibi continuandam sumsit. I.) *ignorantiae*. Ignorat enim scopum suum. Ab eo, qui de Revolutionibus imperii Romani scribere audet, lector merito expectat insigniores tantummodo et graviores rerum eventus, non vero levissima quaeque et quae nullam prorsus cum illis coniunctionem habent. At fallitur Obvias ubique habet ad nauseam usque levissimas excursiones in

ſcriptores antiquos et fere integros in loca iſtorum commentarios. Bone Deus! quam miſere quadrant, quae (pag. 78.) de Apollonio Tyanenſi prolixe diſſerit, in hiſtoriam Revolutionum! Quodſi operae pretium eſſet, ex *Lingueti* farragine ſeligere, quae proprie ad Revolutiones pertinerent, modicus exiſteret libellus, isque etiamnum veri falſique plenus. Ignorat quoque alia; (pag. 41.) hoc captum eius ſuperat, qui fieri potuerit, ut milites Romani tela ſua commode ac cum ſucceſſu iactarent, (pag. 45.) adeo nullam ſibi de *Teſtudine* notionem informare poteſt, ut putet a recentioribus demum hanc figuram militarem fictam eſſe atque excogitatam. Livium ergo non legit, qui hac de re ipſum melius informaſſet, neque antiqua perluſtravit monimenta, qui varias *Teſtudinis* figuras ipſi ante oculos poſuisſent. Neque minus hoſpitem ac peregrinum ſeſe prodit in re militari Romana, quando ſuſtinet Romanos iam a pueris ad gravisſimos labores exercitatos ex debilitate militum noſtrorum, nedum hodiernorum Franco-Gallorum aeſtimare. Quam probe Jureconſultus noſter ſtatum iurisprudentiae ſub Hadriano noverit, teſtantur, quae *de edicto perpetuo* perinepte differit. In geographia ita verſatus eſt, ut (pag. 170.) Saxoniam et Boruſſiam ad Daciam referat. II.) *Scepticiſmi.* Nullus hiſtoricorum veterum fidem ullam coram eius tribunali meretur. Si Tacitum ſpectas, is longe perverſam ſibi imaginem de rerum ſtatu concipiebat, ubique non niſi externam virtutis ſpeciem et hypocriſin deprehendebat. Si Dionem, is garrulus eſt Sophiſta et ſcriptor omnis iudicii expers. Si Suetonium, is ineptus compilator anecdotorum; ſolus ergo *Linguetus* ſupererat, qui hiſtoriam Imperatorum Romanorum poſteritate dignam conderet. III.) *Fingendi libidinis.* Incipit filum hiſtoriae ſuae ab Auguſto, in cuius vitiis tantummodo exagitandis multus eſt, virtutes contra tacet, et varia immiſcet (pag. 26, 35.) a veritate longe aliena. (p. 148.) Tiberium talem ſibi fingit, qualem ignorarunt omnes veteres, maculas illi a Tacito

cito et Suetonio adſperſas ſedulo abſtergit, et ut philoſophum illum in Caprea Inſula commorantem hac levi de cauſſa repraeſentat, quia id temporis 68 annos natus erat. Suetonius, qui (Tib. c. 43.) ait, Tiberium turpibus figuris oculos ſuos paviſſe, *ut adſpectu deficientes libidines excitaret*, inſignitur (p. 155.) ob ſinceritatem ſuam elogio ſcriptoris vilis atque hiſtorici ridiculi; (p. 157.) levibus tantummodo conIecturis crudelitatem Tiberii in dubitationem adducere geſtit, graviterque invehitur in Tacitum et Suetonium: (p. 169.) *Avertamus oculos ab his horroribus, qui ſemper de malignitate hominum teſtantur et non niſi in cerebro ſcriptorum exiſtunt.* (P. 183.) pari modo novum ſibi Caligulam fingit, et quicquid Suetonius ac Dio de hoc monſtro tradunt, in univerſum negat. (P. 223.) Neronem quidem non plane abſolvit, attamen excuſat, ac perſiniſtre de pauca utilitate, quam Nero ceperit ex inſtitutione Senecae ac Burrhi, iudicat. (P. 270.) nititur Nymphidium adverſus Plutarchum, qui cum proditorem patriae vocavit, defendere; et Plutarchus hac occaſione roditur iudicia ſua et ſententias loco ſemper minus opportuno interpoſuiſſe. (P. 295.) miratur, quod Tacitus Galbae ſeni haec verba ingenioſa tribuere potuerit: *Auguſtus ſucceſſorem quaeſivit, ego in republica*, quaſi non in mediocre ingenium bona interdum cogitatio cadat. (P. 348.) nemo adhuc dubitavit, quin haec eſſent verba Vitellii: *optime olere occiſum hoſtem, et melius civem*, at nunc dubitandum eſt, cur? quia Suetonius hoc narravit. (P. 438.) ei incredibile videtur, Veſpaſianum in mortis periculo ita locutum fuiſſe: *ut puto, Deus fio.* Ignoravit enim, quae Suetonius antea de Veſpaſiano dixerat, (Veſp. c 23.) *ne in metu quidem ac periculo mortis extremo abſtinuit iocis.* (Pag. 55. Lib. II.) in ſententiam Titi: *diem perdidi*, haec inepte commentatur: *ſi verum hoc apophthegma, ſtatuendum foret, hunc principem mentis*

tis fuisse imbecillioris, quam animi liberalioris. Quid? diem perditum putat, quod nemini quicquam dederit? En quam falsam sibi informabat de officiis imperatoris notionem! (Pag. 78. —) *Domitianum* contra omnium historicorum testimonia defendit. (P. 215. —) Omnium calamitatum, quas imperium Romanum post Marc. Aurelium subiit, culpam in Philosophos coniicit, ut qui imperatorem philosophematis suis ab imperii administratione abstraxerint. (P. 253.) *Pertinaci* talia imputat, quae frustra apud veteres historicos quaesiveris. Heliogabalum absolvit, Alexandrum Severum damnat. Paucis, omnia sub manibus eius fictricibus novas formas induunt. IV.) *Stili incongrui.* Qui enim etsi disertus, comtus, ac nonnunquam percellens est, minime tamen historicus et rebus conveniens. Quam nimium rem saepe augeat, patet ex iis, quae (pag. 376.) in necem Caracallae dixit: *Quam primum rumor huius casus increbuit, exercitus, in summum furorem compellebatur, utpote qui Tigres erant lugentes Dominum, a quo sanguine humano nutriri solebant. Et hoc ipsum furorem eorum auxit, quod nesciebant, in quem istum exercerent.* Sed haec sufficiant de *Lingueti* historia Revolutionum partu satis infelici effusa, et cui hactenus inter libros historicos locus deberi videtur, ut tyrones moneat alieno periculo sapere.

QUAESTIONES QUAEDAM CHRONOlogicae, quae Festum Pascha Judaeorum concernunt solutae.

Auctore *RECCARDO*, Prof. Regiomontano.

In historiarum antiquarum monumentis eruendis, cum chronologicae disquisitiones non utiles solum, sed quam saepissime

saepissime etiam necessariae sint, ut dubia dissolvantur, obscura illustrentur, ignota in lucem protrahantur; in iisdem quoque instituendis multorum celebrium autorum desudavit opera. Nihilominus complures eorum, qui hisce indagationibus occupati fuere, vix liberari posse videntur suspicione, vel intricatos et operosos calculos astronomicos, qui tamen ad chronologiae perfectionem quamplurimum faciunt, sedulo evitasse, vel veterum Astronomorum supputationes adhibentes subsidia neglexisse, quae recentioris et correctioris astronomicae scientiae augmenta tabulaeque emendatiores suppeditare potuissent. Sic si nostri aevi veterum historiarum scriptores in tempus quoddam incidisse per tabulas astronomicas eclipsin statuunt, hoc nec de tabulis recentioribus, sed antiquis, nec de calculo ipsius autoris, sed *Scaligeri*, *Clavii*, *Kepleri*, *Petavii*, *Riccioli*, aliorumque vetustiorum, plerumque intelligendum esse videtur. Supervacanea igitur non est opera, in calculos istos, quos interdum vel mancos vel adeo falsos deprehendimus, e novis accuratioribus Astronomiae fundamentis denuo inquirere. Propositum nobis est, ut hunc laborem ratione temporis, quo Judaei festum Pascha et praecipue illud, quo Salvator noster Jesus Christus passus est et resurrexit, suscipiamus.

Notissimum est Judaeos festum Pascha seu Pesach die decimoquarto primi mensis, qui Abib seu Nisan dicebatur, celebrasse, huius vero mensis dies a novilunio, quod aequinoctio verno proximum erat, numerasse. Conf. Exod. 12, 2. 6. 14. 18. cap. 23, 15. Levit. 23, 5. Numer. 9, 1. 6. cap. 28, 16. Devter. 16, 1. seqq. Esrae lib. III. cap. 1. *Philo* lib. III. de vita Mosis, *Flavius Josephus* lib. III. antiquitat. judaic. cap. 13. &c. Jam cum nova luna, nisi forte eclipsin sol patiatur, absque instrumentorum opticorum veteribus ignotorum usu observari nequeat, sed plerumque altero aut tertio demum post coniunctionem cum sole die nudis oculis se conspiciendam praebeat: oritur

quaesti

quaeſtio, utrum Judaei Neomeniam determinaverint ab ipſo noviſunio vel vero vel medio, an potius a prima poſt coniunctionem novae lunae phaſi ſeu apparitione. Sunt quidam, qui priori favent opinioni, inter quos magnus *Scaliger* eminet, Judaeosque ad tempus novilunii definiendum periodo primum Hipparchea, deinde Calippica uſos eſſe ſtatuunt, nullo tamen idoneo teſtimonio id confirmant. Rectius igitur alii cum Clemente Alexandrino lib. VI. ſtromatum, e phaſi lunae prima neomenias ſolitas determinari cenſent, idque eo magis cum ipſi Judaei referant, antiquitus fuiſſe certos homines certo pretio conductos, qui obſervationi noviluniorum operam darent, et lunam, quando poſt coniunctionem a ſole digreſſa eſſet, a ſe viſam proclamarent et neomenias indicerent, alii vero narrent ſacerdotes in templo ſimulac primam lunae phaſin conſpexerint tubis cantaſſe et hinc Pſalmiſtam dicere Pſ. 81, 4. *buccinate in neomenia tuba in inſigni die ſolemnitatis veſtrae.* Conf. *Riccioli* in Chronologia lib. III. cap. 28.

Quae cum ita ſint, non ſufficit, ſi tempus paſchatos cuiusdam determinandum eſt, ut tempus novilunii verni e tabulis eliciatur, illudque quatuordecim diebus augeatur; ſed neceſſe eſt, ut temporis quoque ſpatium definiatur, quod inter novilunium verum, id eſt, veram lunae cum ſole coniunctionem, et primam lunae phaſin intercedit, eiusque ratio habeatur. Problema hoc mere aſtronomicum veteres quidam Aſtronomi, inprimis *Albategnius*, *Keplerus* in aſtronomia optica, et *Riccioli* in Almageſto lib. IV. c. 3. breviter tangunt, recentiores vero plerique plane tranſeunt. Cum illud tamen in chronologia ſacra magni ſit momenti, nunc ex profeſſo de eiusdem ſolutione agemus et ita quidem, ut calculos noſtros non ad neomenias paſchales ſolas reſtringamus, ſed generaliter ad caetera quoque novilunia extendamus.

Cum

Cum lunae motus proprius quo ab occidente versus orientem progreditur, multo sit celerior quam motus proprius solis non longo post synodum cum sole intervallo, quo nullis oculis cerni non poterat, ita a sole recedit, ut vespere in horizonte occidentali paullo post solis occasum corniculata appareat, id quod Astronomi primam lunae phasin seu ortum lunae heliacum appellare solent. Observationes docent, lunam heliace oriri, id est, e radiis solis emergere adeoque primam lunae phasin contingere, si tantum a sole digressa est, ut sole duodecim vel saltim undecim gradus infra horizontem constituto, luna adhuc supra horizontem versetur seu nondum occiderit. Arcus iste, qui solis sub horizonte profunditatem ad primam lunae phasin requisitam mensurat, pro quantitate sensibiliter constante haberi potest et *arcus visionis* dicitur. Ipsa autem lunae a sole distantia, quae ad primam eius phasin requiritur, variae esse potest magnitudinis pro vario tum lunae in coelo, tum loci in terra, ubi fit observatio, situ, et ab huius non solum distantiae diversitate sed praeterea quoque a motus lunae vel celeritate vel tarditate dependet temporis, quod inter novilunium et primam phasin intercedit, quantitas. Ut hanc igitur definire possimus, ipsas caussas, quae eamdem variare possunt, id est, ob quas luna modo citius modo tardius post coniunctionis cum sole seu novilunii momentum incipit apparere, sigillatim recensebimus. Sunt autem quatuor: 1) elevatio poli, 2) obliquitas eclipticae, 3) inclinatio orbitae lunaris, 4) diversa celeritas motus veri lunae.

Prima itaque caussa est elevatio poli seu situs horizontis loci, ubi fit observatio. In sphaera enim, quae dicitur recta, circuli paralleli, in quibus tum sol tum luna sicut reliquae stellae motu communi progrediuntur, ad horizontem sunt perpendiculares; minor igitur distantia lunae a sole ad primam phasin requiritur, quam in sphaera obliqua, uti globi materialis inspectio quemlibet docet. Sit e. g. luna no-

va ad occasum properans in eodem circulo parallelo, in quo sol modo occiderat: distantia lunae a sole ad primam phasin requisita cum ipso arcu visionis coincidit, id est, luna 12 gradus a sole distans in horizonte versatur, sole totidem gradibus infra horizontem latente. In sphaera autem obliqua circuli paralleli ad horizontem sunt obliqui, maior igitur distantia lunae a sole ad primam phasin requiritur, si ambo lumina in quodam circulo parallelo versantur quam in sphaera recta. Iam cum circuli paralleli eo sint obliquiores ad horizontem, quo maior est elevatio poli, donec in sphaera, quae dicitur parallela, ipsi horizonti sint paralleli: sequitur distantiam lunae a sole ad primam phasin requisitam, caeteris paribus, eo maiorem esse debere, quo maior est elevatio poli, longiusque igitur temporis intervallum inter novilunium et primam phasin intercedere.

Secunda caussa est obliquitas eclipticae. Lunae enim orbita ab Ecliptica non ultra 5 gradus, ecliptica autem ab aequatore ex una parte versus septentrionem, ex altera versus meridiem ultra 23 gradus recedit. Illa igitur tum eclipticae tum orbitae lunaris pars, in qua ambo lumina sunt posita, varios ad horizontem occidentalem habet situs, seu angulo modo maiori, modo minori horizontem secat, ob quam caussam prima lunae phasis necessario vel retardatur vel acceleratur. Nam si luna in signis ascendentibus, id est, ab initio Capricorni usque ad finem Geminorum est posita: tunc occidit proximis post nouilunium diebus in puncto horizontis, quod illi, sub quo sol haeret, est propinquum; minor igitur tunc lunae a sole distantia requiritur ad primam phasin citiusque illa potest observari. Si vero luna est in signis descendentibus, id est, ab initio Cancri ad finem Sagttarii; tunc post coniunctionem cum sole occidit in puncto horizontis, quod ab illo, sub quo sol positus est, magis ad austrum distat; maior igitur tunc lunae a sole distantia requiritur ad primam phasin et longiori demum post novilunium

tempo-

temporis intervallo illa poteſt obſervari. Quae tamen de hemiſphaerio boreali ſolummodo valent, nam apud auſtrales oppoſita his eveniunt. Notandum quoque eſt ſecundam hanc cauſſam nullum fere locum habere in primo, ſecundo et tertio climate ob exiguam poli elevationem; quo vero maior eſt loci latitudo ſeu poli altitudo, eo quoque maior eſt cauſſae huius effectus. Porro, quoniam luna cum ſole in ſignis aſcendentibus non niſi hyeme et vere, in ſignis autem deſcendentibus non niſi aeſtate et autumno ſynodum celebrat: ſecunda haec cauſſa ad anni tempeſtates eſt alligata et ita quidem, ut apud nos initio veris prima lunae phaſis citiſſime, initio autumni vero tardiſſime eveniat.

Tertia cauſſa eſt inclinatio orbitae lunaris ad eclipticam et inde dependens diverſa lunae latitudo, Quo enim maior fuerit latitudo lunae borealis: eo magis caeteris paribus luna, dum occidit, ad illud horizontis punctum, ſub quo ſol eſt, accedet, citiusque igitur ſe conſpiciendam praebebit. At quo maior fuerit latitudo lunae auſtralis: eo magis, dum occidit, ab eodem horizontis puncto recedet, tardiusque igitur prima eius phaſis continget. Quae iterum tantummodo apud boreales et quidem in zona temperata valent; contraria enim his fiunt apud auſtrales, et in locis aequatori vicinis evenire poteſt, ut luna latitudinem borealem habeat et nihilominus prima eius phaſis longius retardetur, id quod globi contemplatio quemlibet Aſtronomiae non plane expertem docebit.

Quarta denique cauſſa eſt celeritas motus veri lunae maior minorve. Quo enim velocior motu proprio ab occidente ad orientem fuerit luna, eo quoque citius diſtantiam ad primam phaſin neceſſariam habebit; citius igitur caeteris paribus prima phaſis conſpicietur luna circa perigaeum verſante. Quo autem tardiori motu proprio fertur, eo quoque longius tempus tranſibit, ut veſpere poſſit videri;

tardius igitur prima phasis observabitur luna circa apogaeum morante.

Ex adductis hisce caussis, quae temporis inter novilunium et primam lunae phasin intercepti durationem praecipue variant, secunda et tertia ad unam commode reduci possunt. Utriusque enim effectus proprie nihil aliud est, quam variatio declinationis lunae, ob quam circuli paralleli, in quibus tum sol tum luna motu communi feruntur, ab aequatore plus minusve distant, quae igitur quoque vel maius vel minus temporis discrimen inter utriusque luminis occasum efficit. Reductio haec duarum caussarum in unam, calculum primae phaseos, cuius mox adiiciemus praecepta, multo reddit commodiorem et succinctiorem.

In quartae caussae effectu computando, parallaxeos lunae quoque, si lubet, ratio haberi potest, quae caussae huius effectum semper quidem sed diversa tamen quantitate imminuit, quemadmodum refractio eumdem semper sed eadem quantitate auget, ita tamen ut quantitas augmenti a refractione horizontali semper minor sit, quam quantitas decrementi a parallaxi horizontali. Parallaxis scilicet inaequalis est et quidem maxima, luna velociter sese movente, id est, prope perigaeum constituta; minima vero luna tarde progrediente, id est, prope apogaeum versante. E contrario refractio horizontalis semper est sensibiliter aequalis. Illa distantiam lunae a sole ad primam phasin requisitam adeoque quartae huius caussae effectum semper imminuit, et maxime quidem dum maximus esse deberet; haec vero distantiam lunae a sole semper auget sed aequaliter. Cum igitur refractio hunc parallaxeos inaequalis effectum semper imminuat, ita ut residuum decrementi huius semper minus sit semigradu: omnis haec variatio absque errore sensibili negligi potest in calculo, qui scrupulosam minutiarum indagationem non exigit. Idem valet de diversa celeritate motus proprii solis, qua quartae caussae effectus paulisper

lisper modo augetur, modo imminuitur, dum lunam a loco synodi progredientem sol motu tardiori circa apogaeum, velociori autem circa perigaeum subsequitur. Multo magis omittimus in hoc calculo caussas quasdam accidentales, quarum praecipuae tres sunt: 1) aeris diversa claritas, densitas ac turbulentia, 2) oculorum observatoris diversa acies, & 3) horizontis inaequalitas ob montes, sylvas aliaque obstacula interposita; quae omnino interdum primam phasin admodum possunt retardare, calculo tamen subiici nequeunt.

Praemissis hisce caussis, quae primam lunae post coniunctionem cum sole phasin vel retardare vel accelerare valent: opus nunc est, ut ostendamus quomodo ipsum tempus, quod inter datum novilunium et primam phasin intercedit, consequenter ipse dies primae phaseos determinari possit. Problematis huius solutio eo redit, ut dato novilunio vero cum latitudine loci, sequentia ope calculi astronomici quaerantur ac inveniantur:

I. Tempus occasus lunae pro vespera novilunium proxime sequente.

II. Rectascensio et declinatio solis ac lunae ad hoc tempus.

III. In triangulo sphaerico rectangulo, cuius latus unum est angulus visionis 12 graduum (vel si mavis in regionibus ubi aer plerumque purus est 11 graduum,) alterum arcus horizontis inter verticalem solis et eius circulum diurnum seu parallelum interceptus, tertium vero arcus circuli diurni inter solis centrum et horizontem interceptus, e dato arcu visionis et angulo uno, qui aequalis est elevationi aequatoris seu complemento elevationis poli, quaeratur latus tertium, quod invenitur per trigonometriam sphaericam ratiocinando: ut cosinus altitudinis poli ad sinum arcus visionis, ita sinus totus ad sinum lateris quaesiti; sive logarith-

mus coſinus altitudinis poli ſubtrahatur a logarithmo ſinus arcus viſionis, reſiduum eſt logarithmus ſinus lateris quaeſiti, nempe arcus circuli diurni inter horizontem et ſolem intercepti. Inventam hanc quantitatem appellabimus *A*.

IV. Si declinatio ſolis ac lunae eiusdem ſunt denominationis, id eſt, utraque vel borealis vel auſtralis, minor ſubtrahatur a maiori; ſi diverſae ſunt denominationis, id eſt, una borealis altera auſtralis, addantur.

V. In triangulo ſphaerico rectangulo, cuius latus unum eſt arcus circuli declinationis inter circulos diurnos ſolis ac lunae interceptus aequalis differentiae vel ſummae declinationum utriusque luminis (num. 4.), alterum arcus horizontis inter lunam et circulum diurnum ſolis interceptus, tertium vero arcus circuli diurni ſolis inter punctum eius, in quod arcus declinationis lunae perpendiculariter ducitur, et horizontem interceptus, e dato latere uno cum angulo uno, qui aequalis eſt altitudini aequatoris, quaeratur latus tertium, quod reperitur concludendo: ut ſinus totus ad tangentem altitudinis poli ita tangens ſummae vel differentiae declinationum ſolis ac lunae ad ſinum lateris quaeſiti; ſive ad logarithmum tangentis altitudinis poli addatur logarithmus tangentis ſummae vel differentiae declinationum, ſumma dat logarithmum ſinus lateris quaeſiti, nempe arcus circuli diurni ſolis inter punctum eius, in quod arcus declinationis lunae cadit et horizontem intercepti. Inventam hanc quantitatem nominabimus *B*.

VI. Si luna a ſole diſtat verſus meridiem, id eſt, ſi luna declinationem auſtralem ſol vero borealem habet, vel declinatio lunae borealis minor eſt declinatione boreali ſolis, vel declinatio auſtralis lunae maior declinatione auſtrali ſolis: quantitas *B* addatur ad quantitatem *A*. Si autem luna a ſole diſtat verſus ſeptentrionem, id eſt, ſi luna declinationem borealem ſol vero auſtralem habet, vel declinatio lunae

nae

nae borealis maior est declinatione boreali solis, vel declinatio australis lunae minor declinatione australi solis; quantitas *B* a quantitate *A*, aut haec ab illa minor a maiori subtrahatur. Intelligenda haec sunt de hemisphaerio terrae boreali, apud australes enim fit contrarium.

VII. Rectascensio solis subtrahatur a rectascensione lunae, ut innotescat arcus aequatoris inter circulos declinationum solis et lunae interceptus.

VIII. Si summa aut differentia num. 6. inventa, minor est differentia rectascensionum num. 7.: prima lunae phasis certe cadit in vesperam primam novilunium sequentem.

IX. Si summa aut differentia num. 6. inventa maior est differentia rectascensionum num. 7., ita tamen ut differentia harum quantitatum 11 gradus non excedat: (tot enim gradus luna si lentissime movetur intra 24 horas motu proprio percurrit): prima phasis cadit in vesperam secundam novilunium sequentem.

X. Si summa aut differentia num. 6. inventa maior est differentia rectascensionum et ita quidem, ut differentia harum quantitatum 11 gradus excedat: calculus pro vespera secunda post novilunium, imo si opus est etiam pro tertia et quarta repetatur, donec quantitas num. 6. inventa minor sit quantitate num 7. inventa. Sic innotescet dies primae phaseos lunae post novilunium.

Veritatem solutionis huius problematis propositi, globi inspectio et triangulorum descriptorum delineatio facile docebit astronomiae peritum; ut illam igitur, quod absque figuris fix fieri posset, demonstremus opus non erit. Exemplum tamen calculi illustrationis gratia subiiciemus.

Novilunium proxime instans Regiomonti contingit (1772.) Maii 2. hor. 11. minut. 6. post meridiem. Luna

na die 3 Maii tranſit per meridianum hor. 0. min. 27. poſt meridiem, et occidit eodem die conſequenter veſpera proxime ſequente novilunium hor. 8. min. 10. Quo tempore eſt rectaſcenſio ſolis 41° 19′, lunae 51° 53′; declinationis ſolis 16° 0′ bor. lunae 16° 29′ bor. ſecundum tabulas ſolares *Caillii* et lunares *Mayeri*. Concludatur nunc primo: uti Coſ. altit. poli Regiomonti 54° 43′ ad ſinum arcus viſionis 12 graduum, ita Radius ad ſinum arcus *A*, qui ſic reperitur 21° 6′. Differentia declinationum ſolis ac lunae (utraque enim eſt borealis) eſt 0° 29′. Concludatur porro: uti Radius ad tangentem altitudinis poli 54° 43′, ita tangens 0° 25′ ad ſinum arcus *B*, qui ſic reperitur 0° 41′. Differentia quantitatum *A* et *B* (diſtat enim luna maiorem declinationem borealem habens a ſole verſus ſeptentrionem) eſt 20° 25′. Differentia vero rectaſcenſionum ſolis et lunae eſt 10° 34′ ergo minor quam differentia numerorum *A* et *B*, ex quo ſequitur primam lunae phaſin die 3. Maii nondum poſſe obſervari, luna enim ſoli adhuc nimis vicina occidit antequam ſol ad 12 graduum profunditatem ſubmerſa eſt. Cum tamen haec differentia minor ſit 11 gradibus: prima phaſis in ſequentis diei veſperam certo incidet. Quod ut magis appareat, integrum calculum pro ſequente veſpera reiterabimus.

Tranſit luna die 4. Maii eius anni per meridianum hor. 1. min. 13. poſt meridiem et occidit veſpere hor. 9. min 8. Quo tempore eſt rectaſcenſio ſolis 42° 24′, lunae 65° 21′; declinatio ſolis 16° 17′ bor. lunae 10° 8′ bor. Quantitas *A* eadem ſemper manet ſub eadem poli elevatione. Quantitas *B* invenitur concludendo: uti Radius ad tangentem altitudinis poli 54° 43′, ita tangens differentiae declinationum ſolis ac lunae 1° 51′ ad ſinum arcus *B* qui hac veſpera eſt 2° 37′. Differentia numerorum *A* et *B* eſt 18° 29′, rectaſcenſionum vero ſolis et lunae eodem tempore 22° 8′ ergo maior differentia priori. Luna igitur veſpere

Menſ. Iul. pag. 323. ſqq.

Fig. 2.





Fig. 4.



vespere die 4. Maii, antequam occidit, tantum est elongata a sole, ut circa horam nonam per horae fere quadrantem, si aeris nimirum conditio permittit, prima eius phasis in horizonte libero possit conspici.

Cum tamen hic calculus multis videri possit nimis prolixus et operosus, e caussis retardationis vel accelerationis primae phaseos supra commemoratis regulas quasdam generales construemus quarum ope facillime et uno quasi intuitu diiudicari potest, in quotum post novilunium diem prima phasis incidat; eas tamen alio tempore proferemus.

METHODUS INVENIENDI LONGItudines Locorum.

Audivi ex fama, quod visum sit Astronomis, Longitudines locorum terra marique non posse pro certo dari, nisi per Lunam, et quod hodie indagetur Methodus, quae dabilis: et quia in iuventute mea aliquo tempore applicui animum ad scientiam astronomicam, ob illumque finem perlegi *Ricciolum*, et vidi ab illo assumtas plurium methodos indagandi Longitudines ope Lunae, sed omnes improbatas, propter difficultates circa Parallaxes, et sic reductionem Lunae observatae, seu apparenter visae, ad suum Locum verum: propterea animum meum intendi ad inveniendam aliquam Methodum, quae illis difficultatibus non foret obnoxia. Atque ita tandem inveni hanc sequentem, quae hactenus non alicui in mentem venit, et caret illis difficultatibus; me oportet quam publico dare, ac iudicio et examini peritorum Astronomorum subiicere. At sciendum est, quod illam hic tradam prorsus sicut inveni, scriptam in iuventute mea; nam post illa tempora iniunctum mihi est ab illo studio recedere, et rebus interioribus animum applicare.

Ipsa Methodus talis est.

Fig. 1.

Sint binae Stellae visibiles, quarum Longitudo et Latitudo ex Tabulis sunt notae. Observetur tempus quo Luna in lineam eandem cum praedictis stellis venit, hoc est, quo Luna ☽ *ad lineam cum stellis* ✳ ✳ *seu* a. b. *Ex qua observatione patebit locus Lunae apparens, et dein verus, secundum methodos sequentes.*

Hic duo casus occurrunt: *Primus*, cum datur par stellarum, quae in eodem gradu Longitudinis sunt, sed differunt Latitudine; *Secundus*, cum binae stellae differunt tam Longitudine, quam Latitudine. In priori casu aliquanto facilior est observatio, quam in posteriori.

Si binae Stellae in eodem Gradu Longitudinis sunt.

Fig. 2.

Si dantur binae Stellae, quae in eodem gradu Longitudinis sunt, sed differunt latitudine sequitur: 1. Quod utraque Stella sit in uno circulo latitudinis, et in eodem puncto Eclipticae; ut si (*Z E*) sit Zodiacus vel Ecliptica, duae Stellae (*d*) et (*e*), sunt in eodem gradu Eclipticae (*b*), sed differunt latitudine (*de*). 2. Ex Tabulis habetur differentia Latitudinum, quae est distantia (*de*). Si secundum methodum praedictam observetur Luna, cum appellit ad eundem Circulum cum praedictis Stellis, scil. ad (☽), habetur locus eius apparens sine ulla observatione altitudinis; nam est visualiter vel apparenter in puncto (*b*), sive in eodem Gradu Eclipticae, in quo sunt Stellae. 4. Dato loco apparente habetur verus, per reductionem eius ab apparenti ad verum ope parallaxeos, quae investigatur modo uno ex sequentibus.

1. *Per altitudinem trium*, scil. *Lunae et utriusque Stellae.* Capiatur altitudo illorum trium, scil. (*ke*), (*i*☽), (*hd*); unde

unde dantur complementa (*df*) et (*ef*): ex tribus lateribus (*fe*), (*fd*), (*ed*), innotescit angulus (*d*), et consequenter ex altitudinum complementis (☽*f*), (*df*) et angulo (*d*), angulus subparallacticus (☽); quo dato in Triangulo parallactico (*a*☽*b*), ex angulo praedicto (☽) et recto ad (*b*), et parallaxi altitudinis (*a*☽), habetur parallaxis Longitudinis (*ab*), qua demta vel adiecta ad locum apparentem, obtinetur locus verus Lunae in (*a*), cum apparens sit in (*b*).

2. *Facilius per unam distantiam et duas altitudines.* Observetur distantia (☽*d*), et capiantur altitudines (☽*i*) et (*dh*); unde datis tribus lateribus (*fd*☽), habetur angulus subparallacticus (☽); quo noto in triangulo parallactico (*ab*☽), habetur (*ab*) Parallaxis secundum longitudinem.

3. *Adhuc facilius per unam altitudinem et unius anguli observationem.* Scil. per altitudinem Lunae (*i*☽), et angulum (*f*☽*d*); unde datur sine calculo angulus subparallacticus (*a*☽*d*), qui una cum recto in triangulo parallactico dat parallaxin secundum Longitudinem (*ab*). In hoc casu facilius habetur angulus quam alias, si modo perpendiculariter pendeat instrumentum, et collimetur ad centrum Lunae (☽) et Stellam (*d*), unde datur angulus (*a*☽*b*).

4. *Adhuc facilius ex nuda inspectione obliquitatis Stellarum.* Si enim Stellae (*de*) sunt verticaliter sitae, adeo ut circulus altitudinis transeat per centra utriusque Stellae, tunc in suo nonagesimo Lunam esse dico, et omni parallaxi in longitudinem carere. *Demonstratio:* si (✳✳ *mn*) in eodem circulo sunt, linea recta secat Eclipticam in (*a*), unde est circulus ille cum Luna in nonagesimo, et caret parallaxi longitudinis. 2. Si ad dextrum vel ad sinistrum declinent Stellae, ut (*bd*) Fig. 4., praeter propter nudis oculis observari potest obliquitas, quoque magis in obliquum cadunt,

eo maior parallaxis, sed quo minus, eo minor. 3. Si dextrorsum cadunt Stellae, demenda est parallaxis, si vero sinistrorsum, addenda est. Adeo ut ex sola inspectione pateat magnitudo parallaxeos, et fere quantum auferendum est vel etiam addendum.

Hic proposuimus illum casum, cum Stellae binae sunt in eodem puncto Longitudinis, sive in eodem circulo Latitudinis quarum plures reperiuntur in Tabulis, ut in Capite Cassiopeae, et Lucida Cathedrae 29° 35'. Duae in Andromeda et Cassiopeae Gyro umbilici 37° 52'. Duae in Triangulo, 38° 58'. Duae in Piscibus 112° 29'. In Ursa maiore et Argonavi, 119°. In Ursa maiore et Cancro 122° 57'. In Geminis 109° 6'. Tres in Orione et Hydra 119° 44', praeter alibi. Ad quarum circulum cum appellit Luna, *sive supra*, *sive infra*, *sive intermedio*, habetur statim locus apparens, et ex altitudinibus, distantiis, aut angulis, vel nuda inspectione, Locus verus. Adeo ut calculi prolixitas e Tabulis ad indagationem Lunae et Parallaxium eius non necessaria sit, cum habeatur omne per observationem.

Si duae Stellae differunt tam Longitudine quam Latitudine.

Fig. 3.

In hoc casu, cum differunt loca Stellarum tam Longitudine quam Latitudine, etiam non difficulter reduci potest Luna a loco apparente ad verum. Sint in Tabula 3. binae Stellae, (*a*) et (*e*), quae differunt tam Longitudine, quam Latitudine; sint Stellae primi generis. Cum itaque par quoddam ex illis destinatum est usui, in antecessum opus est, ut secundum regulas ab Astronomo quodam, vel ab ipso Observatore, ex nota Longitudine et Latitudine illarum calculetur. 1. Distantia Stellarum (*ae*). 2. Distantia Stellae a Zodiaco (*ad*) et (*de*). 3. Angulus (☽*am*) et (*Zde*): quae tria ex nota Longitudine et Latitudine Stellarum

larum

larum facile habentur; et in usum dein per Saeculi tempus servari, et ab Astronomo in Ephemerides referri possunt. His notis caetera observatu facilia sunt, scil. cum appellit Luna ad circulum Stellarum (*ae*), parallaxis et locus eius verus exinde habentur. Vel

1. *Per tres Altitudines*, scil. *per Altitudinem Lunae et utriusque Stellae.* Sj capiatur altitudo Lunae (*g*☽) et Stellarum (*ef*) (*ah*), habentur complementa (*la*) et (*le*), cum distantia intermedia (*ea*) prius calculata. Ex his tribus datur Angulus (*lae*); unde ex tribus in Triangulo (*la*☽), scil. Altitudinis complementis (*la*), (*l*☽), et Angulo ad (*a*), habetur Angulus (*l*☽*a*), quia notus est Angulus (*bd*☽); hinc in Triangulo (*bd*☽) ex notis angulis (*d*) et (☽) et parallaxi altitudinis (☽*b*), habetur Parallaxis Longitudinis (*db*), qua ablata vel addita ad gradum puncti (*d*), qui notus est, habetur locus verus Lunae (*b*). Vel

Facilius per unam distantiam et duas altitudines. Scil. si Altitudo (*ah*), et (☽*g*) sint notae, et distantia (☽*a*), per observationem; ex tribus datis in Triangulo (*la*☽), habetur angulus ad (☽); unde in Triangulo (*bd*☽) noti sunt anguli (☽) et (*d*) ex priori calculo, et parallaxis altitudinis (*b*☽), habetur distantia (db) a puncto noto (*d*) ad verum (*b*). Vel

Adhuc facilius per unam Altitudinem et unius Anguli observationem: per altitudinem Lunae (*i*☽) et Angulum (*f*☽*d*), unde habetur sine calculo Angulus subparallacticus (*b*☽*d*), adeo ut statim intromittatur observator in Triangulum (*bd*☽), in quo notus est Angulus (☽) et (*d*) ex praecedente calculo, et Altitudinis parallaxis (*b*☽); unde habetur distantia (*db*), hoc est, a puncto Zodiaci (*d*) ad hunc locum. Ad Anguli observationem adhiberi potest Instrumentum Hevelianum, vel alterius, modo pen-

deat verticaliter, et collimetur a centro Lunae ad ſtellam (✱ *a*). Vel

Adhuc facilius ex nuda inſpectione obliquitatis Stellarum. Cum notus eſt angulus, quem facit arcus inter Stellas medius (*ae*), et angulus ſectionis eius et Zodiaci (*d*), etiam habetur differentia anguli illius a recto, ſi ſit 10, vel 20 vel 30 grad. Exempli gratia 30 grad. cum par illud declinat 30 grad. eſt punctum (*d*) in gradu nonageſimo; et cum obſervatur in hac declinatione Luna cum Stellis, nullam Parallaxin Longitudinis habet, ſed quo magis declinat a 30 grad. ſiniſtrorſum vel dextrorſum, eo maior evadit Parallaxis. Hoc ex angulo dato nuda inſpectione aliquo modo videri poteſt, ut et num adiicienda ſit Parallaxis vel auferenda.

Hinc videmus, in hoc ſitu ſtellarum non opus eſſe notitia loci apparentis Lunae, ſed tantum puncti Zodiaci (*d*), quae datur ex nota Latitudine et Longitudine Stellarum. Si paria ſint electa 10 vel 50, labore bidui ab Aſtronomo haberi poteſt notitia diſtantiae ſtellarum (*ae*), diſtantiae a Zodiaco (*ad*), punctum et angulus ſectionis in Zodiaco &c. quibus notis non difficile eſt in notitiam reliquorum ſine taedioſa Parallaxeos cuiusdam aut Latitudinis calculatione venire.

PRAXIS.

Tradidi Methodum, quando Luna tranſit inter binas Stellas, unam ſupra, et alteram infra Eclipticam ſuam; ſed uſque idem obtinetur, ſi obſervetur Luna dum tranſit ſub duabus Stellis, aut ſupra duas Stellas; videatur Fig. 4. *cum Luna in linea eſt cum binis Stellis ſupra* (d c ✳✳), *aut in linea cum binis Stellis infra* (e f ✳✳).

Haec Methodus poteſt practica fieri, ſi modo ab Aſtronomo formentur *Tabulae*, aut conficiantur *Chartae* vel *planae*,

nae, vel *hemisphaericae* cum Ecliptica mobili, ex quibus videri potest locus Lunae verus, in quem cadit linea ducta per centra duarum Stellarum; et tunc possunt omnia paria Stellarum declinantia, et cum Luna noctu conspicua, in Tabulis aut Chartis designata, inservire usui; imprimis paria perpendiculariter incidentia.

Calculare et scire locum Lunae in ecliptica, ita locum eius verum ex datis duabus Stellis illuc declinantibus, Astronomus Geometra novit. At si quis dixerit, hoc non posse fieri propter difficultates, ille sciat, quod tunc omnis intentio indagandi Longitudines per Lunam frustranea sit, quoniam in omni inventione per Lunam locus eius verus exhibendus est. Locus Lunae verus etiam mechanice in Globis aliquatenus videri potest.

Postquam Tabulae aut Chartae confectae sunt, ex quibus videri potest incidentia Lunae in illum Eclipticae suae gradum, in quem convergunt binae Stellae, tunc possunt annua Calendaria in quibus progressiones Lunae in sua Ecliptica una cum temporibus iuste designatae sunt, inservire usui tam navigantibus quam peregrinantibus.

At si forte Calendaria non satisfaciunt, possunt exactae Ephemerides ad certum Meridianum formari, in quibus appulsus Lunae quovis Mense lunari, ad quemlibet Eclipticae suae gradum, cum horis et minutis ad oculum exstat.

Quod ad differentiam temporum inter Meridianos attinet, hoc non parit aliquam difficultatem, siquidem naucleri per Instrumentum suum ad amussim sciunt horas dierum suorum, ubicunque sint, ex observato Sole in Meridie.

In hac Methodo habetur similitudo observationis Lunae sicut in eius Eclipsibus; non enim aliter hic Luna intrare videtur in gradum Ecliptices correspondentem binis Stellis, primum cum limbo, dein cum centro, et postea a cir-

a circulo eodem emergere, quam illa cum Eclipsin patitur. Quomodo autem haec possit exacte obseruari in omni apparentia seu facie Lunae, sagacium industriae relinquo. Docti et periti Astronomi hoc facile, ut praevideo, invenient; quibus ideo totius huius inventionis practicae gloriam et autoramentum addico. — Veremus ut haec probent Astronomi.

Akademische Rede von dem gemeinen Vorurtheile der wirkenden und thätigen Hexerey 2c.

i. e.

ORATIO ACADEMICA DE VULGARI praeiudicio realis et effectivae magiae, P. DON FERDINAND STERZINGERI, Clerici regularis Theatini, Sodalis Electoralis Bavaricae Academiae Scientiarum, habita die 13. Octobris 1766.

Monachii, apud Mariam Magdalenam Mayriam viduam. 4. 1766. plag. 3.

Quam largissimi proveniunt fructus cum maxime ex agro illustris Scientiarum Academiae Bavaricae, beneficio conditoris et nutritoris munificentissimi, Serenissimi *Maximiliani Josephi* Elect. Bavari. Tam sapientis Principis Boicae nationis auspiciis laetissimis, doctissimus *Sterzinger*, velut fecialis frequenti Academiae istius Senatu diem *Maximiliano* sacrum debita pietate in Patriae Patrem, qui haec musarum otia fecit, obituro, sollennissime indixit bellum vim nescio quam sagis late longeque tribuentibus. Hinc autem tam facile eiurent opinionem tantopere inveteratam, et altis simis defixam radicibus? Immo

mente

mente repostum

Judicium firmum spretaequn iniuria formae,

maniae tam diu, tamque perdite amatae.

Quo numine laeso

Quidve dolens — — — tot adire lobores

Impulerit.

quosdam. Exarsit diuturnum bellum, aliis gestum, aliis sustentatum. Collatis signis aliquot annos fuit depugnatum. Iam requies ad recipiendum spiritum an quia puduit pristinae superstitionis? Melior sane pars adversantibus silentium suasit. Iam praecipuis atque plurimis, quibus illos inter fuit dimicatum, armis, ad nos delatis, religioni nobis ducimus diutius ea invidere nostris, qui suo iure a nobis postulaverint, ut eorum aliqua constet ratio, quae non vis constiterit.

Classica iamque sonant: it bello tessera signum

Sterzingeriana tuba. It contra *P. Agnellus Maerz*, Ordinis S. Augustini, ficto *Veritatis Amatoris* nomine. Eius symbolum: *Urtheil ohne Vorurtheil über die wirkende und thätige Hexerey.* Constat octo plagulis, in forma quarta. Mentitur typos *Sterzingiae Tirolis*, adludens ad nomen patriamque oratoris paullo ante laudati; verum minus commode. Hoc enim opidulum, officina, quam dicunt, typographica, numquam ornatum fuit. *Tirolis* tamen gentium antiquarum nobilitas fulget denuo in *Sterzingero.* Hic sui adversarii, qui usus erat armis longo usu attritis obtusisque, sane ineptis et inconditis, ictus retundebat tredecim chartae plagulis, Monachii anno insequenti descriptis, quibus praefixus erat titulus: *Betrügende Zauberkunst und träumende Hexerey,* sive *Vertheidigung seiner academischen Rede, von dem gemeinen Vorurtheil der wirkenden und thätigen Hexerey, wider das*

Urtheil ohne Vorurtheil. Quam ſolide id factum, doceat eius principium: „Nullum eſt dubium, perſuaſionem, quod „valeant aliquid verba et incantamenta carminum, religio„ni noſtrae ſanctiſſimae plus obeſſe, quam nullam plane fi„dem habere divinis oraculis. Nam ſi nobis imponi pati„mur, malum genium adparere omnibus, qui eidem animas „ſuas ſecretis atque expreſſis foederibus devovere, eum in „auxilium invocant, ſive ſuperſtitioſis caerimoniis adiurant, „ut ſuae prauae voluntati reſpondeat, et miracula edat, im„piis ac perditis, deſperatis infelicibusve, ut voti ſui cuius„que peſſimi fiant compotes, quantam aperiremus fene„ſtram! Quodſi vero rudem plebeculam ſincere docemus, „pravum daemonem, vel incantatum, ne minimum quidem „valere et efficere poſſe; ea abducetur a tam inſubidis et „ſcaevis opinionibus et experimentis ad ſaniorem mentem.“ Praeter ea §. VII. iſtum *Martianum*, qui *Sterzingeriana* moenia pulſaverat, arietem acriter repulerant חַרְשֻׁמֵי Exodi VII, 11. „qui praeſtigiatores Aegyptiaca fraude ita abſcon„debant opera ſua, atque multis ſimulationum involucris „tegebant, ut quaſi velis quibusdam obtenderentur eadem „ſecus ac viderentur vere.“ Haec quamprimum legerat *Fortunatus Durich*, ordinis S. Franciſci de Paula, edidit nomine *Eutychii Benjamin Tranſalbini, Diſſertationem Philologicam de vocibus Hhartymmim et Belahatehem* Exod. VII. 11. plag. 2½ in 4to. Eum redarguit *Aloyſius de Sonnenfels*, verſatus linguae ſanctae interpres, Viennae, in *Epiſtola ad doctiſſ. P. D. F. Sterzingerum &c. de iisdem duabus vocibus*, quae anno poſt Viennae quatuor plagulis ſtanno Schulziano imprimebatur, ſolide demonſtrans, *Belahatehem* nihil aliud innuere „quam praeſtigias non a daemone aliquo, ſed „nebuloſa fraude profectas“ Caeterum adparet ex calce illius Diſſertationis *Benjaminianae*, emendante Jenenſes eruditorum ephemerides anni 1767. Part. XXXXII. pag. 346. ferentes, Cl. *Petro Paulo Finauero* acceptas, *Gedanken über die Werke des Liebhabers der Wahrheit von der Hexerey*, quae

quae pl. 3½ Monachii prodierant, has praevertiſſe utramque illam Diſſertationem criticam. Earumdem vero *Cogitationum*, quibus Jenenſes adplaudunt, non odorati ſumus, ſed quam quod certiſſime ſcimus, eſſe ipſum, de cuius corio luſerat *P. Angelus Maerz*, ordinis Benedictini in Monaſterio Shirenſi, in *Kurzer Vertheidigung der thätigen Hex - und Zauberey*, Ingolſtadii plag. 4. in 4to. metuens, ne faſcinatione exſulante ingentem faciant iacturam *Schirenſes* ſodales, qui quotannis ex quadraginta millium minoris moduli crucium conſueta venditione magnam pecuniarum ſummam congeſſere. Hinc illae lacrimae! Verum iſta apologia excitavit hominem ingenioſum, acutum, et acrem, qui plurimum in ſcribendo et ſalis et fellis oſtendit, ut proderet: *Glückwünſchungsſchreiben an den Hochw. P. Angelus März, über ſeine Vertheidigung der Hex - und Zauberey, von F. N. Blocksberger, Beneficiaten zu T. Straubingae*, 1767. in 4to. plag. 2. et eodem anno plag. 3½. *Drey Fragen zur Vertheydigung der Hexerey: I. Ob P. Angelus März die Rede des P. Don Ferdinand Sterzingers gründlich, und II. beſcheiden widerleget habe? III. Und ob wohl dieſe academiſche Rede dem heiligen Kreuze von Scheyern in der That nachtheilig ſey? Mit einem ſichern Ja beantwortet, und dem P. Angelus März ſelbſt dedicirt von I. F. Z.* cuius acceſſio *Zugabe von Druckfehlern über die Märziſche Schrift.* Hosce velites confirmabat gravis armaturae miles veteranus, Rev. *Jordanus Simon*, Auguſtini ordinis, SS. Theol. Doctor et Profeſſor Publicus ordinarius inclitae Hieranae, qui, ut par erat, commendaturus *Conſtitutionem, qua Auguſta Maria Thereſia, Romanorum Imperatrix Apoſtolica, ſuis, quo pacto in ſagarum cauſis verſentur, edixit*, in praefatione quindecim plagulis *P. Angelo Martio* iſti reſpondit, *Sterzingeri* ſententiam tuitus eſt maſcule, et tamen ſedate placideque, ut decet meritis gravem, qui

regit dictis animos, et pectora mulcet.

 Poſt

Post haec contra *Martium* denuo aliquid ausurum quemquam quis credidisset? Factum tamen est, proposit *Verantwortung über die vom Tit. P. Don Ferdinand Sterzinger bey dem Hochfürstlich-Hochlöblich-Geistlichen Rath zu Freysingen freywillig wider ihn gestellten Fragen*, Ingolstadii 1767. in 4to. plag. 5. quem solide redarguit doctiss. *Andreas Mayr*, cuius liber *de bona Clericorum causa* cum adplausu fuit exceptus, quippe quem novimus composuisse: *Nichtige, ungegründete, eitle, kahle und lächerliche Verantwortung des H. P. Angelus März, Benedictiners zu Scheyern, über die vom P. Don Ferdinand Sterzinger bey dem hochfürstlichen hochlöblichen geistlichen Rath in Freysingen gestellten Fragen*, Moldaustrom, 1767. in 4to. plag. 7. quo auctorem Consiliarium Ecclesiasticum Regenspurgi dignissimum imposuisse colophonem alterius *Martiani* certaminis existimamus, quibus saltem inde nihil obvenit, quod se distingueret prae nomine *Angeli* ab alterius *Agnelli*. Hic enim prae se ferens eundem *veritatis amorem*, supra memorato *Judicio* subiunxit: *Neue Vertheidigung wider die geschwulstige Vertheidigung der betrügenden Zauberkunst und träumenden Hexerey*, anno 1767. in 4. plag. 15. translatis pro magia argumentis ex *dell' Osae Arte magica annihilata*, cuius causa plagii postulatus est in *Hexenprocess, ein Traum*, 1767. in 4. plag. 2. ut et in supra laudatis *Gedanken über die Werke des Liebhabers der Wahrheit*. Ad haec scatent illa *Agnelliana* iniuriis in *R. P. Sterzingerum* putidissimis atque atrocissimis, quae sollicitavere calamum *Maierianum*, ut denuo, *F. N. Blocksbergeri* nomine latens, sex *Epistolas* de eadem *apologia* ad eius auctorem daret plag. 26. constantes. Interea exierant prelo Trattneriano Viennae in 4. plag. 47. *Constantini Francisci de Cauz* in Academia Roboretana Quirensi, *de cultibus magicis, eorumque perpetuo ad Ecclesiam et Rempublicam habitu libri duo*, quibus V. Er. fallacia et imaginaria magiae opera in aprico posuit, et historice monstravit, magiam ab sanioribus semper fuisse habitam inanem, nec ullius effectus capacem. His praefatus

tus ſcribit: „Non minori ſui inclytique Clericorum Regu„larium e S. Caietani familia ordinis commendatione ſecu„tus eſt Academiae ſocius *P. Don Ferdinandus Sterzingerus.* „Hic enim ſententiam religioni catholicae proficuam ut pro„pagaret, oratione publica eamdem propoſuit . . . . quae „oratio, ut edita fuit, mox a viris quibusdam obſcuri in lit„teris nominis calumniis impetita eſt, contra quas ſe ma„ſcule rurſum defendit idem *Sterzingerus.*" Pacem igitur inter litigantes conciliandi cauſa mox prodibit in 4. plag. 12. *Vorgängiger Verſuch zur Erwürkung eines Vertrages zwiſchen den in dem bisherigen Hexen-Kriege verwickelten Gelehrten, wie auch zum nutzbaren Unterrichte, wie man von der Zauber- und Hexerey weder zu wenig, noch zu viel glauben ſoll, unternommen von einem Verehrer der Gelehrten, und Liebhaber der chriſtlichen Wahrheiten.* Qualia nihil valitura eſſe contra argumenta S. R. *Sterzingeri* longe ſolidioria cum cenſuerint viri neutrius partis (in Hallenſ. Ephemeridum doctarum anni 1767. Partic. CI. p. 802. ſeq.), quis non agnoſcat prudentiam Celſiſſimi atque Reverendiſſimi Bambergenſium et Herbipolitanorum Praeſulis, qui illius *tentaminis* auctori, R. *Oswaldo* Abbati Monaſterii *Zellae ſuperioris Wirzburgenſis*, ex familia Praemonſtratenſium, interdixit, ut ne ſtaret quod in iſtius libelli extremo erat pollicitus, incertum an minatus, ne denuo in memoriam hominum rediret, vel anno praeſentis ſeculi quadrageſimo nono, *Mariam Renatam*, tamquam faſcinationis et maleficii convictam, *Herbipoli* horrendis diris exſecratam, vivam fuiſſe combuſtam, cuius monimentum poſuit P. *Georgius Gaar*, expoſitum caſtiganti D. *Joanni Baptiſtae Groſero*, Roboretano, ſuffragantibus Germanis, qui huius cenſuram ex latino in ſermonem patrium verſam, Curiae Regnitianae anno 1754. in 8vo. plag. 11. eiusdemque Epiſtolam, huius verſionis cauſa exaratam, quatuor annis poſt plag. 6. legerunt. Quae cum ita ſint, ſatius fuiſſet, ſi *Michael Model* J. U. Lic.

quaeſtionem: *Ob man die Ausfahrt der Hexen zulaſſen könne, wider den heutigen Hexenſtürmer P. Ferdinand Sterzinger*, reliquiſſet in medio poſitam, nec Monachii anno 1769. in 4to. plag. 4½. deſcribi curaſſet; minatur enim §. 49. pag. 30. *ſe, ſi Satanae ſit adfuturus, Sterzingerum eſſe accuſaturum ex lege diffamari.* Ex hac lege quid ſi hic, in quem ſummas iniurias evomuit, poſtularet *Modeſtium?* Denique fuere vel fuit, qui

Id ſibi negoti credidit ſolum dari,
Populo ut placerent, quas feciſſet fabulas.
Verum aliter evenire multo intelligit.

Eſt enim in noſtris manibus: *Nun, Ja — oder kleine Zweifel, über zwey Berichte von einer Hexen - oder Studenten - Geſchichte, die ſich in dem Jahre 1768. den 10. 11. 12. und 13. Junius zu Ingolſtadt in Bayern ſoll zugetragen haben. Qui facile credit, facile decipitur, gedruckt zu Unglauben*, plag. 4. in 4to. item, *Nicht doch — oder Auflöſung der kleinen Zweifel über zwey Berichte von einer Hexen - oder Studenten - Geſchichte, die ſich in dem Jahre 1768. den 10. 11. 12. und 13. Junius zu Ingolſtadt in Bayern ſoll zugetragen haben, aus einem dritten Berichte des Herrn Directors gezogen. Lucifugas umbras fugat improbus ardor veri, gedruckt zu Berichtshauſen*, plag. 3½. in 4to.

Δοτε κροτον, και παντες υμεις μετα χαρας
κτυπησατε

Scilicet

Scilicet, tam ſcite acta eſt fabula magiae, ut fidem omnem perdiderit. Triumphavit tandem bona cauſa Viri; cuius *Selectae propoſitiones ex philoſophia mentis et ſenſuum*, editae Monachii anno 1756. plag. 3. in fol. *de iurisprudentia eccleſiaſtica*, ibid. 1769. plag. 1½. in 4to. ſatis loquuntur auctoris ſubactum iudicium, ac multum lectionis, ſine quo utroque qui ſucceſſiſſet. *Hiſtoricocritica inquiſitio, an Boii, ante Theodoricum Oſtgothorum* R. *ſive eo imperante, leges ſcriptas acceperint*, inſerta Vol. I. Tom. I. pag. 135. ſeqq. Commentariorum Academiae Scientiarum Electoralis Bavaricae? Nec ſuccederet, cui illaborat, Continuatio *chronologicae Introductionis in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Novi Teſtamenti*, quae quidem eſt, *Maqueri Abregé chronologique de l'hiſtoire eccleſiaſtique*, ſed ad ſtatum Germaniae, in primis Bavariae, accommodata, et cuius duo Volumina veſte Teutonica prodierunt, cum praefatione Perilluſtris *Petri de Oſterwald*, Sereniſſimi in Boiis S. R. I. Novemviri a Conſiliis ſacris Directoris et Conſiliarii Intimi. Quod de literis in Bavaria tam laete renaſcentibus egregie merentium par, ut quam optime floreat, praeſertim S. Rev. *Sterzingerus*, quo Academiae illius claſſis hiſtorica Directore gaudet, vovebit nullus non cui literae ſunt curae cordique.

LONGOLIUS.

ORIGINUM

ORIGINUM ET OCCASUUM TRANSILvaniae, auctore LAURENTIO TOPPELTINO, Recensio critica, cum appendice diplomatum aliquot: omnia maxime ad natales Gentis Saxonicae in Magnō Principatu Transilvaniae, inque Comitatu Scepusiensi superioris Hungariae, asserendos et illustrandos: subsecivo studio GODOFREDI SCHWARZ, Theologiae Doctoris, et in Academia Hasso-Schauenburgica Professoris primarii, Consistorii sacri Assessoris, ecclesiarum eiusdem dioeceseos scholarumque Superintendentis.

Rintelii, typis J. G. Enock, 1766. in 4to. 9 plagulis.

Huiusce opusculi auctor summe venerabilis, cuius eruditio aliunde nobis satis superque innotuit, dudum nos attentos reddiderat, quomodo sit in hac controversia versatus, cum studium historicum vulgo reperiatur a vulgo theologorum alienissimum. Horum in numero nostrum quidem auctorem non esse, ita nobis probavit hoc specimine, ut ei illud magnopere gratulemur.

Utinam alios quoque theologos, praesertim eos, qui totam vitam inter decantandas homilias, atque colendos agros et hortos absumunt, quibusque adeo multo plus temporis relictum est, quam doctissimo *Schwarzio*, utinam eos invitare hoc exemplo ad similem industriam possimus, ut ne in perpetuo otio delitescant, sed potius horas subsecivas studio alicui honesto atque eiusmodi consecrent, quod cum theologia ipsa haut exiguam habet coniunctionem. Atqui

Atqui tale eſt ſtudium hiſtoricum, quo animus noſter dulcius atque ſalubrius pabulum habere non poteſt. Qua porro re magis poſſumus vel intimos providentiae ſapientiaeque divinae receſſus reſerare, niſi veluti clave hiſtorica, qnae nobis ampliſſimum humanarum viciſſitudinum campum aperit, in quem exſpatiari cum ſumma et utilitate et delectatione licet? Eſt igitur ſtudium hiſtoriae in primis homini theologo utiliſſimum et maxime neceſſarium. Redibimus iam in viam, a qua orſi ſumus. Hunc igitur libellum Schwarzianum quamvis dudum habuimus, tamen propter neceſſariam, aliorum ac maiorum librorum commemorationem ei in his Actis adhuc locum facere non potuimus. Tanto maiore cum gaudio illum nunc, cum paulo plus otii nobis conceſſum eſt, indicabimus.

Fuit Laurentius Toppeltinus, quocum auctor S. R. congreditur, ipſe natione Saxo Tranſilvanus, atque iuveni cuidam nobili comes adiunctus, iter fecit per Germaniam, Italiam, et Franco-Galliam. Hoc in itinere ſcripſit, atque Lugduni in forma duodecima a. 1667. edidit Origines et occaſus Tranſilvaniae, patriae ſuae, cuius nimius amor eum in multos errores implicavit, ita ut ſtatueret, Saxones Tranſilvanos eſſe potius priſcorum Dacorum reliquias, quam Germanorum Saxonum coloniam. Huis libri repetita editio prodiit Vindobonae anno 1762. in forma octava. Putat igitur Toppeltinus, Dacos eſſe unum eundemque populum cum Gothis et Getis, Aborigineſque Dacorum, a quibus omnes reliqui Germani orti eſſent. Hanc opinionem Schwarzius V. Cel. oppugnare adgreſſus eſt primum varietate nominis Gothorum et Saxonum; inde enim elucere putat, Saxones Tranſilvanos eſſe Gothorum reliquias non poſſe. Verum ſi hoc ſoio argumento niti velimus, res foret admodum dubia. Quis enim neſcit, unum eundemque populum, multis ſaepe numero ac diverſis comprehendi nomini-

bus? Russi, Poloni, Bohemi, Croatae, Bosnii Servii &c. sunt illi quidem omnes suis nominibus diversi, re tamen ipsa unum efficiunt Slavorum aut Venedorum populum. Deinde Saxones Transilvanos constat uti dialecto Saxoniae inferioris, cum contra Saxones, qui sunt in Hungaria, ita loquantur, quemadmodum homines Sxaoniae superioris. Cum igitur et Gothi in Suevia habeant dialectum Saxoniae inferioris, quemadmodum Saxones Transilvani, verosimile sit, hos binos populos, quamvis nominibus diversos, tamen unius esse eiusdemque originis, unamque constituere nationem. Hoc igitur solo argumento, quod est e diversitate nominum repetitum, parum effici videtur posse ad demonstrandum id, quod Schwarzius voluit. Hinc progreditur in sequentibus ad alia, eaque firmiora argumenta, e diplomatibus et Scriptorum bonorum monumentis depromta. In primis huc pertinet privilegium, Transilvanis ab Andrea II. rege a. 1224. concessum, quod est a summe venerabili Schwarzio ex opusculo Toppeltiniano huc translatum. In illis igitur litteris Saxones Transilvani vocantur: 1) *Accedentes*, 2) *Hospites Teutonici*, 3) *Vocati a Rege Geyssa*, (i. e. Geysa II.) Primum igitur sunt accedentes, i. e. (quemadmodum auctor id explicat,) peregrini advenae e Saxonia inferiore, qui expeditione cruciata vel iam finita, vel certe coepta, largis commodorum promissionibus invitati in Transilvaniam venere. Adiuvare hanc explicationem conatur eo, quod notam fabulam de exitu liberorum Hamelensium huc trahit, eamque exponit de Saxonibus in Transilvaniam proficiscentibus. Sed contra haec moneri duo possunt. Primum enim contextus in illo privilegio aperte docet, accedentes ibi non esse eos, qui nuper demum in Transilvaniam venerint seu accesserint, sed qui regem petendi caussa adierint, quemadmodum centies hoc verbum dicitur. Deinde narratio illa, de qua paulo ante diximus, seculo quinto decimo ficta et ex historia aliqua urbis Hamelae repeti-

repetita esse videtur. Firmare porro sententiam suam cupit insignibus Hermannopoleos, quae sunt duo gladii in formam crucis positi, quibus significari arbitratur, hanc urbem nationis Saxonicae primariam, esse a quibusdam militibus cruciatis, in quibus, ut constat, Ensiferi quoque fuerint, exstructam. Quae sententia etsi multam habet speciem, tamen improbabilis videtur propterea, quod isti gladii multo melius deduci ab ensibus electoralibus decussatim positis possunt, hoc tamen cum discrimine heraldico, quod illorum cuspides deorsum flectantur, horum contra in altum assurgant. Alterum argumentum, quo auctor noster contendit, Saxones Transilvanos recentiorem aliquam Saxonum Germanorum coloniam esse, nititur nomine *hospitum Teutonicorum*, quo insigniuntur Saxones Transilvani in illo diplomate. Verum cum huius privilegii autographum non amplius extet, in quibusdam vero exemplaribus vocula Hospites, ipso fatente Schwarzio, plane non reperiatur: facile intelligitur, huius quoque argumenti vim corruere. Dabimus vero, vocabulum *Hospites* ibi esse veram lectionem, neque tamen inde sequitur, Saxones esse intelligendos, cum diserte appellentur *Hospites Teutonici*. Denique auctor noster his duobus argumentis addit tertium, petitum e verbis *vocati a rege* Geysa (II.) avo nostro (Andrea II.) Quod etsi videtur omnium verosimillimum esse, tamen multis modis refelli potest. Nam primum sermo, (ut supra iam admonuimus,) non est de Hospitibus Saxonibus, sed Teutonicis, qui vocati a Rege Geysa dicuntur. Atqui Schwarzius noster contendit, Saxones esse in Transilvaniam a Geysa II. vocatos. Deinde illud *vocare* non semper dicitur pro aliunde arcessere aliquem populum, sed vocare in auxilium. Sensus igitur horum verborum possit etiam hic esse: Teutones, qui tanquam peregrini s. hospites, ab aliquo iam tempore, in Transilvania habitarunt, a Rege Geysa II. in auxilium vocati sunt. Eodem plane modo Godofredus Monachus, Seculi

XIII. historicus: „Ille — inquit — (scil. Emericus rex „contra fratrem Andream bellum gerens,) accitis Teutoni„cis, quorum ibi copia magna est, qui et Hospites ibi vo„cantur &c.“ quem locum auctor summe venerabilis non bene in subsidium suae sententiae advocavit. Denique hoc totum argumentum in nihilum concidit, si locus est vitiosus. Jam vero Schwarzius ipse fatetur, in libello Toppeltiniano pro *vocati* legi *donati*, scilicet libertate, quae vocula τῷ *donati* aut *vocati* praecedit. Auctor igitur noster legi vult *vocati*, sequutus ea in re Frankium a Frankenstein, qui putavit, Toppeltinum ex mera libidine pro *vocati* reposuisse *donati*. Quam emendationem probavit etiam noster Leibnitius in epistola aliqua ad Joh. Fabricium scripta, unde auctor noster verba huc pertinentia transscripsit p. 11. not. **. Frankii emendationem sequitur auctor propterea, quoniam ille ante oculos habuisse prototypum huius diplomatis videtur. Ceterum remanet tamen aliqua dubitatio in lectione controversa, nec potest inde certum argumentum duci. Pag. 12 — 17. enumerantur ii, qui ante Toppeltinum iam statuerant, Saxones Hungariae ac Transilvaniae esse a priscis Gethis, Gothis, et Gepidis oriundos. Aeneas Sylvius, qui postea sub nomine Pii secundi Pontificis innotuit, iam dixit, nomen Sepusiae aut Scepusii ortum esse e Gepudio aut Gepidia. Multo copiosius idem defenderunt postea Johannes Froelichius, et Joh. Troesterus, quorum sententiam Toppeltinus amplexus est. Schwarzius putat, hos viros illam sententiam defendisse hoc laudabili consilio, ut reliquos Hungariae Transilvaniaeque incolas docerent, quam indigne aut spernerentur; aut opprimerentur Saxones, primi harum terrarum possessores, ab iis, qui sero demum illuc venerint. In sequentibus auctor minutatim recenset non modo virtutes Toppeltini, verum etiam errores, tum in vetere, tum in recentiore historia commissos. Diligenter etiam contulit libelli Toppeltiniani editionem Lugdunensem cum ea, quae nuper

nuper Vindobonae prodiit; qua comparatione facta intellexit, quantum haec ab illa discrepet, eiusque discriminis exempla multa passim commemoravit. In fine libelli suppeditavit quatuor diplomata, animadversionibus utilibus illustrata. Ceterum ex his, quae huc usque de hoc libro commemoravimus, satis apparet, auctorem multa lectionis copia instructum, et veluti praeparatum accessisse ad exercendam hanc crisin, in qua nobis, si non omnia, diligentiam certe et *ἀκρίβειαν* vehementer probavit.

PSYCHOLOGIAE SPECIMEN, AB ANDREA DRAGHETTO S. I. Metaphys. Prof. in Universitate Braydensi propositum, a Marchione JOSEPHO ORIGONO propugnatum Ao. cIↄIↄcclxxi.

Mediolani, ex typogr. Marelli, 9 plagg. in 8.

Auctoris consilium non est, hic rerum novitate praestantiaque inventorum lectoris allicere cupiditatem, sed, quae ab aliis, inprimis recentioribus philosophis Galliae Angliaeque, de mente humana sint inventa et tradita, suo modo enarrare, in ordinem redigere, et uberius explicare, vera quae sibi videantur confirmare, et falsa oppugnare. Sequitur rationem, quam dicunt analyticam, ita ut ex iis, quae sensibus percipiuntur, colligat vires, et ex viribus ipsam rei naturam explicet, aut a certis ad minus certa, a singularibus ad communia, et a simplicibus progrediatur ad composita. Etsi vero haec methodus, qua recentiores nonnulli, ut Diderotius, Buffonius, Condillacius, Bonnetus, Lockius, ad mentis humanae naturam explicandam sunt usi, ab adversariis vehementer sit improbata, et tanquam inutilis perniciosaque reiecta: eam tamen, dummodo, quae istis philosophis sunt crimini data evitentur, dignam sibi videri ait, quae hoc in genere caeteris praeferatur. Omnem igitur de vi natura-

que mentis humanae quaestionem dividit quatuor in capita, quorum primum exponit de *sensu* et *voluntate*; alterum de *Attentione*, *Memoria*, et *Voluntate*; tertium de *Imaginatione* et *Voluntate*; quartum denique de *Ratione* et *Voluntate*. Hic non nisi primum absolvitur, caeterorum tractatione in aliud tempus dilata. Animum definit simplicem, eamque existentiae (melius *sui*) consciam, quae nobis insit, substantiam, quae per corporis sensus res extra se esse cognoscat. Hinc clarumfieri dicit, animo inesse facultatem, res externas per sensus hauriendi et percipiendi, (sensibilitatem satis barbare vocat,) quae sese exserat, ubi qua res externa sibi illata fuerit. Ex sensibus, h. e. rebus per sensus cognitis, effici voluntatem, quae sit appetendi aversandique facultas. Veruntamen inter sentire ac velle haud mediocre intercedere discrimen, quod voluntas non prius sese exserat, quam per sensus in utramque partem, vel dolere, vel voluptate excitata fuerit. Quamquam, ut sensum omnem, ita ipsam doloris voluptatisque rationem, a nexu corporis pendere satis constat: modum tamen rei explicatu longe esse difficillimum. Arabum quidem sympathiam et antipathiam dudum esse explosam; non magis doloris voluptatisque rationem explicari statu illo corporis congruo et incongruo, qui diu in Scholis Philosophorum viguerit; non magis rationi convenire Bonneti aliorumque quorundam opinionem, qui, peculiari utriusque rei organo ficto, ad fibrillas confugerint, et adeo a naturae simplicitate recesserint; qui vero ad rem explicandam inducant mediocritatem quandam et extrema, rem obscuram per se sua interpretatione multo reddere obscuriorem ac difficiliorem. Igitur sibi videri caeteris praeferendam ait sententiam eorum, qui lege continuitatis rem expedire conentur, praesertim cum obiectiones adversariorum facile possint dilui. Caeterum Bonneti opinionem, qui contendere audeat, ne per Deum quidem fieri posse, ut, quod dolorem nunc nobis afferit, idem, mutata rerum conditione et natura, voluptatem excitet, ac contra, nullo

modo

modo admitti et probari posse propterea, quod etiamsi maxime concedatur, rerum essentiam esse aeternam, nec mutationem subire ullam; non tamen ideo efficiatur, et rerum quoque qualitates ac modos esse necessarios atque immutabiles. Deinde, quod sine summa in Creatoris libertatem prudentiamque iniuria statui non possit, illum necessitate quadam, invitum quasi esse commotum, ut has leges, hunc rerum ordinem, qui nunc sit, induceret ac stabiliret. Igitur, quae in hominis imbecillitatem non cadat rerum mutatio, eam adeo ipsius Dei vi et potentiae repugnare, statuendum non esse. De apathia, seu indolentia, etiamsi quae Stoici olim somniaverunt probanda non sint: non tamen simpliciter sensionum aliquarum apathiam esse tollendam. Ad extremum A. longus est in examinanda quaestione de *instinctu morali*, seu sexto, uti nonnumquam vocatur, hominis sensu, qui inprimis in Anglorum Scholis tantopere iactetur. Quodsi sensum quendam, qui regatur a mente et ratione, intelligant, negat A. quidquam novi exquisitive dici, quod non dudum ab omnibus sit concessum et statutum. Sin illum a mentis iudicio remotum putent, qui error sane istorum esse videatur, statuere aliquid, quod et summorum antiquorum philosophorum auctoritati, et rei naturae, et usui experientiaeque repugnet quam maxime. Nam neque intelligi, unde regatur ac pendeat; neque eundem se exserere in pueris, ubi tamen sensus plurimum vigeant, praesertim cum mentis indicio idearumque occursu non impediantur minuanturque; neque denique deprehendi in gentibus quibusdam barbaris, quae cum sensuum organis admodum excellant, sensu tamen recti honestique plane destitutae esse videantur. Huc accedere quod sensum moralem cum usu rationis et oriri, et augeri, et imminui ac perire satis constet; igitur eum non posse non arctissimo vinculo naturae cum ratione copulatum esse ac coniunctum.

Caeterum, quid nobis in universum de ratione Auctoris quam in explicanda mente humana sequitur, videatur, vix fieri potest ut declaremus, propterea quod nondum habe-

mus

mus compertum, quid in ſequentibus libellis ſit traditurus. Haud dubie tum etiam diſputabit de ſenſu interno, et voluptate, quae ex ideis, non proxime per ſenſus externos excitatis, efficitur. Etenim ſi putarit, voluptatem non niſi per ſenſus externos excitari in animo, falleretur, egregie, nec naturam ſequeretur ducem. In loco ubi ait, cum quinque ſenſibus inſtructi ſint homines, intelligi, eſſe quinque etiam rerum genera, non ſatis ſubtiliter differere nobis videtur. Nam, praeterquam quod in tanta animantium multitudine ac diverſitate, omnia in his terris hominum gratia tantum condita eſſe dici recte non poteſt, ſed rerum genera eſſe poſſunt, quae non in noſtros cadant ſenſus, ſed eorum animalium ſenſibus ſint ſubiecta, quibus vel uſui, vel noxae ſint: nec ex quinque ſenſibus totidem rerum genera recte conſtituuntur, ſed non niſi quinque rerum qualitates, ſeu modi ſentiendi fere unam eandemque rem. Nam vel omnino multa, vel certe perpauca inveniuntur corpora, quae non omnibus ſub quadam conditione ſubiecta ſint ſenſibus. Genus dicendi, quo A. uſus eſt, elegans, purum, ac perſpicuum, dici nullo modo poteſt, ita omnia barbariſmorum turba ſunt repleta. Namque praeter ſat multa verba dicendique formas, quae magis Scoti barbariem et obſcuritatem referunt, quam Ciceronis elegantiam ac perſpicuitatem, inſunt haud paucae phraſes, quas, ſi non ad Itali Gallicique rationem ſermonis retuleris, intelligere nullo poſſis modo.

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiae

Calendis Augusti Anno MDCCLXXI.

CHRISTIANI GUIL. THALEMANNI S. Theol. Lic. et Ecclesiastae Lips. Tractatus, de Nube super Arca Foederis commento Judaico, iterum editus cum Vindiciis, access. Commentatio de auctoritate Philonis et Josephi in historia rituum sacrorum.

Lipsiae, apud E. B. Schwickardum, 1771. 8vo. 172 pagg. praeter Praefat.

Liber hic ex diatriba academica, quae priorem eius partem constituit, conflatus, ob novitatem sententiae, quam exponere videbatur, varios nactus est adversarios, qui pro inveteratis opinionibus, ut fit, cassa nuce saepe vilioribus, sibi quoque tanquam pro aris et focis pugnandum esse putabant, quas vero ipsi obelo confixissent, humana earum origo ac plane fictitia si propius constitisset. Ex quo sane efficitur, ut, cum huiusmodi ingenia docta famam sibi pugnando conciliare putant, turpiter se dent, ac risum moveant. *Prima* igitur huius libri pars est: *de nube super arca foederis commento Judaico.* Imbiberunt etenim cum lingua Hebraica, a Judaeis tradita, Christiani multas fabulas, quas tanquam divinas exosculabantur, hac solummodo de caussa, quod a Ju-

daeis essent profectae, ignorantes, ingenium Judaeorum ita ferre, ut lepidis commentis suis fucum divinitatis et sanctitatis libenter inducant, sicque alia omnia prae suis veluti profana contemnant ac deprimant. Multi putarunt, se oraculis divinis magnum tribuere honorem, si linguam hebraeam κατ᾽ ἐξοχὴν *sanctam linguam* vocarent, nescientes, anguem latere in herba, et elogium hoc propterea fictum esse a Iudaeis, ut linguam Graecam, et Syriacam, qua libri N. T. scripti essent, tanquam profanam exagitarent. In hunc censum quoque refert Auctor libri doctissimus, traditionem de nube super arca foederis: non quo praesentiam numinis divini tabernaculo aut ipsi templo super arca foederis abiudicet, sed ut signum illud externum et adspectabile neget, idque ex triplici capite, ex oraculis divinis, ex auctoritatibus, ex natura rei ipsius. *Primum*, inquam, argumentum petitur ex dictis SS. ab dissentientibus quidem in partes vocatis, at male probantibus. De nube illa, seu globo interdiu umbroso, noctu autem igneo fulgenteque, quo Deus populo suo praeiverat viam ex Aegypto, constat ex Exod. XIII, 21. XXXIII, 9. &c. Ex his vero neutiquam consequitur, nubem illam, quae supra tentorium consederit, etiam intra ipsum tabernaculum demissam, locum eum, quem Deus futuram praesentiae suae sedem significaverat, inter Cherubinos occupasse, ut nempe externum eius signum et adspectabile nubes illa foret. Nil quicquam aliud fuit gloria illa Dei, quae commemoratur Exod. XL, 34. 35. nisi nebula, vel splendor aliquis eximius, quo Deus suae maiestatis praesentiam in ipso quoque tabernaculo declarari vellet qualis etiam apparuisse narratur in dedicando templo Salomoneo; diversus itaque ab illa nube, quae supra tectum eius consedit. Cumque haec gloria Dei non semper fuerit in toto tabernaculo, sed eo tantum tempore, quo illud dedicaretur: in eam necessitatem adiguntur qui sic sentiunt, ut eam, relicto sanctuario, reliquisque partibus tabernaculi, concessisse dicant in sanctum sanctorum, et quasi se contraxisse,

ut

ut perpetuam ibi ſedem haberet. Id quod vero nemo vidit. Aiunt quidem diſſentientes, nubem iſtam tecto tabernaculi inſidentem penetraſſe tectum, et in adytum deſcendiſſe, ut ſimul ſupra tentorium conſpiceretur, et intra adytum arcam cum Cherubinis obumbraret: ita *Lundius*, at qua quaeſo auctoritate? In partes quidem vocant Lev. XVI, 2. et Exod. XXV, 22. verum Auctor noſter bene monet, *τὸ* אראה nihil aliud ſignare, niſi *aditum ad me dabo*, conf. Exod. XXIII, 15. XXXIV, 24. Ieſ. I, 12. &c. Urgent praeter haec vocem פנים; at hebraiſmum notiſſimum ignorant, quo facies alicuius pro ipſo ponitur, et ſenſus eſt: *nemo in conſpectum meum veniat, nemo me adeat inani manu, ſine donis.* Sic etiam Exod. XXV, 12. 13. Aaron iubetur imponere ſuffitum igni coram Deo, *ut tegat illa nubes ſuffitus operculum, quod ſuper teſtimonio eſt, ne moriatur.* Fumus ergo ille ex ſuffitu appellatur *nubes*, haec nubes tegat *propitiatorium*, et hanc faciat *Pontifex, ne moriatur.* Quam vero interpretationem non eſſe novam, aut nudius tertius inventam oſtendit Auctor ex *Sal. Jarchio* ad h. l. *Kimchio* ad 2. Paralip. VI, 1. *Aben-Eſra* ad h. l. *Vitringa* Lib. I Obſ. Sacr. Diſſ. II. c. 4. §. 6. 7. Urgent denique Exod. XXV, 22. Sed nihil amplius inde efficitur, niſi Deum fore praeſentiſſimum populo Iſraelitico, non vero, eum velle praeſentiam ſuam declarare per nubem. Neque externo ſemper et adſpectabili ſigno cum Moſe locutus eſt Deus, ſed Moſes audiſſe tantummodo dicitur vocem Dei, Lev. I, 1. Num. VII, 89. Ergo nihil impedit quo minus ſtatuamus, ſic Moſen etiam in adyto vocem tantum audiſſe, nihil vidiſſe. Nec forma loquendi Exod. XXXIII, 11. פנים אל פנים quicquam amplius eſt, quam *coram*, conf. 1 Joh. III, 2. Reliquum eſt ultimum eorum, qui contra ſentiunt, perfugium Lev. IX, 24. ubi lapſus ignis in ſacrificia X, 2. ubi in filios Aaronis Num. XVI, 35. ubi in Koraitas ignis exiiſſe dicitur מלפני יהוה *a faciebus domini*, ergo e *nube.* Sed qui hebraica callet, in his *faciebus* nihil videt praeter particulam

 ante,

ante, ab. Id quod idoneis exemplis firmatur. Et si vel maxime ignis ex adyto, ut volunt, exierit, nulla tamen neceſſitas cogit ſtatuere, eiusmodi ſymbolum praeſentiae divinae in adyto fuiſſe. Nam et de coelo, h. e. ex aere miſſus divinitus ignis, et e terra erumpens a Deo exiſſe dicitur. Id quod illuſtratur ex *Philone* Lib. III, de vita Moſis pag. 676 et *Joſepho* Ant. Jud. III, 10. rectaque explicatione loci Lev. IX, 26. *gloria ſ. maieſtas Dei toti populo declarata eſt, etenim delapſus eſt* (ותצא) *ignis de coelo in ſacrificia.* Quo facto Auctor pergit ad tempus illud, quo ingreſſi iam erant Iſraelitae in terram Cananaeam, monſtratque nullum neque hic locum reperiri, ex quo nubem in arca ſediſſe appareat. Nam etſi Deus Lev. XVI, 2. ſediſſe ſuper Cherubinos dicitur, tamen hoc non ſequitur per nubem eſſe factum. Nec aliquid cogi poteſt ex vocabulo *ſedendi*, quod modo ſignat *manere, habitare*, ſine externo quoque ſigno; neque ex ſanctitate arcae, quam ne tangere quidem ulli fas eſſet praeter ſacerdotes. Tota enim arca ſymbolum fuit praeſentiae divinae. Accedit etiam hoc, quod, nubes ab arca ſi indivulſa in exercitu quoque fuiſſet, ad Palaeſtinos etiam, cum arca eſſet capta, cum eadem tranſiiſſet, quod nemo affirmare auſit. Et quid magis adverſum quam hoc, quod abſente etiam arca e tabernaculo, tamen non ſolum ſacra peracta a ſacerdotibus, ſed etiam facta dicuntur לפני יהוה, conf. 1 Sam. XXI, 7. (pag. 44. ſeq.) infringitur etiam argumentum *Lundii* et *Relandi* ex Pſ. XCIX, 6. 7. petitum. Tum devenit Auctor ad tempora templi exſtructi, ubi diſſentientes praeſidium quaerunt ex 1 Reg. VIII, 10 — 12. conf. 2 Chron. VI, 1. VII, 2. 3. Deum dixiſſe, *ſe habitare in caligine.* At enim iſta caligine, totam domum in dedicatione templi implente, Deus indicare voluit, ſe praeſentem huic templo aeque fore atque antea tabernaculo, non vero Schechinam ſ. nubem hoc modo templi adyto intuliſſe, quae ibi perpetuo maneret. (Pag. 47. ſeq.) bene quoque reſpondetur ad illa, quae *Lundius* et *Relandus* pro cauſſa ſua afferunt

runt

runt ex Ezech. IX, 3. X, 4. pariterque ex N. T. v. c. ad Ebr. IX, 15. ubi omnia, quae in ſancto et adyto fuerint, enumerat Paullus, et Cherubinos appellat χερȣβὶμ δόξης, quaſi *nubes* per δόξαν intelligenda eſſet, nec ſignificaret *adiective* ſplendidos Cherubinos.' Sic etiam Rom. IX, 4. ubi, praeeunte iam *Hunnio* ad h. l. δόξα de beneficiis ac iuribus Iſraelitis praeter ceteras gentes a Deo tributis dicitur. Conf. Sap. XIX, 22. *Alterum* argumentum petit Auctor V. Cl. a *ſilentio* antiquorum Judaeorum, maxime Joſephi et Philonis: quod quidem etſi aliis leve videatur, hoc tamen loco grave eſt, cum iſti viri, rerum Iudaicarum peritiſſimi, talia haud tacuiſſent, alias cupide quaerentes, quae ad gloriam popularium ſuorum facerent. Tacent autem in iis praeſertim locis, ubi commodiſſima, imo neceſſaria fuiſſet talia narrandi occaſio, et quidem *Joſephus* Ant. Jud. III, 5. 6. 7. 10. et Lib. VIII, 3. neque minus *Philo* Lib. III. *de vita Moſis* pag. 668. Libr. *de temulentia*, pag. 260. lib. *de profugis*, p. 465. Ex quibus omnibus planum eſt, de nube iſta nihil omnino eis cognitum fuiſſe. Accedit *tertium* argumentum, ex *ipſius rei natura*. Enimvero, cum haecce nubes nullo alio conſilio a Deo adhibita dicatur in ſacris literis, niſi ut dux viae eſſet Iſraelitis, et cum poſthaec neutiquam videatur adeo neceſſarium fuiſſe, aut tantae utilitatis, ut Deus adſpectabili ſigno ſuper arca habitaret, quoniam Iſraelitis ſatis iam certo perſuaſum fuit, Deum habitare inter ipſos; cum porro ſola arca poſſet omnes illos uſus praeſtare, qui nubi tribuuntur, cumque nubes illa, ſi ſignum adſpectabile praeſentiae divinae Iſraelitis eſſe debuiſſet, longe commodius in ſacrario aut alio conſpicuo loco locari potuiſſet, quam in adyto, quod nemini ex populo licitum erat adire, praeter pontificem ſemel quotannis, et quidem cum nebula ſuffitus, liberum adſpectum adimente; cum denique hoc pacto duae comminiſcendae eſſent nubes, una extra tabernaculum, altera intra illud ſuper arca, haud numeratis quae inſuper ſe offerunt difficultatibus: facere non poterit, quicunque rem

recte aestimarit, quin a partibus Auctoris stet, eiusque sententiam calculo suo comprobet.

Altera libri pars continet *Vindicias tractatus de nube S. A. F. oppositas Io. Everhardo Ravio, Theologo nuper Herbornensi.* *Contraire* enim dixerat Ravius V. Cl. Auctoris sententiam *universae eruditorum, cum Judaeorum, tum Christianorum cohorti, et esse Judaeis ad unum omnibus, ipsisque adeo Christianorum doctissimis, semper improbatam.* Quod quidem cum in se ridiculum sit auctoritatibus pugnare, quoniam inter omnes constat, multa, quae suo tempore doctissimi manibus pedibusque defenderint, hodie uno omnium consensu impugnari atque explodi; et auctoritates pari valore esse cum numeris: tum Auctor noster falsam esse *Ravii* criminationem fusius demonstrat, praeter adducta Philonis et Josephi loca, etiam ex antiquitate Christiana, cui toti haec nubes ignota fuisset. Ignoravit enim *Clemens Alexandrinus*, Strom. V. p. 563. et hebraicae linguae peritissimi, *Origenes Hom.* IX. ad Lev. XVI, 1. 2. *Hieronymus* ad Ps. XCVII, 2. qui, cum alias mire argutantur, atque allegorias captant, en, quam largam ipsis materiam haec nubes si nota fuisset, suppeditasset! Ignorarunt quoque alii doctores veteris ecclesiae, hebraicae linguae plane rudes, et unice pendentes vel a versione Alexandrina, vel a vulgata latina: *Cyrillus Alexandrinus* ad Lev. XVI, 2. et 13. Tom. I. Opp. ed. Aubert. p. 373. nubem ex odoribus, qua implendum erat adytum, removendumque e conspectu propitiatorium, pro symbolo praesentiae divinae typoque Christi habens; itemque *Lutherus* ad Ps XVIII, 11. Tom. II. Opp. Lat. Jen. fol. 188. inter alia haec scribens: *unde et in figura illud servatum est, quod super propitiatorium et cherubim nihil erat positum, quod videbatur, sed sola fide credebatur illic sedere Deus.* (p. 85. seq.) Auctor bene refellit oppositiunculas *Ravii* ex discrimine nubem inter et nebulam, neque minus ex loco Levit. XVI, 2. qui Ravio classicus est, petitas, addens duo argu-

argumenta, ſuam interpretationem aequo cuilibet iudici commendantia. 1) Si vulgari ſenſu capiatur locus ille: ne intret omni tempore adytum Pontifex, neque arcae appropinquet, *quia in nube ibi conſpiciendum me praebebo*, tum haec ratio nulla eſt, nec commodum ſenſum habet. Quomodo enim haec cohaerent: quia in nube videbor, propterea non, cum lubet, arcae appropinquet? Immo quia tantum in nube cernebatur, poterat quovis tempore ad videndum accedere ſicut olim populus quotidie in nube viderat. 2) Ex omnium confeſſione ab altero templo abfuit nubes illa commentitia, et tamen intemeratum manſit imperium Dei, Lev. XVI, 2. ex eoque ſemper egit Pontifex in ſolemni obſecrationis die, quod contra, ceſſante primaria cauſſa, facile potuiſſet negligi. Non moramur alia, quae Ravius contra Auctoris ſententiam protulit, quia tanti non ſunt, et ad invidiam ſcriptori faciendam ſolummodo pertinent.

Reſtat *tertia* pars: *de Philonis et Joſephi auctoritate in hiſtoria rituum ſacrorum*, ubi Auctor iuſtas querelas agitat de ſtudio Joſephi ac Philonis legendi turpiter neglecto, quia plurima eruditorum pars, coeco quaſi oeſtro percita, Rabbinica tantummodo ſectata eſſet, et vel doctiſſimi parum ſibi conſtitiſſent, ambabus manibus amplexi, ſi qua in re ſcriptores illos antiquos deprehendiſſent cum Rabbinis conſentientes, contra vero exſugillantes, ſi diſſenſiſſent, tamquam nugaciſſimos. Quapropter poſitis principiis iis, ex quibus fides ſcriptorum recte aeſtimanda eſt: docet 1) et Joſephum et Philonem idoneam habuiſſe rituum ſacrorum cognoſcendorum facultatem, et neceſſario ſciviſſe quae de iis traderent, e ſinceris omnia fontibus hebraicorum monimentorum, quos ipſos adeundi facultas eſſet, hauſta, et quod maximum eſt, ipſos cultus publici αὐτόπτας fuiſſe. Id quod evincitur variis exemplis, ſimulque nota inſcitiae Hebraicae linguae Joſepho ac Philoni adſperſa abſtergitur. 2) Oſtendit, utroſque eo fuiſſe ingenio, eoque animo, ut, quicquid de cultus

cultus publici ratione recte cognoſſent, id bona fide tradere vellent, nullasque falſi, veri contra dicendi graves cauſſas habuiſſe. *Primo*, quia per omnia ſcripta vere caſtum et religioſum animum ſpirant, et Joſephus in primis aperte profitetur, *ſe ex monimentis literarum, e quibus hauriat, nec demere, nec addere quicquam de ſuo audere*, Ant Jud. X, 10, 6. qui etiam ſcriptor fide dignus laudatur ab *Euſebio* Hiſt. Eccleſ. III, 9. *Iſidoro* Peluſ Ep. III, 19. IV, 75. etiam *Theophylacto* ad Matth. XXII, 7. et *Suida*; e recentioribus vero a *Joſ. Scaligero* Praef. ad Opus de Emend. temp. *Caſaubono* in Exercit. in Baronium, *Pagio* in Critica ad Annales Baronii &c. Et licet fuerint, qui cum iuſta laude mactaſſent Joſephum, errores eius et vitia non diſſimularent: tamen de his caute et modeſte iudicandum arbitratur Auctor doctiſſ. nec, ſi quaedam hiſtoriae ſacrae, antiquioris in primis aetatis, admiſcuit, quae in libris ſacris haud reperirentur, neque per ſe probari poſſent, non ideo illa conficta ab eo eſſe de induſtria et malo animo, ſed hauſta e monimentis ſcriptis, ſine iuſto fortasſe in omnibus delectu, alia paullulum immutata, non perverſa aut detorta, ad ingenium Graecorum, in quorum gratiam animum ad ſcribendum appuliſſet. Haud pauca denique ipſi exprobrata eſſe vitia, in chronologicis maxime, quae non a Joſepho vere profecta, ſed intruſa a doctoribus veteris eccleſiae ſint, et correcta ad graecam verſionem; et ſi quid Joſephus ſacris narrationibus *praeter* libros divinos adiungat, credibile putat Auctor doctiſſ. id depromtum ex iiſdem libris antiquis, e quibus Apoſtoli ſua de Ianne et Iambre, de cadavere Moſis &c. hauſerint. Qui ergo teſtimonium Rabbinorum in quolibet ritu cultus Levitici pluris faciant, quam Philonis et Joſephi eos aeque turpiter ſe dare et ridiculos eſſe, ac ſi quis in Romanae reip. hiſtoria et antiquitatibus maiorem fidem habeat Onuphrio Panvino Sigonio, Roſino, Nieuporto et ſimilibus, quam Livio, Dionyſio Halicarnaſſenſi, Dioni Caſſio, aliisque auctoribus graviſſimis. Denique inſtituit Auctor doctiſſ. comparationem Joſephi ac

Philonis

Philonis cum Rabbinis, partim quod ad *fontes*, partim quod ad ingenium historicum attinet. Quod ad *illud*, docet communem atque unum fere fontem Rabbinicae sapientiae esse Talmudem. Idoneum scilicet monimentum ad fidem historicam! *Primum* enim Mischna nihil aliud est nisi farrago opinionum et scitorum de rebus sacris, quorum auctores centum et triginta numerantur, aucta posthaec innumeris commentis in vasto Gemarae commentario. *Deinde* inter ipsas magistrorum de rebus ritibusque sacris sententias magnus est dissensus, alter repugnat alteri, et in alia omnia discedit, tantaeque hic fervent lites et controversiae, quae nullo modo possint in concordiam redigi. *Postremo* accedit, quod non ipsi solummodo auctores Talmudici dissentiunt, sed etiam inter Judaeos reliquos, ad hunc usque diem, vehementer magnoque animorum motu de eo certatur: utrum sit Talmudi fides habenda, nec ne? et adhuc sub iudice lis est. Id quod ipsi Iudaei, propterea in diversas et Rabbanitarum et Karraeorum sectas scissi, quorum illi traditionem, hi vero sapientiores solam legem scriptam amplectuntur, exemplo suo comprobant. Quanto magis ergo demiranda permultorum levitas est, qui *Maimonidi*, Talmudis epitomatori, tantam concedunt auctoritatem, ut scita eius oraculorum fere loco amplectantur, eumque tantis elogiis mactent, nihil ut supra esse possit. Quod vero attinet ad *ingenium* historicum, Rabbinos ab Josepho et Philone toto quod aiunt coelo differre, nulla eget demonstratione. Etenim cum Josephus in primis professione historicus, consuetudine optimorum Graeciae scriptorum probe excultus, Judaicis moribus fere exutis, ad illorum venustatem ingenium suum scribendique solertiam conformarit; hi contra ab omni ingenii cultu alieni reperiuntur, proclivesque adeo ad quaevis fingenda et credenda: quis contra hiscere ausit? Confirmat Auctor noster sententiam suam *partim* aliorum virorum doctissimorum iudicio et auctoritate, *partim* recensendis pudendis Rabbinorum commentis, de arca foederis (p. 157.)

de Cherubis, (p. 160.) de ritibus ad solemnem piaculi diem pertinentibus (p. 161.) de Paschae ritibus (p. 163.) &c. optatque ut Josephus et Philo in scholis eodem habeantur numero, eodemque adolescentibus inprimis studio commendentur, ac reliqui scriptores Graeci; nosque facere non possumus, quin vota etiam nostra cum votis Auctoris, qui et argumenti dignitate, quod tractandum in hoc libro sibi sumsit, et dicendi copia, atque elegantia stili latini, ingenium veterum scriptorum studio probe excultum prodit, iungamus.

THE RUINS OF POESTUM or Posidonia &c.

h. e.

RUDERA POESTI SIVE POSIDONIAE, urbis Magnae Graeciae in regno Neapolitano, continentes descriptionem s. prospectum Antiquitatum superstitum, tum antiquam eius iuxta ac novam historiam, denique Inscriptiones et Annotationes in Architecturam Doricam.

Londini, cum figur. aen.

Cum nihil sit tam novum quod dies non consumat atque ad interitum vocet, tum nihil adeo antiquum est ac situ confectum, quod non dies quoque et indefessum eruditorum studium eruat atque ab occasu vindicet. Cuius quidem rei testimonio sunt celeberrima illa Palmyrae ac Persepoleos monimenta, et his annumerandae quodammodo videntur, etsi minus aequiparandae, quas deinceps recensebimus, reliquiae. Constat hic liber vix IX. chartis, cuius cap. I. historiam Poesti urbis c. II. varias inscriptiones, c. III. coniecturas super inscriptione aliqua literis ignotis in

sarco

ſarcophago reperta, complectitur. Adiectae ſunt ad calcem quatuor figurae aeneae, quarum *prima* proſpectum Poeſti urbis, *ſecunda* templum Graecum, *tertia* templum quod *Vitruvio* eſt Amphiproſtylon, *quarta* templum Peripteron, ante oculos ſiſtit. In praefatione harum Antiquitatum detegendarum occaſio enarratur. Etenim Neapolitanus quidam, artis pictoriae alumnus, iter fecit Capaccium, viſitatum ſuos cognatos, neſcio quo caſu delatus in montes Poeſtum circumiacentes. Hic nulla hominum veſtigia, praeter humilem agricolae alicuius caſam, invenit. Attamen cadavera antiquae urbis oculos eius totos in ſe converterunt. Vix propius accedens obſervat muros, turres, portas ac templa. Reverſus Capaccium, rogat vicinos horum monimentorum originem, at nihil reſciſcit, praeter quam quod ea pars regionis, decem abhinc annis, ab agricola illo, cuius caſam vidiſſet, culta fuerit, qui locis nonnullis ſuffoſſis theſauros inveniſſet, ad plures agros coemendos ſufficientes. Adveniens tandem Neapolin, narrat magiſtro ſuo quae viderat. Hic novitate rei captus iter ſuſcipit ad proſpectum iſtius regionis delineandum. Qua de re rex certior factus, mandat has ruinas diligentius inquirere, et vindicare ab ea, qua ſeptingentos annos iam premebantur, obſcuritate. Expoſita igitur occaſione, Auctor pergit ad hiſtoriam Poeſti urbis ipſam. Poſidonia *Ποσειδωνια*, vel Poeſtum urbs, ſita eſt in anguſto quodam freto, freti Salernenſis parte, diſtans unum circiter lapidem a mari, tria milliaria Anglica verſus orientem ab ore Silari fluminis, et XX. milliaria Gallica Neapoli. Strabo Lib. 5.) ait: *ὁ κόλπος Ποσειδωνιάτης*, et *ἡ πόλις ἡ Ποσειδώνια παίσος, ἐν μέσω τῷ κόλπῳ κειμένη.* Silarus fluvius hodie Selo vocatus, diviſit olim a meridie Lucaniam ab agris Picentinis. Urbs ipſa nomen gerit a Neptuno, cui dicata fuerat. Id quod multae monetae, et monimenta lapidi angulari portae ſeptemtrionalis inſculpta, teſtantur. Plures urbes, Strabone et Pauſania auctoribus, hoc nomine inclaruerunt. De tempore, itemque occaſione mutati nominis,

nis, *Posidoniae* in *Poestum*, non constat. Salmasio iudice (Exercit Plin in Solin) Poestum nomen idem est cum Posidonia, contractum modo a latinis et corruptum. A.V.C. 480 Posidonia colonia Romanorum fuit, antiquum nomen id temporis gerens, brevi post nominis mutatio accidisse videtur, et quidem ex sententia Solini (Polyh c 2) a Dorensibus, colonia Aegyptiaca (Herod. Lib. 6.), Strabonis vero a Sybaritis condita fuit. Tempus quidem cum certo definiri nequeat, tamen de illius antiquitate dubitatio non est, Diodoro Siculo (Lib. 4.) Herculis Posidoniam advenientis mentionem iam faciente. Samnitae coloniam in istam regionem tum a Chaoniis et Oenotriis inhabitatam miserunt, qui novi coloni posthaec Lucani appellabantur. Antequam Graeci in Italiam venissent, haec loca nondum a Lucanis, sed a Chaoniis et Oenotriis incolebantur. Quibus vero expulsis a Samnitis, et colonia Lucanorum illuc traducta, Graecis denique utrumqne maris littus inhabitantibus, bellum diuturnum Graecos inter et barbaros ortum est. Neque horum eventuum tempus licet certo definire. Veri tamen simile est, hanc Samnitum coloniam iam ante Romam conditam emissam fuisse, nullo scriptore postero hanc regionem ab Chaoniis et Oenotriis habitatam commemorante, quare iam antea expulsi videntur. Neque ex aetate Pythagorae certi quicquam constat. Jamblichus et Diogenes Laertius Lucanos in eius discipulis numerant. Ex quo efficitur, hos, iam Tarquinii Superbi memoria coloniam celebrem, multo ante A.V.C. 117. a Samnitibus divisos in hancce regionem concessisse. Lucani Silarum Fluvium traiicientes Posidoniam aggressi sunt, quam etiam post praelia varia cum incolis, eorumque sociis, depugnata ceperunt Multi veteres coloni Lucanorum permissu remanserunt, conventus quotannis solemnes ad deplorandam libertatis iacturam agitantes. (Aristoxen. ap. Athenaeum). Capta Posidonia, omnes Graeciae magnae civitates foedus contra Lucanos iniere. Hi vero, Dionysio Syracusano in auxilium vocato, Thurium

f. Syba-

f. Sybarim adorti sunt. Graeci quidem coniunctis viribus oppidum liberare annitebantur, at caesi sunt ad internecionem usque 10000 militum. Quo facto Lucani spiritum sumentes, plura Italiae oppida hostili animo aggrediebantur, omnibus usque Crimissam in Calabria et Metapontum freti Tarentini sub potestatem redactis. A V C 423. f. 424. Posidonia ab Alexandro rege Molossorum obsidione cingebatur, sed ita munita fuerat a Lucanis, ut hinc, duabus licet reportatis victoriis, discedere cogeretur. Usque ad A. V. C. 480. urbs ista sub ditione Lucanorum fuit, his tandem, cum Pyrrho facientibus, erepta, Romanorum colonia facta est, (Strab. Lib. 6. Liv. Epit. 14. Vellej. Paterc. Lib. 1.) postea municipium, et quidem ante bellum civile; id quod Auctor variis Inscriptionibus probat. Tempore insequenti reipublicae Romanae saepius auxilium tulit. A. V. C. 528. D. Quintio Tarentum petenti, una cum Rhegio et Velia oppidis, classem obtulit XX. navium, (Liv. Hist. Lib. 23. 28. 29. 31.) Octo annis post (534.) urbs bello Punico implicita, vasa aurea Romam misit, quae tamen Romani cum grati animi testificatione remiserunt, (Liv. Lib. 22. cap. 36.) Quatuor annis post praelium Cannense A. V. C. 541. reipubl. Romanae et pecuniam et auxilia suppeditavit, (Liv. Lib. 27. c. 10.) quare et in magna gratia apud Romanos fuit. Sub Imperatoribus vero Posidoniae nulla fit a scriptoribus fide dignis mentio. Sub Leone IV. Pontifice R. multi Saraceni ex Sicilia in Calabriam et Lucaniam profecturi, ibi consederunt, maxime Acropoli, crebris exinde factis in regiones circumiacentes incursionibus. A. 866. *Docibilis*, Gaetae Dux, multum, vexatus a *Pandenolfo*, sed ad resistendum impar. petiit a Saracenis incolis Acropoleos auxilium. Qui Anastasiam prope Fundos appellentes, montes Foremiae occuparunt, inde Gorigliamum discedentes per 50 annos omnia circumquaque devastarunt, (Leo Ostiens. L. I. c. 43. Baron. Annal. 881.) Atenulphus Comes Capuae coactus tandem est, auxilia contr

 hosc a

e

hosce barbaros a Constantino VII. Orientis Imperatore petere. Quos etiam ingens Graecorum exercitus adveniens, sociis in talia manus iungentibus, ad internecionem devicit. At haec ipsa victoria cessit in urbis interitum. Etenim Saraceni in fugam versus Siciliam et Africam se recipientes Poestum antea direptum incendio delerunt, A. 930. (Leo. Ost. l. c. Luitprand. c. 14.) Multa tamen superfuere urbis splendidae huius rudera. Quae vero barbari reliquerant, et aedificia, et templa, ea destruxit *Robertus Guiscardus* A. 1080. reliquias Salernum comportari iubens ad exornandum templum ossibus S. Matthaei consecratum. O sancta simplicitas! Inter viros claros, quos urbs haec protulit, numerantur *Athamas*, *Simus*, *Proxenus*, *Cranius*, *Myetes*, *Bathylaus*, *Phaedo*, omnes discipuli Pythagorae, *Thestor* (Iamblich. de vit. Pythag. 33.) *Parmenides* (Diod. Sic. l. II. Dion. Halic. Lib. 9.) *C. Terentius Lucanus*. Urbs haec propter rosas bis per annum florentes, decantata olim a poetis fuit. Virg. Georg. Lib. 4. v. 118. Ovid. Metam. Lib. 15. v. 708. de Ponto Lib. 2. Eleg 4. Martial. Epigr. Lib. 4, 42. Lib 9, 26, 60. Propert. Eleg. Lib. 4, 5. Claudian. de Nuptiis Honor. v. 244. Auson Idyll. 14. Sequuntur iam 12 inscriptiones Poesti iuventae et urbis descriptio, quae figuram habet cubicam, ambitu duo cum dimidio milliaria Anglica complectens, et portas quatuor sibi invicem oppositas. Lapidi angulari arcus portae septemtrionalis insculptus est Neptunus, cum equo marino. Muri superstites lapidibus quadratis molis insignioris constant, turribus instructi diversae altitudinis. Regio urbis parum salubris est, ex una parte cincta palude, (sc. Lucaniae,) altera vero fontibus bituminosis, flumine insuper aquae sulphureae ac male sapientis ab oriente muros alluente. Id quod veteres iam tradidere (Strab. 5.) Quapropter prisci incolae aquae ductus aedificaverant, quorum rudera adhuc supersunt. In praecipuis Antiquitatum reliquiis Poesti, repertis, referuntur Theatrum, Amphitheatrum, et tria temple. Longissimus

Amphi-

Amphitheatri diameter 130 pedes, breviſſimus 90 aequat. Unum templum eſt hexaſtylon, columnis a fronte ſex, a latere quatuordecim, adeoque ſimul amphiproſtylon. Eiusdemque formae alterum templum, columnis a fronte IX. a latere 18. Quod genus *Vitruvius* Pſeudodipteron vocat. Tertium denique, magnitudinem reliquorum non aequans columnis a fronte ſex, et tredecim a latere inſtructum eſt, adeoque peripteron. Columnae omnes ſunt Doricae, quarum altitudo vix 5 diametros continet, et quae cum antiquiſſimis illis, quas Vitruvius Lib. IV, cap. 3. deſcribit, plane conveniunt, proxime accedentes ad truncos quercuum. Priſci etenim, cum aedificia humilia inhabitarent, columnae etiam, quibus haec innitebantur, humiles ac craſſae fuerunt, poſt lapideae eandem retinuere figuram. Vitruvio auctore (Lib. 4. cap. 1.) *Dorica columna, virilis corporis proportionem, et firmitatem, et venuſtatem in aedificiis praeſtare coepit.* Reſtat denique inſcriptio ignotis plane literis in ſarcophago reperta, ſuper qua eruditi iam varii varias agitarunt coniecturas, *Aſſemanno* literas iſtas pro Aegyptiacis, *Gorio* pro characteribus Gnoſticorum et Baſilidianorum, aut notis Tyronis, aliis pro literis Cupticis, &c. habentibus; auctore vero noſtro pro Phoeniciis aut Pelaſgicis, praeſertim quod Pelaſgi, originis Doricae, conditores Poſidoniae urbis fuiſſe videantur.

OBSERVATIONES SIDERUM, HABITAE PISIS in ſpecula academica ab anno LXV. vertentis ſaeculi XVIII. ad annum labentem LXIX. Juſſu et auſpiciis R. C. Petri Leopoldi M. E. D. in lucem editae.

Piſis, excudebat Auguſtinus Pizzornius, Praeſidum permiſſu, plagg. 10. c. tab aen. in 4. mai.

Praefatio maxima ex parte eſt hiſtorica. Auctor breviter narrat originem ſpeculae Piſanae; deinde agit de organis

quibus usus est et de modo ac ratione quam adhibuit, ut eorum vel exactam constructionem exploraret, vel vitia, si qua essent, cognosceret. Antea vero conqueritur de deperditis quibusdam astronomicis observationibus ad prelum paratis Vincentii Rineri discipuli illustris Gallilaei, quae, ut ipse dicit, ab hominibus specie religionis deceptis sublatae deperierunt.

Speculam ultimus Mediceae gentis M. E. Dux, Joannes Gasto, exstrui iussit, suadente Petro Francisco de Ricciis, Lycei Pisani tunc curatore. Coeptum est opus anno 1728. dirigente architecto Julio Fogginio, absolutumque anno 1735.

Organa quibus usus est Auctor, triplicis fere sunt generis: qnaedam inserviunt mensurae temporis; quaedam mensurae angulorum et distantiarum; quaedam denique phaenomenis, a conspectu oculorum remotis, spectandis.

Prioris generis sunt duo horologia automata, pendulo instructa, a Georgio Grahamio secundum correctionem anno 1726. Joannis Harrison summa arte ac studio elaborata.

Secundi generis sunt duo Quadrantes ex orichalco; unus immobilis radio hexapedali, alter mobilis radio tripedali, a Jonatha et Joanne Sisson Londini confecti. Porro Telescopium versatile, Micrometrum, et Telescopium parallatticum.

Limbus Quadrantis immobilis s. muralis dupliciter est divisus, nempe in gradus, et in partes quarum 96. constituunt angulum rectum. Telescopio autem orichalcio, quod est eiusdem longitudinis ac quadrantis radius, adiuncta est Nonnii divisio.

Sequuntur deinde pag. IX. observationes, quas auctor instituit ad examinanda instrumenta, et ad inveniendam lineae collineationis positionem, fixis nimirum iisdem prope verticem

verticem culminantibus, ex oppositis locis observatis, quarum observationum rationem etiam inserta tabula propofuit.

Invenit vero iis peractis, divisiones quadrantis muralis minus accurate et exacte esse descriptas, ideoque diligenti examini subiecit, et quantum potuit ab erroribus inde oriundis cavit.

Pag. XIV. describit Quadrantis mobilis constructionem et divisionem, quo tantum usus est ad observationes altitudinum correspondentium, eaque de causa nullum divisionum examen instituit. Eadem et sequenti pagina, telescopii, pinnacidii vice fungentis, constructionem et usum apte exponit.

His pag. XVI subiungit fusam descriptionem telescopii in plano meridiani versatilis, a Jonatha et Jeremia Sisson elaborati, atque partium eius compositionem studiose ostendit.

Pari ratione pag. XX. historiam Micrometri, eiusque usum refert. Primus omnium Hugenius anno 1659. in Systemate Saturnio eius descriptionem dedit. Auzout, Acad. Scient. Par. socius, et post eum Jacobus Bradleius, illud perfectius et ad usum commodius reddiderunt. Amplissima eius descriptio reperitur in Optica Roberti Smith, et in Astronomia de la Lande, ad quos auctor lectores ablegat.

Pag. XXI. pergit historiam Telescopii parallattici tradere, eiusque constructionem, usum, et compositionem demonstrare. Illud, quo usus est auctor, elaboratum est Londini a Jacobo Short, eiusque figuram etiam ad calcem operis apponi curavit.

Pag. XXVII. denique inter tertii generis organa praecipua esse docet, Telescopium refringens 15. pedum, a Josepho Campano elaboratum, et Telescopium aliud hexapedale Londini confectum.

Hanc prolusionem satis amplam sequuntur demum observationes ipsae. Totum opus divisum est in tres partes, secundum rationem observationum. Prima parte describuntur observationes, quae ad determinandam cum latitudinem, tum longitudinem huius speculae institutae sunt.

Ad inveniendam latitudinem auctor duplicem iniit rationem. Primum eam pag 1 — 5. definire studuit ex distantiis a vertice stellae α polaris superioribus et inferioribus, ad Quadrantem muralem observatis, et ad 1. Januarii 1768. reductis.

Distantiam a vertice reductam ad 1. Januar. 1768. invenit - - - - 44° 20′ 50″, 7.

Distantiam a vertice inferiorem, collatam cum distantia superiori - - 46° 16′ 55″, 3.

Ex quibus observationibus, quarum rationem tabulis propositis exhibet, erroribus tam divisionum quam lineae collineationis correctis, altitudinem Poli veram statuit - - 43° 43′ 4″, 7.

Fixarum loca desumsit ex fundamentis Astronomiae de la Caille, et Refractionem ex tabulis Bradleji.

Secundo pag. 6. eam inquisivit ex stellarum prope verticem culminantium observationibus. Ex distantiis a vertice versus Boream mediis ad idem tempus reductis

α. aurigae altitudinem invenit 43° 43′ 13″, 8.

β. aurigae - - 43 43 8, 1.

Ex distantia media versus austrum

γ. Andromedae - - 43 43 14, 1.

Denique ex observatis stellarum δ et β Persei distantiis a vertice speculae latitudinem statuit 43 43 7, 4.

Ad longitudinem autem definiendam comparavit p. 8. observationes eclipsium satellitum Jovis, Bononiae a peritis-

simis

ſimis aſtronomiae viris, Euſtachio Zanotto et Petronio Matteucio, in hunc finem inſtitutis, cum iis quas ipſe peregit.

Verum cum propter inaequalitatem inſtrumentorum adhibitorum errores facilius irrepere potuerint, auctor omnibus rite perpenſis, meridiani Bononienſis obſervatorii diſtantiam a meridiano ſpeculae Piſanae ad ortum ponit $0^h\ 4'\ 25''$; meridiani vero Obſervatorii regii Pariſienſis ad occaſum, $0^h\ 31'\ 28''$.

Addit deinde pag. 10. aliam obſervationem Eclipſis lunaris d. 29. Julii 1768. eadem ex cauſſa utriusque locis peractam, ubi minor diſtantia meridiani Piſani a Bononienſi inventa eſt. Verum cum obſervatio Piſis facta minus feliciter ſucceſſerit propter iniuriam tempeſtatis, et graves errores ex inaequalitate teleſcopiorum illabi potuerint, auctor prioris obſervationis determinationem huic poſteriori longe praeferendam exiſtimat. Unde priorum obſervationum diſtantiam confirmat, atque per obſervationes futuras comparandas accuratiorem dare promittit.

Sequitur pag. 15. altera pars, in qua continentur obſervatae Saturni et Jovis cum Sole oppoſitiones. Prima obſervatio eſt Oppoſitio Saturni anno 1765. In definienda longitudine uſus eſt auctor tabulis ſolaribus de la Caille et Planetariis Halleii. Comparatus eſt cum ſtella α poſita in Conſtellatione Ceti, die 22. Novembris, tempore medio $11^h\ 54'\ 24''$.

Notatur pag. 16. error tabularum Halleii

in longitudine	-	— 19′ 45″, 6.
in latitudine	- - -	+ 0 24, 0.

Tempus medium oppoſitionis die 23. Nov. ex tabulis correctis Halleii $0°\ 4'\ 58''$ fuit $17^h\ 37'\ 13''$. Unde error tabularum Halleii, ex anomalia media Saturni, et longitudine heliocentrica apparenti in tabulis, datur $0°\ 17'\ 23''$.

 Altera

Altera eſt pag. 17. Obſervatio Oppoſitionis Saturni anno 1766. Obſervatus eſt una cum ſtellis ζ Tauri et η Geminorum; exhibetur tabula differentiae ζ Tauri et Saturni tempore medio, die 6. Decembris $11^h\ 59'\ 4''$, et poſitionis apparentis Saturni. Animadvertitur error tabularum

in longitudine	-	— 17′ 8″, 1.
in latitudine	- -	+ 0 14, 9.

Porro: d. 7. Dec. temp. med. $11^h\ 54'\ 46''$ indicatur error tabularum

in longitudine	-	— 16′ 55″, 6.
in latitudine	- -	+ 0 24, 8.

exhibita tabula differentiae η Geminorum et Saturni, nec non poſitionis apparentis.

Pag. 20. tempus medium oppoſitionis die 7. Dec. ex motu diurno Solis et Saturni, ex obſervatione deducto, colligitur $20^h\ 47'\ 37''$.

Unde error tabularum Halleii ex tabulis eadem ratione collatis in longitudine invenitur — 0° 14′ 57″, 7.

Eadem pagina traditur Oppoſitio Saturni, anno 1767. Obſervatus fuit cum ſtellis μ, η, et γ, poſitis in conſtellatione Geminorum.

Proponitur tabula differentiae μ Geminorum et Saturni, et poſitionis apparentis Saturni d. 20. Dec temp. med. $12^h\ 5'\ 34''$. corriguntur que pag. 21. errores tabularum Halleii

in longitudine	-	— 0° 14′ 25″, 8.
in latitudine	- -	+ 0 0 6, 7.

tabularum Caſſini

in longitudine	-	+ 0 14 36, 7.
in latitudine	- -	+ 0 1 26, 9.

Pag. 22.

Pag. 22. 23 et 24. exhibentur tabulae differentiae η Geminorum et Saturni, et γ Geminorum et Saturni, nec non positionis apparentis, d. 23. Dec. temp med. 11^h 52′ 59″. Corriguntur errores tabularum Halleii

in longitudine	- -	— 0° 14′ 31″, 6.
in latitudine	: -	+ 0 0 24, 5.

tabularum Cassini

in longitudine	- :	+ 0 13 51, 8.
in latitudine	-	+ 0 1 42, 3.

Tempus medium oppositionis d. 22. Decembris colligitur 1^h. 18′ 35″. Ergo error tabularum Halleii in longitudine — 0° 12′ 43″.

Additae sunt pag. 25 et 26. tabulae comparativae motus Saturni eorum annorum, quibus fere in eodem orbitae loco, ad eandem restituitur positionem respectu Jovis, adiuncta columna errorum tabularum Halleii, ad stabiliendam sententiam, quam errores tabularum inventi in hisce oppositionibus confirmant, quamque Cel. de la Lande in Actis Acad. Reg. Sc. Paris. anno 1765. demonstravit, inaequalitatem motus medii Saturni nullis tribui posse Planetarum attractionibus. Nam motus Saturni singulis revolutionum annis mox tardior, mox celerior reperitur.

Sequntur pag. 27. Observationes Oppositionum Jovis cum Sole.

Comparatus est Jupiter cum stella γ, posita in constellatione Geminorum die 3 Febr. temp. med. 12^h 25′ 33″. Adnotatur error tabularum

in longitudine	-	+ 0° 2′ 49″, 1.
in latitudine	- -	— 0 0 41, 1.

Tempus medium oppositionis die 7 Febr. correctis tabulis erit 16^h 25′ 30″. Unde error tabularum Halleii ex anoma-

anomalia media Jovis, et longitudine heliocentrica apparenti, juxta tabulas erit + 0° 2′ 23″.

Pag. 29. Oppositio Jovis anno 1767. observata fuit una cum stellis β et δ positis in constellatione virginis.

Exhibetur differentia Jovis et δ virginis, die 7. Martii tempore medio 12^h 17′ 0″. Deinde positio apparens Jovis. Indicatur error tabularum

in longitudine	-	+ 0° 5′ 24″, 0.
in latitudine	- -	— 0 0 11, 0.

Pag. 30. differentia Jovis et β Virginis, die 9 Martii temp. med. 12^h 8′ 4″ cum positione apparenti Jovis. Eadem pagina differentia Jovis et δ Virginis d. 9. Martii temp. med. 12^h 8′ 4″ et Positio apparens Jovis; sumtoque medio harum observationum d. 9. Martii pag. 31. datur error tabularum

in longitudine	- -	+ 0° 5′ 34″, 8.
in latitudine	- -	— 0 0 10, 5.

Porro: Differentia Jovis et β Virginis die 10 Martii temp. med. 12^h 3′ 40″ et Positio apparens Jovis: Colligitur error tabularum

in longitudine	-	+ 0° 5′ 39″, 5.
in latitudine	- -	— 0 5 4, 0.

Erit ergo tempus medium oppositionis ex longitudine Solis d. 7. Martii, juxta tabulas, motuque diurno Solis, et motu diurno Jovis, ex observatione deducta d. 8 Martii 7^h 16′ 34″. Unde error tabularum Halleii eadem ratione deductus, + 0° 4′ 27″.

Pag. 33. Oppositio Jovis anno 1769. Comparatus fuit cum stellis δ et β Scorpii, α et ν Librae. Loca posterioris

rioris ſtellae deducta ſunt ex Catalogo Stellarum Zodiaci, qui reperitur in Tom. 6. Ephemeridum de la Caille.

Exhibetur poſitio apparens ad 8. Maii; Jovis et δ Scorpii temp. med. 12^h 0′ 6″ d. 7. Maii, differentia et poſitio apparens Jovis.

Porro Jovis et β Scorpii differentia et poſitio apparens eodem temp. med. Inde ſumto medio inter has poſitiones, deducitur poſitio apparens die 7. Maii, 12^h 0′ 6″. Indicatur error tabularum

in longitudine	-	+ 0° 10′ 4″, 0.
in latitudine	- -	+ 0 0 26, 9.

Pag. 35. Jovis et α librae differentia et poſitio apparens Jovis t. m. d. 8. Maii 11^h 55′ 40″.

Porro Jovis et ν librae differentia et poſitio apparens Jovis. Sumto medio inter utramque obſervationem d. 8. Maii t. m. 11^h 55′ 40″ poſitio apparens Jovis. Eruitur error tabularum

in longitudine	-	+ 0° 9′ 53″, 4.
in latitudine	- -	+ 0 0 24, 8.

Pag. 36. Jovis et α librae differentia, d. 9. Maii t. m. 11^h 51′ 13″, et poſitio apparens Jovis.

Porro Jovis et ν librae differentia poſitioque apparens: ſumto medio iterum elicitur error tabularum

in longitudine	-	+ 0° 9′ 56″, 9.
in latitudine	- -	+ 0 0 30, 6.

Sequitur pag. 37 et 38, tabula Jovis et α librae differentiae d. 10. Maii t. m. 11^h 46′ 46″, et Jovis et ν librae differen-

differentiae, collatis utrisque, ſumtoque medio, error tabularum poſitionis apparentis Jovis colligitur

in longitudine	- -	+ 0° 9′ 51″, 3.
in latitudine	- - -	+ 0 0 29, 6.

Pag. 39. denique eſt Jovis et α librae differentia die 11. Maii t. m. 11ʰ 42′ 20″, et poſitio apparens Jovis. Indicatur error tabularum

in longitudine	-	+ 0° 9′ 51″, 1.
in latitudine	- -	+ 0 0 29, 4.

Sumto medio inter errores ex ſingulis obſervationibus, error tabularum Halleii colligitur

in longitudine	-	+ 0° 9′ 55″, 3.
in latitudine	- -	+ 0 0 28, 3.

Tandem pag. 40. tempus medium oppoſitionis, die 8. Maii ſecundum rationes iam adductas datur 1ʰ 27′ 14″, errorque tabularum Halleii ex anomalia media Jovis et longitudine heliocentrica apparente, iuxta tabulas colligitur + 0° 8′ 7″.

Aggredimur ultimam partem pag. 41. in qua continentur obſervationes eclipſium Solis et Lunae, occultationum fixarum ſub Lunae diſcum, et eclipſium ſatellitum Jovis, earumque cum tabulis accuratioribus comparationes.

Primo loco eſt Obſervatio Eclipſis ſolaris, habita 16. Auguſti anno 1765. quae peracta eſt tubo optico novempedali.

Tempus verum initii eclipſeos	-	4ʰ 42′ 9″
Finis	- -	5 56 47

Adduntur tempus et menſura obſcurationis Solis.

Pag. 42. ſequitur Calculus initii et finis eclipſeos iuxta tabulas lunares Mayeri. Secutus eſt Auctor methodum

thodum Cl. V. de la Lande, in calculo, ad tabularum errores et tempus coniunctionis deducendum.

Exhibentur ergo pag. 42. Elementa calculi pro initio, et p. 42. pro fine eclipseos.

Ex his pag. 44. errores tabularum lunarium, maxima eclipsis et tempus verum Novilunii, deducuntur. Corrigitur Semidiameter lunaris ad eius altitudinem $0^s\ 0^\circ\ 31'\ 4'', 6.$

in longitudine	+	0	15,	8.
in latitudine	+	0	43,	4.

Tempus autem verum coniunctionis verae deductum ex observatione $4^h\ 20'\ 53''$.

Pag. 46. sequitur Observatio Eclipseos lunaris, die 24. Februarii 1766. peracta, tubo optico novempedali.

Initium penumbrae temp. vero	7^h	$2'$	$28''$.
Initium eclipseos	7	10	7
Finis eclipseos	9	26	7
Finis penumbrae	9	32	7

Subiuncta est supputatio eiusdem eclipseos iuxta tabulas Mayeri. Maxima eclipsis contigit iuxta tabulas temp. med. $8^h\ 31'\ 59''$. Corrigitur pag. 48. Semidiameter umbrae terrestris in lunae orbitam proiectae, propter umbram proiectam ab atmosphaera terrestri - $0^\circ\ 39'\ 43'', 0.$

et semidiameter umbrae - 0 39 43, 5.

Ex his supputationibus, iuxta tabulas, initium eclipsis

temp. med. habetur	7^h	$24'$	$16''$
finis	9	39	43
tempore autem vero initium	7	10	44
et finis	9	26	12

Unde tabulae initium eclipseos observatione tardiorem praebuerunt - - - 0' 0 37."
finem - - - 0 0 5.

In fine admonet Auctor, maiorem consensum tabularum cum observatione obtineri posse, si Cl. Astronomorum exemplo semidiameter umbrae maiori aequatione in priori, quam in posteriori phasi, augeatur.

Pag. 49. exhibetur Observatio Eclipsis Solaris habita die 5. Aug. a. 1766.

Initium eclipsis temp. vero datur - $6^h\ 23'\ 51''$.
adiectis reliquis obscurationis determinationibus. Finis non observari potuit propter demersionem Solis sub horizontem.

Pag. 50. ponitur Calculus pro initio eclipseos, iuxta tabulas lunares Mayeri institutus. Corrigitur distantia apparens Lunae a Sole, ob figuram telluris sphaeroidalem - - - $0^s\ 0^\circ\ 30'\ 17'', 8$.
semidiameter lunae ad eius altitudinem 0 0 14 44 ,, 2.
Error tab. Mayeri in longitudine + 0 16, 2.

Tempus verum Novilunii, deductum ex observatione, ponitur $6^h\ 25'\ 49''$.

Pag. 52. additur Calculus dimidii digiti obscurationis. Corrigitur distantia apparens centrorum Lunae et Solis - - $0^s\ 0^\circ\ 29'\ 9'', 8$.
Semidiameter Lunae horizontalis ob eius altitudinem apparentem + 0 0 0 1, 6.
Error tabularum in longitudine + 0 3, 9.

Tempus verum Novilunii, deductum ex observatione, obscurationis dimidii digiti $6^h\ 25'\ 23''$.

Pag. 53.

Pag. 53. exhibetur Calculus obſervationis unius digiti. Corrigitur diſtantia Lunae a Sole apparens ob figuram

telluris - -		0^s	$0°$	$28'$	$6''$,	6.
Semidiameter Lunae ob altitudinem apparentem -	+	0	0	0	1,	3.
Error tabularum Mayeri in longitudine - -	—			0	15,	0.

Tempus verum Novilunii, deductum ex obſervatione dimidii digiti 6^h $24'$ $42''$.

Admonitio in fine addita eſt de errorum tabularum et temporis Novilunii longe diverſa ratione ex initio eclipſeos et primis duabus phaſibus, minorisque auctoritatis aeſtimantur, partim propter continuam mutationem figurae circularis Solis prope horizontem et refractiones inaequales, partim propter iniuriam nubium.

Sequuntur pag 55. Occultationes fixarum ſub Lunae diſcum, obſervatae die 6. Nov. 1767.

Obſervatio peracta eſt teleſcopio Gregoriano quinquepedali. Propter coelum nebuloſum tantum obſervari potuerunt appulſus et emerſiones Stellae *p* et Lucidae Plejadum. Loca apparentia Stellae *p* deſumta ſunt ex catalogo Britannico Flamſtedii, et Alcinoe ex catalogo fixarum Zodiaci de la Caille, in tom. V. Ephemeridum.

Ex his obſervationibus deducuntur pag. 56. tempus coniunctionis Lunae cum Stellis obſervatis, et errores tabularum.

Adhibitis igitur tabulis Clairalti inquiritur primo loco longitudo Lunae vera pro tempore appulſus *p* Plejadum, et corrigitur Semidiameter Lunae ad eius altitudinem 0^s $0°$ $16'$ $33''$, 8.

Deinde longitudo Lunae vera pro tempore emerſionis, et corrigitur Semidiameter Lunae ad eius altitudinem $0^s\ 0^\circ\ 16'\ 33'',\ 3$.

Pag. 57. Motus Lunae apparens in longitudine ab appulſu usque ad emerſionem. Indicatur error tabularum lunarium Clairalti

in longitudine	- -	— 1′ 26″, 9.
in latitudine	-	+ 1 36, 8.

Denique tempus verum coniunctionis ſtatuitur $12^h\ 44'\ 15''$.

Hunc excipit pag. 59. Calculus occultationis Alcinoe ſub Lunae diſcun, die 6. Nov. 1767.

Corrigitur Semidiameter Lunae ad eius ad altitudinem

tempore immerſionis	-	0^s 0° 16′ 33″, 8.
et tempore emerſionis eadem		0 0 16 33, 2.
Error tabularum in longit.	-	— 0 1 25, 0.
in latitud.		+ 0 1 55, 1.

Tempus verum coniunctionis pag. 65. colligitur $12^h\ 47'\ 16''$.

Pag. 62. proponuntur: Immerſiones ſub Lunae diſcum ſtellarum *y* ſeu Alcinoe et *p* Plejadum, obſervatae 31. Dec. 1767.

Auctor uſus eſt iisdem tabulis de la Caille et Flamſtedii.

Appulſus *y* Plejadum ad Lunae diſcum obſervatus fuit

tempore vero	- -	5^h 25′ 13″.
p Plejadum	- -	5 28 17.

Corrigitur

Corrigitur pag. 63. pro momento appulſus Alcinoe

Semidiameter ad eius altitudinem	$0^s\ 0^\circ\ 16'\ 10'', 1.$
Parallaxis longitudinis ob figuram telluris Sphaeroidalem -	0 0 25 40, 5.
Itidem parallaxis latitudinis	0 0 33 33, 8.
Et pro momento appulſus *p* Plejadum Parallaxis longitudinis ob figuram telluris -	0 0 25 23, 1.
Itidem latitudinis - -	0 0 33 18, 5.

Pag 66. notatur error tabularum Clairalti

in longitudine - -	$+ 0'\ 6'', 9.$
in latitudine -	+ 0 11, 5.

Tempus verum coniunctionis ex differentia vera longitudinum Alcinoe et Lunae colligitur $6^h\ 19'\ 26''$.

Eadem ſupputatio inſtituta eſt pro appulſus momento Stellae *p* Plejadum ad Lunae diſcum. Corrigitur iterum error tabularum

in longitudine - -	$+ 0^\circ\ 0'\ 7''$,
in latitudine - - -	$+ 11'', 9.$

Tempus verum coniunctionis Lunae cum *p* Plejadum conſtituitur $6^h\ 16'\ 37''$.

Pag. 67. proponitur occultatio Stellae Antaris ſub Lunae diſcum, obſervata die 11. Febr. 1768. obſervatio peracta eſt teleſcopio Gregoriano quinquepedali. In calculo huius et ſuperiorum occultationum fixarum parallaxes longitudinis et latitudinis invenit auctor methodo Nonageſimi de la Caille.

Longitudo Lunae pro momento appulſus ſupputata eſt ex tabulis Clairalti.

Corrigitur Semidiameter Lunae ad eius altitudinem - - $0^s\ 0^\circ\ 15'\ 15'',\ 4$

Parallaxis longitudinis ob figuram telluris - -	0	0	30	36, 0
Parallaxis latitudinis -	0	0	44	15, 9

Deinde pro tempore emerſionis itidem corriguntur:

Semidiameter Lunae ad eius altitudinem - -	0	0	15	17, 3
Parallaxis longitudinis ob figuram telluris - -	0	0	18	32, 2
Parallaxis latitudinis -	0	0	48	56, 2
Error tabularum colligitur				
in longitudine -		+	0	51, 0
in latitudine - -		+	0	0, 5

Tempus verum coniunctionis conſtituitur $17^h\ 46'\ 50''$.

Pag. 71. ſequuntur denique: Obſervationes Satellitum Jovis, annorum 1767. 68 et 69.

Eclipſes horum ſatellitum partim comparatae ſunt cum tabulis Wargentini, editis una cum tabulis planetariis Halleii a. 1759. a Cl. V. de la Lande; partim cum tabulis eiusdem Wargentini correctis, quae reperiuntur in Cognitione motuum coeleſtium anni 1766.

Proponitur igitur pag. 72 et 73. tabula Obſervationum eclipſium I. Satellitis, pag. 74. II. Satellitis, pag. 75. et 76. III. Satellitis, pag 77. IV. Satellitis Jovis, unaquaeque earum continet quatuor ſectiones, quarum prima deſignantur anni, menſes, et dies ſecunda, tempus verum obſervationis; tertia errores tabularum; et quarta quae notanda ſunt in obſervatione.

30.

JO. GERHARDI, THEOLOGI QUONDAM JEnensis celeberrimi, Loci Theologici, cum pro adstruenda veritate, tum pro destruenda quorumvis contradicentium falsitate, per theses, nervose, solide, et copiose explicati. Denuo edidit, variique generis observationes, nec non praefationem, qua de vita et scriptis auctoris disseritur, adiecit, JO. FRIDERICUS COTTA, Theologus Tubingensis. Editio II.

TOMUS *I. II. III. IV.*

Tubingae, sumtibus Jo. Georgii Cottae; MDCCLXVII. in 4.

Est sane mira mutabilitas uti omnium rerum, ita quoque studiorum generis humani, quod raro ultro saeculum sibi ipsi placet, et dum semper novat, semper intra rudimenta consistit. Quod quomodo in toto fere campo eruditionis obtineat quaeque ibi vicissitudo, quae vanitas regnet, huius loci non est amplius differere; nota enim haec sunt. Sed philosophiae sane vicissitudines eo magis sunt animadvertendae, quo plus in Theologia ipsae immutarunt. Nam cum olim ea esset plane popularis, ordineque arbitrario differetur, videmus biblicos etiam libros ordine quidem suo, sed neutiquam philosophico scriptos, quia tunc id genus scribendi in Ecclesia antiquiore, tam Judaica, quam Christiana, parum colebatur. Dein cum pugnae cum subtilissimis Academiae defensoribus, diuturnae gravesque patribus existerent, et ipsis ex Platonis schola ad Ecclesiam transeuntibus, coepit Theologia Platonizare, non in verbis solum, vel via docendi, sed in placitis etiam nonnullis, quorum vestigia Mystici etiamnum retinent in omnibus religionibus. Sed postquam laxa Platonicorum ratio contra argutias brevitatis Peripateticae parum proficeret, praecipue cum de persona Christi

Christi tot haereticorum controversiae orirentur, tota Ecclesia sensim ex concretis in abstracta migravit, et Aristotelica tota effecta est, praecipue cum apud Graecos Damascenus, apud Romanos Lombardus, Theologiam in formam artificialem transfunderent. Lombardum vicit subtilitate Thomas, Thomam Scotus, et qui secuti sunt Scholae doctores opacae satis, sed non contemnendae, quanquam a paucissimis intelligatur.

Hoc tempore maiorum nostrorum, ad summum fastigium adscenderat, cum Lutherus et Melanchthon, uti coetum sacrum, ita et artem theologicam, aliud ad genus plane populare redigerent. Lutherus quidem acrius in Scholasticos et Canonicos doctores invectus, circa Mysticos haerebat; Melanchthon contra Scholasticam rationem mitigandam non tollendam suadebat, donec et ipse alias ob causas in odium adductus, cum omnibus placere vellet, apud neutros gratiam iniit. Post eius obitum Theologi nostri passim popularem Philosophiae et Theologiae, quarum fata semper mire fuerunt coniuncta, sequebantur, donec, colloquiis cum adversariis, qualia saeculo superiore multa erant, edocti, sine scholastica ratione, acerrimos disputatores Reformatos et Pontificios vinci non posse, quasi communi de sententia statuerent, spinis terminorum etiam suos agros et vineta sepire; quod etiam postea larga manu factum est, cum bello triginta annorum litterae humaniores nescio quomodo, desolatis Scholis per arma, et ipsae absoluissent. Creverant hae nimiae argutiae antecedente saeculo toto, et multas logomachias atque inanes haereses pepererat, donec patrum nostrorum memoria, nova facies philosophiae per Thomasium obtinere coepit, quae terminos ex avito deturbaret solio, blandumque et mite genus induceret, quod ab imperitis quoque et foemellis intelligeretur, quod ut utile reipublicae, ita severitati et firmitati litterarum facile detrahit. Inde etiam Theologi maluerunt elegantiores, quam acutiores esse, et affectata

affectata in omnibus fere linguis elegantia, plebi profuere, eruditis non item, qui multum legere cupiant, non multa.

Poterat in ea re salutare temperamentum iniri, ut nec contemnerentur scholasticae notiones, nec abundarent. Sed hoc nostro tempore nullum est. Nostri suavia sectantur, nec liber, nec doctor ullus placet, nisi lasciviat elegantia verborum, rerumque copia. Adstrictum, breve, et exactum genus contemnitur. Sic Philosophia apud nos non ratiocinatur amplius, sed sermocinatur; Theologia, quae semper solet velificari dominanti genio saeculi, iam in concionibus et praelectionibus deserta est potius, quam delecta. Quo fit, ut iuvenes in longo flumine orationis nihil intelligant, discant, dicant, mireque sibi placeant in exquisitis formulis et elegantiis, quae mera sunt verba praeterea que nihil, oderintque doctores mutos ac vivos, qui severiore modo doceant, quos omnes Scholasticorum nomine fastidiunt.

Libere querimur hic, cum ea res perniciosissima futura sit, Scholis, Academiis, et tandem religioni ipsi, dum confuse et vage discitur, docetur, scribitur, ut saepe nec caput, nec pes appareat rei de qua agitur prolixe, sed parum erudite. Inde tirones discedunt, qui libros et scamna multa contriverunt, nec proponere apte, nec distinguere subtiliter, ratiocinari vero aut respondere argumentis adeo nesciunt, ut inter denos vix unus inveniatur adolescens, qui fari latine, qui syllogismum accipere, aut in forma respondere possit. Magna opinione sapientiae suae impleti, in examine nec rudimenta prima disciplinarum tenent. Et hi nunc munia, cathedras, suggestus obtinent, quia meliores desunt, aut negliguntur. Jam si audietur: Hannibal ante portas, defendite regionem, disputando periclitamini, videbimus egregios propugnatores, qui nec primum congressum docti adversarii sustinebunt.

 Quo

Quo magis ſunt laudandi Theologi noſtri, qui priſcum et caſtigatum morem omni ſtudio ac labore revocare incipiunt, et praecipue antiquos heroas religionis noſtrae, ex pugna diuturna cum pulvere et tineis ad meliora certamina protrahunt, nec ſingulos ſolum libellos, ſed magna quoque ſyſtemata. Duo praecipue noſtra aetate ius antiquum recuperant, Hebenſtreitianum ſyſtema, per Ven. Schubartum denuo adornatum, de quo alia occaſione; et hoc, de quo nunc latius dicendum, Gerhardianum, quod Cottae diligentia quaſi novum genuit. Vtemur autem hac ratione, ut primum quid de ſingulis capitibus doctrinae nobis videatur aperiamus, deinde quid praeſtiterit Ven. Cotta, dignis laudibus proponamus.

Antecedit egregia Cottae praefatio, qua genium, fata, et ſcripta Gerhardi, copioſe et ſuaviter depingit, quod eo utilius eſt, quo magis viam aperit, qua magna ingenia ſolent Academiis praeparari, quorum vix decem quodque Saeculum alit. Fata viri, bello tricennali varie iactata, pietatemque huius magni et pacifici Theologi, libenter cognovimus, quae exemplo aliis eſſe poſſunt. Incipit igitur Gerhardianum ſyſtema ſtatim ab ipſo Articulo de Scr. S. omiſſa, quae in alterum Tomum reiecta eſt, doctrina de Theologia ipſa. Et mallemus ſane potuiſſe ea uno quaſi tenore tractari, ne ex tomo in tomum transmigrare opus eſſet, quod in tanto ſyſtemate facile lectorem confundit; ſed haec Gerhardi res eſt.

Tomo I. itaque, ut diximus, continetur locus de Scriptura ſacra, dogmatice tractatus: ubi duae iterum partes placuere. Prima de ipſa Scriptura, deque eius affectionibus quas dicunt, Auctoritate, Perfectione, Perſpicuitate, Efficacia, qua unicus Iudex eſt in controverſiis denique de Authentico textu et de verſionibus, egregia omnia obſervata leguntur. Altera pars, ubi praecipue agitur de ſenſu Scripturae,

et

et quibus ille ſit praeſidiis inveniendus, ea praecipue poteſt utilis eſſe iis, qui in alterutram partem peccant, ut aut omnia ad ſubſidia externa, linguas, philoſophiam, humaniora referant, de quibus vere dici poſſet, hic Deus nihil fecit; aut qui ex altera parte ſpiritu quodam putant ſe duce divinare; ubi Gerhardus Pontificios, nimium in ea re tribuentes Eccleſiae ſuae, egregie confutavit. Sequitur dein ipſe locus de Deo, primum in unitate, dein in trinitate conſiderato; ubi natura Dei, eiusque tot attributa ex ordine recenſentur. Quo in loco nobis placebat, quod optaremus ubique ab omnibus obſervari, quod philoſophicis rationibus, lucique naturae, ſuus honos magnopere habetur, atque egregiis argumentis, e ratione rerum petitis, divina natura, omnipraeſentia, aeternitas, iuſtitia, libertas, bonitas demonſtratur; dein exquiſitae in eam rem ſententiae ex Scripturis allegantur, denique ſimilibus locis Patrum, et antiquorum ac recentiorum Eccleſiae doctorum. In quo eſſet optandum, ut ſollicitius verſaremur, et ſtudium quod patriſticum appellant accurate tractaremus, ſine quo opifex eſt Theologus, ſed non artifex. Altera iam pars de Deo, agit primum de eſſentia, attributis, naturaeque unitate, ubi multa egregie ex philoſophia huc transferuntur, Scholaeque veteris doctoribus. Suaderemus praecipue hanc partem, ſi qui ſobrie et pie tamen velint de Deo philoſophari: videbunt, multa, quae hodie quaſi nova, magna cum ſpecie dicuntur, etiam a veteribus cognita iam fuiſſe. Calci huius partis addidit Cotta noſter eximiam diſſertationem, qua hiſtoriam doctrinae de Deo exhibuit. Facit autem has claſſes: 1) De Atheiſmo, ubi an? et quinam vere Athei fuerint, inquirit. 2) De multorum deorum cultoribus, praecipue de Manichaeorum opinione. 3) Tandem per ſingula attributa divina, recenſet quinam de hoc vel illo eorum perverſe ſenſerit. Agnoſcas in ea brevi diſſertatione, et acumen auctoris, et miram lectionis copiam; et confitemur, non ſine delectatione ac magno fructu nos eam legiſſe.

Agitur inde de Trinitate, primum ipsa; dein de singulis personis, Patre, Filio, et Spiritu Sancto ubi quidquid de essentia, relationibus, operationibusque divinis dici potest, subtiliter differitur; allegatis simul atque refutatis copiose qui secus sentirent. Tandem definit in incarnatione, statibus, et officio Christi. Laborat tota haec pars Theologiae, et semper laborabit obscuritate; quae cum insit rebus ipsis, intellectum omnem supergredientibus, mire aucta est omni tempore philosophantium argutiis, et Theologorum inter se altercationibus, ut accederet nunc etiam verborum obscuritas, quibus veteres, probabili tamen de caussa, involverunt quae a Scriptoribus divinis erant populariter proposita; hisque quasi vepribus communire orthodoxiam contra alienos voluere; quales sentes autem nunc totum fere Theologiae hortum pervasisse intelligimus, quod raro ipse doctor intelligit, quid sibi velint isti antiquitus recepti termini.

Veniamus vero iam ad Tomum secundum, qui aetati nostrae, quae in dies magis incipit ambigere, partim de toto complexu Scripturae, partim de singulis libris vel capitibus, atque unus litteratorum hanc, alter aliam partem, speciosis interdum rationibus, a canone avellit, et modo de fide scribarum, modo de sinceritate tradentium, modo de veritate historiae doctrinaeque sanctitate, dubitat; qui igitur, ut dixi, ita necessarius est, ut si fieri queat, ediscendus sit a nostris hominibus. Habet enim dissertationes criticas et philologicas, maximam partem quae ad integritatem auctoritatemque canonis valde sunt necessariae. Nam postquam de Theologia quaedam subnotasset, ac dein de auctoritate et origine Scripturae disseruisset; totus est primum in demonstrando, quinam sint libri canonici, quinam apocryphi; in quo magna cum eruditione res contra Pontificios agitur, ac dein tota series librorum canonicorum et apocryphorum, tam V. quam N. Testamenti, excellenter exponitur, cauteque et copiose, cur quisque liber auctoritatem habeat vel non, declaratur,

ratur, et teſtimonia Patrum larga afferuntur, ac praecipue contra Pontificios, ſubtiles in hoc genere diſputatores, res veritatis accurate agitur. Atque vellemus, Critices et Philologiae ſtudium magis valerent, quibus obliteratis, ut nunc fit paſſim, nec textus integritas, nec interpretationis certitudo, nec ipſa religio ſalva eſſe poteſt. Nam cum tot cuniculi agantur contra libros ſacros ex Critica, ex eadem reſpondendum eſt: nam paraeneſes, et bona vota, plebi ſatisfaciunt, eruditis non item. Inveniet hic lector multa ſcitu utilia ac iucunda, praecipue in Apocryphis V. et Deuterocanonicis N. T. e. g. in loco de Apocalypſi, quae nunc ingenia ſummorum virorum, ſive accuſantium, ſive defendentium, magnopere exercet, eritque fortaſſis per ſequentia ſaecula controverſus. Sed Gerhardus utrique parti ſatisfecit, ut putamus. Quibus ſimilis eſt locus de textu originali, de characteribus, ac praecipue de vocalibus ac punctis. Sunt alia minoris difficultatis, ut de perfectione et perſpicuitate librorum ſacrorum, de traditionibus, de norma fidei. Sed eſt alius locus de verſionibus, chaldaica, graeca, ſyriaca, arabica, valde utilis, cui non eſt impar, de latina, quam vulgatam dicunt, ubi quam parum auctoritatis, nedum divinitatis illa habeat, partim ex hiſtoria eccleſiae, partim ex naevis eius oſtenditur, Lutherique verſio contra criminantes defenditur.

Multum debet hic tomus reverendo Cottae. Nam quae poſt aetatem Gerhardi, in re critica et philologica ſunt addita, aut melius inventa, ea accuratiſſime in notis additis recenſuit, effecitque, ut liber per ſe utilis, et fere ultra aetatem ſuam in hoc genere locuples, multo magis locupletaretur, nihilque iam ſit, quod lector peritus deſiderare queat, cuius intereſt, quae diſperſa et rara ſunt, ea quaſi uno intuitu contemplari poſſe.

Tertius tomus fere philoſophicus eſt et theologicus, atque ea, quae ſubtilius dici de Deo et Chriſto poſſunt,

luculenter tractat. Et possumus sane audacter pronunciare, nihil novi a Gerhardi tempore usque huc inventum, dictum, vel scriptum esse, sed plerumque illa antiqua, aliis involucris obtecta, ut si quis hunc tomum legerit, intellectumque teneat, infinitis metaphysicis et theologicis dissertatiunculis facile careat. Et fortasse Gerhardi in humeris plures in alta sidera evecti sunt. Nam et quae argumenta adversariorum, et quae refutationes nostratium sunt, ea totidem verbis fere aut ipse Gerhardus scribit, aut e vetustioribus allegat. Qui cum copiose planeque grammatice, quae Theologia optima est, disseruisset ex usu vet. linguarum de nominibus divinis, subtilis dein est in demonstratione existentiae essentiaeque divinae, et qua est modestia, nimis philosophantium audaciam, in gravissimo argumento, reprimit. Pergit ad attributa divina ex ordine, quidque sit cum Deum dicimus Spiritum, simplicem, invisibilem, aeternum, immutabilem, immortalem, infinitum, immensum, omnipotentem, bonum, misericordem, iustum, omniscium, sapientem; quid sit voluntas, libertas, veritas, perfectio, maiestas, beatitas divina, copiose et argute ostendit. Ubi hoc laudamus, sobriam et modestam adhibitam esse philosophiam; et habet ea pars multa, quae serium lectorem valde teneant. Legat, cui volupe est, exempli loco, de iustitia et omniscientia Dei. Secus vero sentientium philosophemata et exposita sunt clare, et ipsorum quidem conceptis verbis, sine consequentiis temere illatis, et sine fraude aut iniuria retractata. Quae si acutum lectorem et ulterius tendentem invenerint, dubium non est, et Gerhardo et Cottae gratias acturum, quorum alter historiam dogmatum valde supplevit, quae post Gerhardum forte accesserint. Quibus absolutis, de Trinitate agitur, et loca N. Veterisque Testamenti, quae in eam rem a Theologis proferuntur, late explicantur, et ab obiectionibus adversariorum, et philosophicis et praecipue philologicis, vindicantur. Quae quidem omnia magnam libri partem absumunt, et eo magis sunt necessaria, quo diffusius est et intricatius nego-

tium

tium, ſingula loca contra acutiſſimos philologos defendere. Poterunt haec excitare ſtudium iacens litterarum, et iuvenes noſtros attentiores reddere, ne, ſi vulgatum compendium, non contemnendum tamen, forte et craſſa dictata magiſtri, mente aut axillis ſaltem gerant, ex tripode ſe iam ſapere putent. Annexa eſt hiſtorica enarratio omnium eorum, qui in graviſſimo hoc Trinitatis articulo olim lapſi ſunt, erudita et locuples, quae ab rev. Cotta aucta eſt et ſuppleta. Tertia denique huius Voluminis pars agit de Chriſto, eiusque et onomatologiam bene exponit, et de utraque natura, divina atque humana, unioneque, et inde ortis propoſitionibus quam idiomaticis, eiusque generibus tribus, agit. Ubi non ſubtilitas ſolum, et mira lux, quae difficili huic, et a multis confuſe tradito articulo infuſa eſt, obſervatur; ſed et adverſariorum, praecipue Socinianorum, Reformatorum, Pontificiorum ſententiae, accurate proponuntur et refelluntur. Nec facile meminimus, nos quidquam in eo genere praeſtantius legere. Brevibus dein de ſtatibus et officiis Servatoris, tomo finis imponitur.

Sed quartus tomus ea ipſa uberius proponit. Eſt enim eo utilior, quia Cel. Cotta praefixit quatuor diſſertationes, quae egregiam huic loco de Chriſto lucem poterunt accendere. Sunt enim hiſtoricae, in quibus mira varietate et diligentia collectum eſt, quidquid olim de Servatore eſt exiſtimatum. Et eſt hoc genus litteraturae eo magis laudandum commendandumque, quo difficilius eſt diffuſiusque. Ignorantia eſt, nihil niſi ſuae religionis placita ſcire. Prima itaque continet hiſtoriam ſententiarum de Chriſti perſona, ab antiquisſimis temporibus uſque ad noſtrum aevum deductam; altera de ſtatu et officio mediatoris; tertia de redemtione; quarta de ſatisfactione, eundem ad modum agit. In quo nobis caput videtur rei, non quaſi ad ſcopulum adhaerere uni vel alteri libello, quem forte conſuetudine ducti elegerimus, doctorive, ſed latius exſpatiari, videreque etiam quod

quod alii de hoc vel illo ſtatuerint. Pergit Gerhardus ad Creationem, ubi multa dein et plane ſubtilia de angelis bonis malisque diſputantur, quae noſtra aetas repetiit potius, cum utrinqne diſputaret, quam ut multa nova inveniret. Sequitur de providentia, quae omni tempore, uti arcana, ita venerabilis fuit, multisque dubitationibus obnoxia, quia animus humanus, ſua anguſtia, latiſſimos campos, quibus ſe ſapientia et iuſtitia divina pandit, capere non poteſt. In quo Gerhardus et ſui temporis adverſariorum, et inſequentium praeviſa tela, quae nunc integris libris proferuntur, ita comminuit, ut ſi quis brevia et pauca illa teneat, ſatisfacere facile diſceptantibus de providentia poſſit. Neque minus hoc dictum eſto de praedeſtinatione eiusque partibus, in quo per omnem aetatem, ut iam Plinius maior annotavit, genus humanum duas tresve in opiniones eſt diremtum, ut alii negarent a diis praeſciri aut regi caſus humanos, alii temere ea fieri putarent, alii vero ad fatum inclinarent, quod ſemel conſtitutum omnia ſuo tempore ferret traheretque. In quo ſemper non Philoſophi ſolum veteres, ſed et Chriſtiani, quin ipſa Eccleſia diſſentire ſolita eſt, invidioſis interdum, vel etiam ſubtilioribus argumentis inter ſe uſi. Et quamquam nobis heri natis de aeternis Dei conſultis pauca liquent, eſt tamen res digna indagatione, in qua Gerhardus copioſe et graviter verſatus eſt. De imagine Dei, de qua omni tempore, ut aliquis collegarum noſtrorum recte iudicavit, valde ſomniatum eſt, dum quisque rem, pauciſſimis et cautis verbis in verbo Dei propoſitam, pro imaginatione fingit ſua, addit, demit, mutat quod vult, in ea tractatione Gerhardus mediam viam abit, ut nec ultra, nec citra Scripturam conſiſtat, refutetque, quorum luxurians ingenium ſibi Paradiſiacum hominem finxit: in quo praecipue dupliciter peccabant, et ii qui abiecte ſentiebant, nihil aliud quam innocentem ſimplicemque rati, et qui alia ex parte angelum neſcio quem ſibi fingebant, non hominem primum. Optaremus, unum hoc, ut Cottae noſtro placuiſſet, etiam harum opinionum

hiſtoriam

historiam intexere pro ubertate sua, qualem nuper Ven. Koernerus dissertatione quadam complexus est. Claudit hanc partem locus de peccato originis, in quo Gerhardus rem tot dissensionibus exagitatam, non solum dictis, sed rationibus potissimum confirmat, ut vix reperturi sint quid contra dicant, qui post Gerhardum hanc doctrinam, caput religionis, evertere voluerunt.

Haec igitur hactenus diximus, rem gratim facturi, si non iis, quibus nihil nisi recentiora et calamistrata placent, tamen iis, quibus Gerhardus et Cotta, id est optima quaeque, placent. Reliqua propediem.

DISSERTATIO GRADUALIS DE GOTHIS, Graeciae Aboriginibus: quam sub praesidio — Dom. JOHANNIS IHRE — d. XXX. Maii anni MDCCLXVII. ad publicum iudicium defert Stipendiarius Rhyzelianus, ANDREAS ESSE, O-Gothus.

Upsaliae, apud Joh. Erdman, Reg. Acad. Typographum, 10 pagg. in 4to.

Populorum antiquissimorum origines ita perscrutari, ut haud unquam ab veritatis tramite deflectas, nemo est qui neget opus esse multo difficillimum. Hae enim tot tantisque tenebris involutae saepius sunt, ut vel ipsius gentis, ex qua ortum traximus, et inter quam degimus, incunabula nos maximam partem lateant. Quod igitur studium, quo difficilius, eo laudabilius est, et non possumus non diligentiam doctissimi *Ihrii*, quam in *Gothis Graeciae Aboriginibus* peculiari disputatione evincendis posuit, valde approbare. Argumentorum, quibus sententiam suam fulciendam

esse putavit, summa huc redit: Getae atquae Thraces cognationis vinculo aliquo inter se continebantur, unaque utebantur lingua. Ab utrisque originem duxere Pelasgi et Attici, antiquissimi, quod constet, Graeciae incolae. Getae autem atque Gothi una eademque fuerunt, diversa tantum nomine, natio. Ante vero quam ad arcem disputationis accedamus, commemorandum est, quid auctori facem potissimum ad hanc coniecturam praetulerit. Cognatio scilicet antiquae linguae Gothicae cum Getica, utpote quae tanta est, ut non duae linguae, sed solummodo unius eiusdemque linguae dialecti habendae sint. Mirum quidem non est, ex Graecorum coloniis, in veterum Scytharum regiones deductis, et crebro, quod inter utramque nationem et belli et pacis tempore intercedebat, commercio, haesisse aliquam utriusque linguae mixturam: at enim Graeca lingua cum antiqua Gothica, non vocabulis solummodo, sed etiam genio, forma loquendi, ac verborum constructione et flexione, imo tantum non in omnibus, convenit. Quapropter vero haud dissimile videtur doctissimo ab *Ihre*, unam esse communem utriusque linguae matrem, eamque non aliam nisi linguam Scythicam. Qua quidem in sententia hoc magis se confirmatum putat, auctoritate veterum Graecorum, primos Graeciae incolas Scythas, aut si mavis Getas asserentium, illosque, qui ante diluvium Deucalionis, et ante ingravescentem Hellenum potentiam, Graeciam tenuissent, Getice esse locutos. Hoc loco prima tantummodo sententiae suae lineamenta, alio tempore magis exornanda, ducit, eaque ad quinque omnino positiones, singulas auctoritate sua communitas, refert.

POSITIO I.

Ante quam Hellenum nomen oriretur, Graecia ab aliis populis diversis, communi barbarorum nomine insignitis, habitata fuit.

Id

Id quod paſſim Graecorum teſtimoniis, paſſim auctoritate Platonis, in lingua Graeca multa verba exotica, et a peregrinis coloniis introducta, fuſe demonſtrantis, et haec tandem adiicientis: Barbari nobis ſunt antiquiores, evincit. Hisce adiungit, Hellenum nomen ab Hellene, Deucalionis filio, ante cuius tempora Graecia incolis iam fuerit frequentata, ortum, atque Homeri adhuc aetate nonniſi incolis, Phtiotidos, ubi Hellen regni ſui ſedem ac domicilium habuerit, proprium fuiſſe.

POSITIO II.

Inter antiquos Graeciae incolas, ante Hellenum memoriam, Pelaſgi praecipui fuerunt, et horum pars Attici.

Efficit hoc auctor noſter ex Herodoto, regionem iſtam, quae ipſius tempore Hellas vocaretur, olim Pelaſgiam appellatam fuiſſe dicente, itemque Iones, donec Achaiam tenuiſſent, quinimo ante Danai adventum in Peloponeſum Pelaſgos Agialeos, ſive Pelasgos ad oras maritimas, audiviſſe, poſt demum Iones, ab Ione Xuthi filio. Atticos vero itidem Pelaſgos diſerte nominat Herodotus, eosque docet ſub rege Cranao Pelaſgos Cranaos, ſub Cecrope Pelaſgos Cecropidas, ſub Erechtheo autem Athenienſes, et denique ſub Ione Xuthi filio Iones eſſe cognominatos. Theſſalia quoque, auctoribus Strabone, Thucydide, et aliis, antea Pelaſgia, poſt Aemonia, (id quod tamen non omni exceptione maius eſt,) denique Theſſalia vocabatur, tertia circiter parte huius regionis antiquum nomen Pelaſgiotidos adhuc retinente. Quid? quod tota Hellas, ſecundum auctoris noſtri ſententiam, a Pelaſgis fuerit habitata, donec multis ſeculis poſt ab Hellenibus invaleſcentibus diſpergerentur, et diverſis in locis, praeſertim in Italia, ſub nomine Graecorum inclareſcerent.

POSITIO III.

Et Pelasgi et Attici ex Thracia, adeoque a Scythis originem duxerunt, barbaram linguam locuti, suisque litteris partim Pelasgicis, partim Atticis usi.

In partes vocat *Ihre* doctissimus Herodotum I. 57. qui cum dixisset, duo olim populos, et Pelasgos et Hellenes, imperium Graeciae divisum habuisse, addit: se quidem pro certo dicere non posse, qualis Pelasgorum lingua fuerit, attamen, ab his Pelasgis, se vivente claris, h. e. ultra Thyrenos Crestonem urbem habitantibus, ad illos si valeret argumentatio, fatendum esse, Pelasgorum linguam barbaram fuisse. Auctori quidem nostro non ignotum fuit, Thyrenos Italiam incolentes hoc loco ab Dionysio Halicarnasseo intelligi, ac pro Crestone Crotonem legi: attamen non dubitat, quin Herodotus Thyrenos, qui de Pelasgica stirpe fuissent, atque Thracicam urbem Crestonem, ad iugum Athos montis sitam incoluissent, spectarit. Res quidem utut vera sit, evidentioribus tamen testimoniis Herodoti effici potuisset. De Atticis ex Thracia oriundis dubitatio non est, si semel probatum fuerit, Pelasgos, quorum partem Attici constituebant, origine Thraces fuisse. Probat istud auctor quoque adducto aliquo Heratael Milesii ex Strabone loco, ubi Thraces cum Eumolpo advenientes Atticam possedisse traduntur. At enim vero ex hoc, quod Pelasgi Atticique Thracicae originis fuerint, nondum sequitur eos fuisse Scythas, propterea quod Thracia ab Veteribus non ad Scythiam refertur, sed utraeque ab Herodoto, in descriptione expeditionis Persicae contra Scythas tempore Darii Hystaspidis, invicem a se probe distinguuntur. De barbara vero Pelasgorum et Atticorum lingua per se constat, evicta semel origine eorum ex Thracia. Hoc vero plus habet difficultatis, quando Auctor noster ait, Pelasgos suis usos fuisse litteris, partim Pelasgicis, partim Atticis vocatis, et se hac in re

sequi

ſequi auctoritatem multorum Graecorum, Pelaſgis ſuas tribuentium litteras; modo hoc dubium videri, an iſtas primi invexerint, et an litterae illorum eaedem fuerint quae temporis ſucceſſu communi uſu venirent. Ex plurimorum quidem eruditorum ſententia, Cadmum fuiſſe Graecarum litterarum inventorem; attamen haud deeſſe, ex quorum numero Euſtathius fuerit, qui putent, litteras non tam a Cadmo eſſe inventas, quam in aliam formam tranſmutatas. Nec de nihilo eſſe, quod Suidas aſſerit: Demoſthenem nomine Atticarum litterarum antiquas innuiſſe litteras, et Heſychium pariter litteras Atticas, haud dubie cum novis et exoticis Phoenicum comparatas, pro antiquis et domeſticis declaraſſe. Quam rationem doctiſſ. *Ihre* ex his, quae ſumit, concludere velit, haud difficile eſt perſpectu, nimirum litteras Pelaſgicas fuiſſe illas antiquas Graecorum, et domeſticas. At enim hoc non ſequitur. Etenim Attici, cum partim Pelaſgi fuerint, partim Hellenes, partim Aegyptii, ſequitur, ut litteras ſuas aut qua Pelaſgi, aut qua Hellenes, aut qua Aegyptii, in Graeciam invexerint. Ad priora Auctor nihil reſpondet, hoc tantummodo defendit: Graecos a Cadmo non accepiſſe litteras, et quidem quinque argumentis, quorum ſingulorum cenſum inibimus. 1) Attici, ſi litteras ſuas a Cadmo accepiſſent, ſequeretur, Alphabetum eorum XXII. litteris conſtitiſſe, quod tamen ſecus fuit, cum Graeci ab initio non niſi XVI. numerarent. At enim claudit argumentum, poſtquam a doctis evictum eſt, Alphabetum Cadmi Graecorum numquam XVI. ſed XXII. conſtitiſſe litteris. 2) Graeci litteras Z et X nonniſi poſt bellum Troianum in Alphabetum ſuum retulerunt, cum tamen genius linguae Graecae eas poſtularet ipſumque Alphabetum Phoenicium ſuppeditaret. Aeque falſum. 3) Plinius VII, 58. et Tacitus Annal. XI. dicere haud potuiſſent, vetuſtiſſimas Graecorum litteras formam

atinarum retulisse, si Samaritanas putassent, nec Romanorum quempiam inscriptionem Statuae, in templo Dianae Servii Tullii tempore erectae, legere potuisse, litterae istae, Dionysio Halicarnasseo auctore L. I. p. 230. antiquo-graecae si fuissent Samaritanae. At enim hoc loco uctor noster non meminit, literas Samaritanas, Phoenicias, Graecas, et Romanas, olim fuisse easdem. 4) Herodotus Lib. V. 59. literas Cadmeas, tripodibus in templo Apollinis Ismenni ad Thebas inscriptas, non tamquam singulare quid annotasset, si ipse eas et tota Graecia usurpasset. At enim hactenus tamen monimenta illa indicare potuit, ut coaetanei eius, quid inter antiquas litteras Cadmeas, et mutatas Cadmeas sive Ionicas interesset, viderent. 5) Cadmus scripsit a dextra versus sinistram, Graeci contra a sinistra versus dextram: occurrere quidem, ait celeberr. ab *Ihre*, in primis apud Havercampium, monetas Graecorum non paucas, in quibus litterae sinistrorsum ductae videantur; at hoc magis tribuendum esse sculptorum negligentiae quam usui inter Graecos recepto. Herodotum in Euterpe c. 36. diserte affirmare, inter alia Graecos ab Aegyptiis hac in re differre, quod a sinistra versus dextram scriberent. At Herodotus de ratione scribendi solummodo in vita quotidiana, non vero in monimentes atque monetis solita, loquitur; praeter haec tempora quoque probe distinguenda sunt, et tum concordabit scriptura.

POSITIO IV.

Thraces a Gothis non nisi nomine differebant, origine vero et lingua conveniebant.

In

In partes iterum vocat doctiss. *Ihre* Herodotum, Stephanum Byzantinum, Strabonem, et Melam, qui quidem Getas inter incolas Thraciae numerant, sed propterea non Getas et Thraces pro uno populo habent. Ad communem autem originem iuxta ac linguam Getarum atque Thracum evincendam, illi haud leve momentum videtur esse hoc, quod Ulphilas, religionis per Thraciam et Moesiam propagandae caussa, litteras sacras in Geticam linguam transtulerit; exinde planum esse, quod Thraces hanc linguam locuti sint.

POSITIO V.

Getas vero eosdem esse cum iis, qui deinceps Gothi nominabantur, tam certum est quam quod certissimum.

Reiicit hoc loco Auctor noster Lectorem ad Georgium Stiernhjelm, Ioh. Loccenium, et Robertum Sheringham, qui hoc evidentissimis veterum testimoniis contra Cluverum evictum dedissent, clauditque disputationis stadium hisce verbis: ante quam hunc laborem finiam, in mentem venit, quod Herodotus, sive potius legatus Atheniensis, pro sententia mea in Polymnia ait, Atticos antiquissimum esse populum, (inter reliquos scilicet Helladis incolas,) unosque inter Hellenas, qui sedes suas non mutarint, et idcirco se Autochthones, hoc est Aborigines, testante alibi Herodoto, vocarint. Ex his igitur facile est perspectu, unde tam multa Gothica in Graecam linguam venerint, et cur, auctoribus Diodoro Siculo aliisque

aliisque ſcriptoribus graecis, tam arcta Hyperboreos in-
ter et Atticos amicitia, tamque crebrum commercium in-
terceſſerit. Neque minus ratio exinde facile patebit,
cur tantus fuerit legum ac conſuetudinum Gothicarum
et Atticarum conſenſus. Id quod multis, iisque val-
de evidentibus exemplis, edocuit doctiſſimus Carolus
Lundius in Praefat. legum Uplandicarum, ad quem au-
ctor Lectorem amandat.

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiae

Calendis Septembris Anno MDCCLXXI.

ASTRONOMIE, &c.

ASTRONOMIA, AUCT. DOM. DE LA LANDE, Regio Matheseos Professore, Acad. Reg. Sc. Parif. Londidinensis, Petropol. Pruss. Suec. Bonon. Goetting. cet. Sodali: Editio Secunda, auctior et emendatior.

Parisiis, apud Viduam Desaint, 1771. 4to. Tomi III. paginae 2278; item Tabulae astronomicae pagin. 248. Tab. aen. 42.

Almagesto novo Astronomiam omnem complecti decreverat, superiori Saeculo, Ricciolus, cuius operis non nisi pars, duobus voluminibus in folio, prodiit. Simile quid praestiturus Dom. de la Lande nostro aevo, quo in immensum inde a Riccioli tempore crevit Astronomia, plura quam edidit scribere poterat volumina. Sed quod praeter Astronomiam ipsam, Trigonometrica quoque et Analytica subsidia in haec volumina coegit, breviter, nec propterea minus perspicue docendi, insignem artificem se ostendit.

Conſtat opus libris 24, quorum hi ſunt tituli: 1) De Sphaera coeleſti. 2) Origines Aſtronomiae et hiſtoria. 3) Fixae et Aſteriſmi. 4) Aſtronomiae propoſitiones fundamentales, ut: quae pertinent ad phaenomena motus Solis, menſuram Temporis &c. 5) Syſtema mundi. Haec Tomo primo continentur; cui accedunt Tabulae fixarum et planetarum. 6) Leges motus planetarum primariorum, et quae faciunt ad definiendum figuras orbitarum et ſitus. 7) De Luna. 8) De Calendario. 9) Parallaxes. 10) Calculus eclipſium. 11) Mercurii et Veneris ſub Sole tranſitus. 12) Refractio aſtronomica. 13) De inſtrumentis Tomus III. 14) De uſu inſtrumentorum et obſervationum praxi. 15) De figura et magnitudine Terrae. 16) De aequinoctiorum praeceſſione, fixarum parallaxi annua, obliquitatis eclipticae mutatione, et quarumdam fixarum locis mutatis. 17) De Aberratione et Nutatione. 18) De Planetis ſecundariis. 19) De Cometis. 20) De motu vertiginis et maculis planetarum. 21) De calculorum, differentialis et integralis, uſu in Aſtronomia. 22) De gravitate et attractione planetarum. 23) De Trigonometria ſphaerica, eiusque uſibus. 24) De calculo aſtronomico, ducto ex obſervationibus terra marique habitis. Praefationem, quae iuſtas Aſtronomiae laudes tribuit, et Obſervatoria recenſet, ſequitur inſtrumentorum catalogus, adiectis pretiis, quibus comparari poterant anno 1771.

Ex his obiter intelligitur, quae noſter tractet, et quo ordine. Itaque cum ſingula uberius enarrari non neceſſe ſit, pauca ſeligamus, quae unam alteramve ob cauſſam notanda nobis videantur. De ſignis Zodiaci, vel civium ſuorum ſententiis praefert quae docuit Dom. Samuel de Schmidt, in diſſertatione Tomo II. Excerpti Italicae nec non Helveticae litteraturae, 1760 p. 70. exhibita, nempe dicata fuiſſe ab Aegyptiis ſingula ſingulis deorum ſuorum, Graecosque non figuras mutaſſe, ſed ſignificatum. (§. 621. ſeq.)

Anni

Anni longitudinem ſtatuit (§. 885.) 365*d* 5*h* 48*m* 45,5 *ſ*. cauſſas expoſuit in Commentariis Acad. Sc. ann. 1757. Quodſi, ut fit, ex comparatione duorum aequinoctiorum, anni longitudo elicitur, tres correctiones adhibendae ſunt, quas hic explicat: prima ob motum apogaei; ſecunda, quam ipſe inprimis conſideravit, propter aequinoctiorum praeceſſionem, Jovis et Veneris attractione variabilem; tertia, propter inaequalitates, ab exiguis Lunae Jovis et Veneris attractionibus oriundas. Aequinoctiorum praeceſſionem §. 917. ita definit, ut comparet inter ſe quindecim inſigniorum fixarum longitudines, quas Tycho tradidit pro anno 1586. et quas anno 1750. aptavit Dom. de la Caille. Ita habentur incrementa longitudinum numero 15. ex quibus ſumendo medium, et dividendo per 164. intervallum annorum, annuum longitudinis incrementum reperit 50, 336 Secundorum, aut Seculare 1° 23′ 54″. Aequationem meridiei ex altitudinibus correſpondentibus §. 923. ſeq. explicat, adiectis aequationum tabulis, tum generalibus, tum elevationi poli Pariſinae aptatis. Hae tabulae extenſae ad intervallum duodecim horarum inter ambas obſervationes, et adeo ad dimidium intervallum ſex horarum, quomodo poſſint adhiberi ad computandam aequationem pro intervallo maiore, docet §. 945. v. c ut habeatur aequatio pro intervallo dimidio 10 horarum, ſumit aequationem pro int. dim. 2 horar. complementi ſcilicet horar. 10 ad 12; et hac utitur proportione: horae 2 ſunt ad aequationem in tabula reperiundam, ut horae 10 ad aequationem quaeſitam. (Humani quidpiam accidit Dom. de la Lande, cum hanc regulam conderet. Vera eſſet, ſi duor. angulor. horarior. qui iuncti horas 12 conſtituunt, tangentes eſſent omnino eaedem; ſunt vero, *magnitudine* aequales, *ſigno* oppoſitae, ut anguli 10 horar. tangens, negativa ſit tangentis anguli horarii 2 horar. Leve hoc eſt, et facile fugit Scriptorem, maioribus intentum.) Ubi de aequatione temporis agit, emendat §. 976. exiguum errorem Dom. de la Caille, differentiam inter

adſcenſiones rectas Solis veri et ficti, in tempus medium commutantis, cum antiquiores Aſtronomi eam in tempus primi mobilis commutaſſent. Temere ab illis receſſiſſe Dom. de la Caille, exemplo oſtendit Dom. de la Lande, non generali quadam demonſtratione; (unde non potuit ſententiam ſuam omnibus Aſtronomis perſuadere, et ipſe R. P. Hell adhuc a Dom. de la Caille partibus ſtetit.) Sed generalem demonſtrationem, et analyticam quaeſtionis inter duos ſummos Aſtronomos agitatae Solutionem, dedit ill. Kaeſtnerus, in Commentariis Novis Soc. Sc. Goetting. T. I. p 90. Progreditur ad computandum aſtri dati per meridianum tranſitum, datis rectaſcenſionibus Solis et aſtri, nec non rectaſcenſionum in horis 24 incrementis. Id negotium prolixius paullo exſequitur, adhibendo regulae falſi ſpeciem, vt ſcilicet, coniectura non nimium a vero aberrante, definiatur momentum tranſitus, illa vero coniectura corrigatur approximationibus, quarum vel in fixa tres adhibet. (Haec multo brevius conficere, formulis analyticis docuit Kaeſtnerus, Vir celeberr. loc. cit.)

Cum in novis ſuis tabulis, motus Planetarum ſaeculares, alios paullo ſtatuat quam anteceſſores, inprimis quia attractionum effectus conſideravit, non abs re erit huc transſcribere tabellam, quam § 1161, exhibet.

REVOLU-

REVOLUTIONES PLANETARUM

Secundum tabulas novas Dom. de la Lande.

Planetae	Motus Saecul. resp. punctor. aequinoctial.				Revol. Tropica.				Revol. Sideralis.				Motus diurnus.		
	S	°	′	″	d	h	m	s	d	h	m	s	°	′	″
☿	2	14	12	10	87	23	14	25,9	87	23	15	37,0	4	5	32,570367
♀	6	19	12	12	224	16	41	32,4	224	16	49	12,7	1	36	7,806488
☉	0	0	46	10	365	5	48	45,5	365	6	9	11,2	0	59	8,330458
♂	2	1	42	10	686	22	18	27,3	686	23	30	43,3	0	31	26,656536
♃	5	6	27	30	4330	8	58	27,3	4332	8	51	25,6	0	4	59,281314
♄	4	23	14	30	10749	7	21	50,0	10761	14	36	42,5	0	2	0,565914

Aequationes Saeculares mediis Jovis et Saturni motibus adhibendas explicat §. 1163. Comparando enim plurium Saeculor. observationes, medium Saturni motum tardiorem factum esse perspicitur, Jovis velociorem. Uberius ea de re egit in Comm. Acad. Sc. 1757. p. 411. seq. Reperit Saturni medium motum annuum Secundis sedecim minorem, quam ponitur in tabulis Cassinianis, revolutionis vero tempus fere quatuor diebus maius. Comparavit inter se observationes in mediis distantiis factas, ut evanesceret error si quis esset, circa aequationem maximam, locumque aphelii; tales etiam adhibuit in quibus Jovis ad Saturnum situs circiter idem esset, ut perturbationes, quas Saturnus a Jovis attractione patitur, minus nocerent. Adhibendo vero hunc motum medium ex observationibus annorum 120. Saeculi 16 et 18 collectum, et ex illo computando locum Saturni cum 228 annis prope γ Virginis spectaretur, prodit longitudo Saturni 7 gradibus minor, indicio, motum medium tardiorem adhibitum esse, quam fuit ante viginti Saecula. Hoc exemplo simul docetur, quomodo vel crassiores antiquorum observationes, ad confirmanda recentiora inventa possint adhiberi. Ptolemaeus enim Lib. XI, c. 7. refert, tunc Saturnum duobus quasi digitis infra dictam Virginis stellam apparuisse. Ceterum, noster iam in Comment. Ac. Sc. 1766. docuit, Ptolemaeum stellarum solisque positus, quos apud Hipparchum reperierat, ad suum aevum transtulisse; igitur nobis, observationes quas Ptolemaeus narrat adhibituris, corrigenda quaedam esse in Solis stellarumque locis quae Ptolemaeus habet. Correctiones illas exhibet §. 918. Haec autem in motu medio Saturni variatio, a Jovis attractione produci creditur, et quadratum temporis sequi. Sed aliam inaequalitatem in motu medio Saturni noster detexit, quam aequatio saecularis non explicat; illam in Comm. 1766. docuit, et hic §. 1167. tradit. Celerius redire reperit Saturnum ad aequinoctium vernale, quam ad autumnale. Eius phaenomeni, cum quidem caussa nulla

nulla reperiatur in iis, quae scimus de physica coelesti, nonnisi comparatione observationum proximorum 180 annorum coactus hoc paradoxum adsumsit. Sub finem Tomi I. qui nos huc usque occupavit, habentur novae Dom. de la Lande tabulae. Eae etiam separatim venduntur.

Quales orbitarum planetarum excentricitates, et aequationes maximas sumat, sequens tabula ostendit, transscripta ex §. 1278. ubi et aliorum auctorum numeri habentur. Excentricitates supponunt mediam Solis a terra distantiam 100 000; adiecit vero noster etiam harum centum millesimarum partes decimales, quando calculus ipsi tales praebuit.

	Excentricit. Dom. de la Lande	Aequ. max. Dom. de la Lande		
Mercurius	7960,	23°	40′	49″
Venus	510,2	0	48	30
Sol	1680,207	1	55	31,6
Mars	14218,1	10	40	39
Jupiter	25277,3	5	34	1
Saturnus	53210,	6	23	19
Luna	0,0547218	6	18	32

Lunae excentricitas, est quam Mayerus, olim Goettingae decus, ex observationibus collegisse se dicit. Lunae maxima aequatio est etiam ex tabulis Mayeri, et illa quidem postularet excentricitatem 0,055083; sed haec excentricitas non sufficit ad reliquos illarum tabularum numeros reperiendos, quia Mayerus in illis alia inaequalitate usus est, quam illa ellipsis vulgaris, aut hypotheseos Kepleri. Excentricitatum, quas transscripsimus, nullae, nisi Mercurii et Martis, directo calculo repertae sunt, reliquae deductae ex observata aequatione maxima. Saturni aequatio maxima exhibita, non satisfacit antiquissimis observationibus, sed illae con-

conciliari cum recentioribus non possunt, retenta eadem orbita; maluit igitur Dom. de la Lande tradere quibus cum nostro aevo conveniat.

De computando tempore, quo luna opus habet ut meridianum transeat, operae pretium est excerpere, quae §. 1517. docentur. Lunae supra horizontem elevatae diameter propter parallaxin maior apparet diametro Lunae in eadem a centro terrae distantia; sed in horizonte apparente constitutae, illa diameter apparens lunae in horizonte constitutae, *horizontalis* hinc appellata, est, quam perciperet etiam spectator in centro terrae positus. Jam qui lunam meridianum transeuntem observat, elevatam videt, adeoque maiorem, quam videret observator in centro terrae positus; hinc quidam intulerunt, tempus, quod transitui luna impendit, tantum esse, quantum respondet maiori illi diametro, adeoque longius, quam esset observatori in centro, imo aliud atque aliud observatoribus in aliis terrae locis positis, quorum singulis est alia lunae altitudo. Sed haec, quae videtur demonstratio, tota cadit, si cogitemus, dum praecedens lunae limbus, mihi in superficie terrae constituto, ad meum meridianum appellit, appellere eundem limbum ad meridianum observatoris, qui directe infra me in centro terrae esse fingitur, quoniam meridiani planum habemus idem; quod cum etiam pateat de limbo sequente, non potest plus temporis transitui per unum idemque planum luna impendere, si e superficie terrae spectatur, quam facit si e centro terrae observaretur. Nimirum, quod in superficie terrae propior lunae sum, eam ob caussam maior luna mihi apparet, simul vero motus eius in eadem ratione velocior, quoniam propior sum spatio, quod hoc motu luna absolvere videtur; itaque per planum meridiani, maior quae mihi apparet lunae diameter, in eadem ratione, in qua maior apparet, etiam velocius videtur transire, ut omnino idem tempus transitui impendat mihi, et illi in centro. Quia haec

non-

non cogitavit Dom. Godin, ea re inductus est, ad verticalem lunae diametrum, a borea ad austrum, dimidio minuto primo maiorem statuendam, horizontali ab ortu ad occasum; quod ex parallaxi explicare conatus est Celsius, in Comm. litt. Astron. Norib. T. II. p. 81. Sed veram explicationem non dedit, quae inde pendet: Godinum lunae diametrum ab oriente ad occasum, quam ex duratione transitus repererat, correxisse, cum corrigere non debuisset, itaque minorem iusto reddidisse.

Occultationes Solis aut fixarum, a luna factarum, (eclipses cum parallaxi appellat,) quatuor modis ab astronomis definiuntur: proiectionibus a dom de la Hire et Cassini; nonagesimo, et longitudinum parallaxibus, a Dom. de la Caille; parallacticis angulis, altitudinum parallaxibus, quem noster brevissimum et exactissimum effecit, et reliquis praefert; denique analyticis formulis, quales dedit dom. de Sejour, (et inter Germanos nuper dom. Tempelhof): illos modos omnes breviter explicat §. 1868. seq.

Quae libris XIII. et XIV. docet A. cum nullibi adhuc tam copiose et perspicue tradita reperiantur, insigne pretium operi conciliant; nam et examinare instrumenta docet, erroresque illorum, vel corrigere, vel in computum ducere.

Eclipticae obliquitatem, imminui censet, Eulero duce, propter attractionem planetarum. Ea de re egit in Comm. Acad. Sc. 1758. et 1761. Inde et stellarum loca mutantur, ut v. c. hoc Saeculo, longitudo Sirii, attractione planetarum in terram, diminuatur secundis 29. Et illi invento, cum locis stellarum ab antiquis convenire docet §. 2742. Eclipticae vero obliquitatem nostro aevo saecularem diminutionem pati 1′ 28″.

Veneris Satellitem cum et ipse frustra quaesiverit, aeque ac alii Astronomi, pro fallacia optica habet cum P. Hell

 §. 2999.

DEMONSTRATIO CIRCULI QUADRATURAE ex infinita quorundam rectangulorum ferie a Cartefio olim deductae, atque in eiusdem Opufculis pofthumis absque Demonftratione editae. *Auctore Archidiacono JOHANNE FRANCISCO DE TUSCHIS A FAGNANO, ex S. Honorii Marchionibus, Patritio Romano et Senogallienfi.*

Cum in Actis Eruditorum Lipfienfibus ad annum 1763. vidiffem, celeberrimum *Eulerum*, in Imperialis Academiae Petropolitanae Commentariis demonftraffe Circuli Tetragonismum ab immortali viro, Renato Defcartes, ex infinita quorundam rectangulorum ferie deductum, in mentem venit eiusdem Quadraturae demonftrationem tentare, eamque Lectori Geometrae exhibere; in hac etenim femper fui opinione, Demonftrationum varietatem non parum ad fcientiae augmentum conferre.

Lemma I. Fig. 1.

Area Octogoni regularis *BIFAGLDH* Circulo *AIHL* infcripti aequatur Perimetro Quadrati *BFGD* fimiliter infcripti ducto in dimidium Radii.

Demonftratio.


Ductis Diagonalibus *BG*, *DF*, ducatur radius *CA*. Hic normaliter fecabit *FG* in *E*, ideoque

$$\text{Quadril. } CFAG = FG \times \frac{CA}{2};$$

$$\text{Quadril. } CFIB = FB \times \frac{CA}{2};$$

Quadril.

TAB. II. ad I



DEMONSTRATIO CIRCULI QUADRATURAE ex infinita quorundam rectangulorum serie a Cartesio olim deductae, atque in eiusdem Opusculis posthumis absque Demonstratione editae.

Auctore Archidiacono JOHANNE FRANCISCO DE TUSCHIS A FAGNANO, ex S. Honorii Marchionibus, Patritio Romano et Senogalliensi.

Cum in Actis Eruditorum Lipsiensibus ad annum 1763. vidissem, celeberrimum *Eulerum*, in Imperialis Academiae Petropolitanae Commentariis demonstrasse Circuli Tetragonismum ab immortali viro, Renato Descartes, ex infinita quorundam rectangulorum serie deductum, in mentem venit eiusdem Quadraturae demonstrationem tentare, eamque Lectori Geometrae exhibere; in hac etenim semper fui opinione, Demonstrationum varietatem non parum ad scientiae augmentum conferre.

Lemma I. Fig. 1.

Area Octogoni regularis $BIFAGLDH$ Circulo $AIHL$ inscripti aequatur Perimetro Quadrati $BFGD$ similiter inscripti ducto in dimidium Radii.

Demonstratio.


Ductis Diagonalibus BG, DF, ducatur radius CA. Hic normaliter secabit FG in E, ideoque

$$\text{Quadril. } CFAG = FG \times \frac{CA}{2};$$

$$\text{Quadril. } CFIB = FB \times \frac{CA}{2};$$

Quadril.

TAB. II. ad



DEMONSTRATIO CIRCULI QUADRATURAE ex infinita quorundam rectangulorum ſerie a Carteſio olim deductae, atque in eiusdem Opuſculis poſthumis absque Demonſtratione editae.

Auctore Archidiacono JOHANNE FRANCISCO DE TUSCHIS A FAGNANO, ex S. Honorii Marchionibus, Patritio Romano et Senogallienſi.

Cum in Actis Eruditorum Lipſienſibus ad annum 1763. vidiſſem, celeberrimum *Eulerum*, in Imperialis Academiae Petropolitanae Commentariis demonſtraſſe Circuli Tetragonismum ab immortali viro, Renato Deſcartes, ex infinita quorundam rectangulorum ſerie deductum, in mentem venit eiusdem Quadraturae demonſtrationem tentare, eamque Lectori Geometrae exhibere; in hac etenim ſemper fui opinione, Demonſtrationum varietatem non parum ad ſcientiae augmentum conferre.

Lemma I. Fig. I.

Area Octogoni regularis $BIFAGLDH$ Circulo $AIHL$ inſcripti aequatur Perimetro Quadrati $BFGD$ ſimiliter inſcripti ducto in dimidium Radii.

Demonſtratio.


Ductis Diagonalibus BG, DF, ducatur radius CA. Hic normaliter ſecabit FG in E, ideoque

$$\text{Quadril. } CFAG = FG \times \frac{CA}{2};$$

$$\text{Quadril. } CFIB = FB \times \frac{CA}{2};$$

Quadril.

TAB. II. ad



DEMONSTRATIO CIRCULI QUADRATURAE ex infinita quorundam rectangulorum serie a Cartesio olim deductae, atque in eiusdem Opusculis posthumis absque Demonstratione editae.

Auctore Archidiacono JOHANNE FRANCISCO DE TUSCHIS A FAGNANO, *ex S. Honorii Marchionibus, Patritio Romano et Senogalliensi.*

Cum in Actis Eruditorum Lipsiensibus ad annum 1763. vidissem, celeberrimum *Eulerum*, in Imperialis Academiae Petropolitanae Commentariis demonstrasse Circuli Tetragonismum ab immortali viro, Renato Descartes, ex infinita quorundam rectangulorum serie deductum, in mentem venit eiusdem Quadraturae demonstrationem tentare, eamque Lectori Geometrae exhibere; in hac etenim semper fui opinione, Demonstrationum varietatem non parum ad scientiae augmentum conferre.

Lemma I. Fig. 1.

Area Octogoni regularis *BIFAGLDH* Circulo *AIHL* inscripti aequatur Perimetro Quadrati *BFGD* similiter inscripti ducto in dimidium Radii.

Demonstratio.


Ductis Diagonalibus *BG*, *DF*, ducatur radius *CA*. Hic normaliter secabit *FG* in *E*, ideoque

$$\text{Quadril. } CFAG = FG \times \frac{CA}{2};$$

$$\text{Quadril. } CFIB = FB \times \frac{CA}{2};$$

Quadril.

TAB. II. ad



DEMONSTRATIO CIRCULI QUADRATURAE ex infinita quorundam rectangulorum serie a Cartesio olim deductae, atque in eiusdem Opusculis posthumis absque Demonstratione editae.

Auctore Archidiacono JOHANNE FRANCISCO DE TUSCHIS A FAGNANO, ex S. Honorii Marchionibus, Patritio Romano et Senogalliensi.

Cum in Actis Eruditorum Lipsiensibus ad annum 1763. vidissem, celeberrimum *Eulerum*, in Imperialis Academiae Petropolitanae Commentariis demonstrasse Circuli Tetragonismum ab immortali viro, Renato Descartes, ex infinita quorundam rectangulorum serie deductum, in mentem venit eiusdem Quadraturae demonstrationem tentare, eamque Lectori Geometrae exhibere; in hac etenim semper fui opinione, Demonstrationum varietatem non parum ad scientiae augmentum conferre.

Lemma I. Fig. 1.

Area Octogoni regularis *BIFAGLDH* Circulo *AIHL* inscripti aequatur Perimetro Quadrati *BFGD* similiter inscripti ducto in dimidium Radii.

Demonstratio.


Ductis Diagonalibus *BG*, *DF*, ducatur radius *CA*. Hic normaliter secabit *FG* in *E*, ideoque

$$\text{Quadril. } CFAG = FG \times \frac{CA}{2};$$

$$\text{Quadril. } CFIB = FB \times \frac{CA}{2};$$

Quadril.

TAB. II. ad J



Quadril. $CBHD = BD \times \frac{CA}{2};$

Quadril. $CDLG = GD \times \frac{CA}{2};$

Ergo Area Octanguli $BIFAGLDH = (FG + FB + BD + GD) \times \frac{CA}{2}.$ Q. E. D.

Scholium.

Patet ex Theorematis demonſtratione, id quod de Area Octanguli demonſtravimus relate ad Quadratum, locum etiam habere in omni Polygono regulari, collato cum alio Polygono regulari, cuius laterum numerus ſit ſudduplus, ideoque generaliter

Theorema.

Area Polygoni regularis Circulo inſcripti aequatur Perimetro Polygoni, regularis, cuius laterum numerus ſit ſudduplus, ducto in dimidium Radii, eodemque Circulo inſcripti.

Lemma II. Fig. 2 et 3.

Circulus eſt medius proportionalis inter Quadratum ſibi circumſcriptum, et aliud Quadratum ſibi Iſoperimetrum.

Demonſtratio.

Sit Circulo $BADX$ Quadratum $FRTK$ circumſcriptum, ſitque (Fig. 3.) quadratum $BFGD$ ipſo Circulo Iſoperimetrum

Per Constructionem erit $\frac{\text{Quadr. } FRTK}{\text{Circ. } BADX} = \frac{\text{Perim. } FRTK}{\text{Periph. } BADX}$, ergo $\frac{\text{Quadr. } FRTK^2}{\text{Circ. } BADX^2} = \frac{\text{Perim. } FRTK^2}{\text{Periph. } BADX^2}$; Sed per Hypothesin Periph. $BADX$ = Perim. $BFGD$; ergo $\frac{\text{Quadr. } FRTK^2}{\text{Circ. } BADX^2} = \frac{\text{Perim. } FRTK^2}{\text{Perim. } BFGD^2}$, Sed Quadril. $FRTK$; $BFGD$, cum sint Quadrata, sunt Figurae similes, ergo $\frac{\text{Quadr. } FRTK}{\text{Quadr. } BFGD} = \frac{\text{Perim. } FRTK^2}{\text{Perim. } BFGD^2}$; ideoque per praecedentem Aequationem $\frac{\text{Quadr. } FRTK^2}{\text{Circ. } BADX^2} = \frac{\text{Quadr. } FRTK}{\text{Quadr. } BFGD}$. Consequenter multiplicando extrema et media inter se, et per Quadratum $FRTK$, producta dividendo, obtinebitur Circ. $BADX \times$ Circ. $BADX$ = Quadr. $FRTK \times$ Quadr. $BFGD$. Q. E D.

Scholium.

Patet, quod si Quadratorum loco, Polygona similia haberentur, pariter Demonstratio subsisteret, ideoque generaliter

Theorema.

Circulus est medius proportionalis inter Polygonum sibi circumscriptum, et Polygonum simile eidem Circulo Isoperimetrum.

Problema. Fig. 1 et 4.

Sit circumscriptum Circulo *qbno*, cuius Centrum *c* Polygonium regulare infinitilaterum *gdeflhik* Quadrato

to $BFGD$ Isoperimetrum, quaeritur Circuli inscripti Radius ca.

Solutio.

I. Fingamus, Polynomium regulare infinitilaterum esse Octogonum, et sit ut in Lemmate I. inscriptum Circulo $BADH$, Octogonum regulare $BIFAGLDH$, sitque latus Quadr. $BFGD = a$; erit radius $CG = \frac{a}{\sqrt{2}}$; ideoque per Lemma I. Area Octanguli inscripti $a^2 \sqrt{2}$.

II. Sit modo Radius Circuli $qbno$, id est $ca = x$, eritque per hypothesin Area Octanguli circumscripti $= 2ax$; sed figurae similes sunt inter se, ut quadrata rectarum, quae ex centro ad angulos ducuntur, subsistet ergo haec proportio $a^2\sqrt{2} . 2ax :: \frac{a^2}{2} . cd^2$; sed per Hypothesin $cd^2 = x^2 + \frac{a^2}{16}$, ergo $a^2 \sqrt{2} . 2ax :: \frac{a^2}{2} . (x^2 + \frac{a^2}{16})$. consequenter $x^2 \sqrt{2} + \frac{a^2}{8\sqrt{2}} = ax$; atque $x^2 - \frac{ax}{\sqrt{2}} = -\frac{a^2}{16}$, et tandem $x = \frac{a}{2\sqrt{2}} + \frac{a}{4}$. Diameter ergo Circuli inscripti, nempe $2ca = \frac{a}{\sqrt{2}} + \frac{a}{\sqrt{2}} = \frac{a + a\sqrt{2}}{2}$

III. Patet

III. Patet, quod $cd^2 = \frac{3a^2 + 2a^2\sqrt{2}}{16} + \frac{a^2}{16}$,

ergo $cd = \frac{a\sqrt{2+\sqrt{2}}}{2\sqrt{2}}$.

IV. Fingamus modo (Fig. 5.) quod circumscripta sit Circulo *rsut*, cuius centrum *c*, radiusque $cu = t$, figura regularis sexdecim laterum Quadrato *BFGD* Isoperimetra, sitque latus Polygoni *qn*.

Circumscribatur (Fig. 4.) Octangulo *gdefshik* Circulus *fgle*, in eoque inscribatur figura regularis sexdecim laterum, et cuius latus sit *gr*,

Erit per Lemma I. huiusce Polygoni Area $= 2a \times cd$ $= \frac{a^2\sqrt{2+\sqrt{2}}}{\sqrt{2}}$ per Artic. III. Area vero Polygoni similis Circulo *rust* circumscripti $= 2at$, et cum per Hypothesin eius latus $qn = \frac{a}{4}$, habebitur

$\frac{a^2\sqrt{2+\sqrt{2}}}{\sqrt{2}} . 2at :: cd^2 \left(\frac{a^2(2+\sqrt{2})}{8}\right) .$

$cn^2 \left(t^2 + \frac{a^2}{64}\right)$, hoc est $a^2 . 2at :: \frac{a^2\sqrt{2+\sqrt{2}}}{4\sqrt{2}}$

$t^2 + \frac{a^2}{64}$; consequenter $t^2 - \frac{at\sqrt{2+\sqrt{2}}}{2\sqrt{2}}$

$= -\frac{a^2}{64}$, ideoque $t^2 - \frac{at\sqrt{2+\sqrt{2}}}{2\sqrt{2}} +$

$2a^2 +$

$\frac{2a^2 + a^2\sqrt{2}}{32} = \frac{3a^2 + 2a^2\sqrt{2}}{64}$, et tandem

$t = \frac{a + a\sqrt{2}}{8} + \frac{a\sqrt{2+\sqrt{2}}}{4\sqrt{2}}$, et $2t = \frac{a + a\sqrt{2}}{4} + \frac{a\sqrt{2+\sqrt{2}}}{2\sqrt{2}}$.

V. Erit ergo $cn^2 = \frac{a^2(2+\sqrt{2})}{16} + \frac{a^2(1+\sqrt{2})\sqrt{2+\sqrt{2}}}{16\sqrt{2}}$, et

$$cn = \frac{a}{4}\sqrt{(2+\sqrt{2}) + \frac{(1+\sqrt{2})\sqrt{2+\sqrt{2}}}{\sqrt{2}}}.$$

VI. *Simili modo si circumscribatur* (Fig. 5.) Polygono 16 Laterum Circulus $qnzym$, eidemque Circulo inscribatur Polygonum regulare 32 Laterum, cuius Latus qo.

Rursus Circulo $qlnf$ (Fig. VI.) cuius Centrum c, sit circumscriptum Polygonum regulare 32 laterum Quadr. $BFGD$ Isoperimetrum, sitque radius Circuli $cx = u$; eritque per Hypothesin Polygoni latus $oz = \frac{a}{8}$; consequenter $2acn \,.\, 2au :: cn^2 \,.\, u^2 + \frac{a^2}{256}$, ergo $u^2 - cn \times u = -\frac{a^2}{256}$, et sumen-

do $\frac{a}{4}\sqrt{(2+\sqrt{2})+\frac{(1+\sqrt{2})\sqrt{2+\sqrt{2}}}{\sqrt{2}}}$

loco cn; $u^2 - \frac{a}{4}\sqrt{(2+\sqrt{2})+\frac{(1+\sqrt{2})\sqrt{2+\sqrt{2}}}{\sqrt{2}}}$

$\times u = -\frac{a^2}{256}$; ideoque

$$u^2 - \frac{a}{4}\sqrt{(2+\sqrt{2})+\frac{(1+\sqrt{2})\sqrt{1+\sqrt{2}}}{\sqrt{2}}}$$

$$+\frac{a^2}{64}\left((2+\sqrt{2})+\frac{(1+\sqrt{2})\sqrt{2+\sqrt{2}}}{\sqrt{2}}\right)=$$

$$\frac{a^2}{256}(7+4\sqrt{2})+\frac{a^2}{64}\frac{(1+\sqrt{2})\sqrt{2+\sqrt{2}}}{\sqrt{2}},$$

atque extrahendo

$$u = a\left(\frac{(1+\sqrt{2})}{16}+\frac{\sqrt{2+\sqrt{2}}}{8\sqrt{2}}\right)+$$

$$\frac{a}{8}\sqrt{(2+\sqrt{2})+\frac{(1+\sqrt{2})\sqrt{2+\sqrt{2}}}{\sqrt{2}}}$$

et $2u = \frac{a}{8}(1+\sqrt{2})+\frac{a\sqrt{2+\sqrt{2}}}{4\sqrt{2}}+$

$$\frac{a}{4}\sqrt{(2+\sqrt{2})+\frac{(1+\sqrt{2})\sqrt{2+\sqrt{2}}}{\sqrt{2}}}$$

Qui

Qui erit Diameter Circuli inſcripti Polygono regulari 32 laterum, et Quadr. $BFGD$ Iſoperimetro.

Eodem modo procedendo Diameter Circuli habebitur inſcripti Polygono regulari 64 Laterum eidem Quadr. $BFGD$ Iſoperimetro, 128 Laterum, et ſic in infinitum, donec ad Polygoni Iſoperimetri infinitilateri Diametrum perveniatur. Q. E. I.

Corollarium. Fig. 1 et 2.

VII. Poſito ergo, quod cx ſit radius Circuli Quadr. $BFGD$ Iſoperimetri, ſi eidem Circulo Quadr. $RFKT$ circumſcribatur, erit per Lemma II. Circulus $ABXO$ medius proportionalis inter Quadr. $RFKT$, et Quadr. $BFGD$, hoc eſt Circulus $ABXO = RT \times BD$, ſumtaque b media proportionali inter Latus RT, et Latus BD, Circulus $ABXO = b^2$.

Scholium I. Fig. 7.

VIII. Carteſii conſtructionis Demonſtratio. Diagonalis BG Quadr. $BFGD$ protrahatur, et ſit BH Diameter Circuli Octogono regulari Iſoperimetro eidem Quadr. $BFGD$ inſcripti, ductaque Hh Lateri DG parallela, erit (Artic. III.) $BH = \frac{a + a\sqrt{2}}{2}$; ideoque $DH = \frac{a\sqrt{2} - a}{2}$; completoque rect-

 angulo

angulo $DHhg$, erit rectangulum $DHhg = \frac{a^2}{4}$.

Similiter sit BI Diameter Circuli inscripti Polygono 16 Laterum Quadr. $BFGD$ Isoperimetro, completoque rectangulo $HIil$, erit (Artic. IV.) $BI = \frac{a(\sqrt{2}+1)}{4} + \frac{a\sqrt{2+\sqrt{2}}}{2\sqrt{2}}$, consequenter $HI = \frac{a\sqrt{2+\sqrt{2}}}{2\sqrt{2}} - \frac{a(1+\sqrt{2})}{4}$,

et rectangulum $HIil = \frac{a^2(2+\sqrt{2})}{8} - \frac{a^2(1+\sqrt{2})^2}{16}$

$= \frac{a^2(4+2\sqrt{2})}{16} - \frac{a^2(3+2\sqrt{2})}{16} = \frac{a^2}{16}$.

Pariter sit BV Diameter Circuli inscripti Polygono 32 Laterum, et Quadr. $BFGD$ Isoperimetro, erit per Artic. VI, $BV =$

$$\frac{a}{4}\sqrt{(2+\sqrt{2}) + \frac{(1+\sqrt{2})\sqrt{2+\sqrt{2}}}{\sqrt{2}}} +$$

$$a\left(\frac{(1+\sqrt{2})}{8} + \frac{\sqrt{2+\sqrt{2}}}{4\sqrt{2}}\right);$$ ideoque IV

$$= \frac{a}{4}\sqrt{(2+\sqrt{2}) + \frac{(1+\sqrt{2})\sqrt{2+\sqrt{2}}}{\sqrt{2}}} -$$

$$a\left(\frac{(1+\sqrt{2})}{8} + \frac{\sqrt{2+\sqrt{2}}}{4\sqrt{2}}\right);$$ ducta ergo

V *u*

Vu parallela Lateri *DG*, completoque rectangulo *IVut*, erit rectangulum *IVut* =

$$\frac{a^2}{16}\left((2+\sqrt{2}) + \frac{(1+\sqrt{2})\sqrt{2+\sqrt{2}}}{\sqrt{2}}\right) -$$

$$\frac{a^2}{64}(7+4\sqrt{2}) - \frac{a^2}{16}\left(\frac{(1+\sqrt{2})\sqrt{2+\sqrt{2}}}{\sqrt{2}}\right)$$

$$= \frac{a^2}{64}.$$

IX. Patet igitur ex ante dictis, ut habeatur Circulus, cuius circumferentia sit aequalis circumferentiae Quadrati *BFGD*, cuius Latus *a*, nihil aliud esse agendum, quam ut Quadr. *BFGD* adiungatur Rectangulum $DHhg = \frac{a^2}{4}$, huic rectangulum $HIil = \frac{a^2}{16}$, rectangulo *HIil* rectangulum $IVut = \frac{a^2}{64}$, et sic in infinitum usque ad *x*.

Sed liquet ex demonstratis, *BH* esse Diametrum Circuli inscripti Octogono regulari, *BI* Diametrum Circuli inscripti Polygono regulari 16 Laterum, *BV* Diametrum Circuli inscripti Polygono regulari 32 Laterum, omnibus Quadr. *BFGD* Isoperimetris, et demum *BX* Diametrum Circuli eidem Quadrato Isoperimetri, quae est ipsa constructio Cartesii.

 X. Constat,

X. Conſtat, cum ſeries $\frac{a^2}{4}$; $\frac{a^2}{16}$; $\frac{a^2}{64}$; $\frac{a^2}{256}$ . . . . $\frac{a^2}{4n}$ (denotante n exponentem infinitum,) ſit geometrice decreſcens, eam aequalem eſſe $\frac{a^2}{3}$.

XI. Per praecedentia $BH \times DH$, hoc eſt $x(x-a) = \frac{a^2}{4}$; $BI \times HI = t(t-x) = \frac{a^2}{16}$; $BV \times IV = u(u-t) = \frac{a^2}{64}$, erit ergo $t(t-x) = \frac{x(-a)}{4}$; $u(u-t) = \frac{t(t-x)}{4}$.

Diametri ergo Circulorum Polygonis Quadr. $BFGD$ Iſoperimetris inſcriptorum hoc ordine procedent, $x = \frac{a + a\sqrt{2}}{2}$; $t = \frac{x + \sqrt{2x^2 - ax}}{2}$; $u = \frac{t + \sqrt{2t^2 - xt}}{2}$, et ſic in infinitum.

Scholium II.

XII. Poterat etiam per Tangentes, et Contangentes, expedite atque eleganter res abſolvi. Nam inſcripto in Quadr. $BFGD$, (Fig. III.) Circulo HMI, ductoque ad punctum contactus radio CM, iunctisque punctis C et G, poſito quod A denotet Circuli ſemicircumferentiam, erit Ang. $GCM = \frac{A}{4}$; Ang. gca

(Fig. 4.)

(Fig. IV.) $= \frac{A}{8}$; (Fig. V.) Ang. $acn = \frac{A}{16}$; Ang. $ncz = \frac{A}{32}$ (Fig. VI.)

Ulterius cum ſint Polygona circumſcripta eiusdem Perimetri cum Quadr. $BFGD$, erit $CM = \frac{a}{2}$; $ga = \frac{a}{4}$; $un = \frac{a}{8}$, $xz = \frac{a}{16}$ &c. Poſito ergo, quod radius Circuli unitati ſit aequalis, erit 1. Tang. $\frac{A}{4} :: CM . \frac{a}{2}$; ideoque $CM = \frac{a}{2}$ divis. per Tang. $\frac{A}{4} = \frac{a}{2}$ Contang. $\frac{A}{4}$; ſimiliter $ca = \frac{a}{4}$ divis. per Tang. $\frac{A}{8} = \frac{a}{4}$ Contang. $\frac{A}{8}$ $cu = \frac{a}{8}$ divis. per Tang. $\frac{A}{16} = \frac{a}{8}$ Contang. $\frac{A}{16}$ $cx = \frac{a}{16}$ divis. per Tang. $\frac{A}{32} = \frac{a}{16}$ Contang. $\frac{A}{32}$, et ſic in infinitum.

Poſito ergo, quod n denotet numerum huiusce ſeriei, 1, 2, 4, 8, 16, 32; . . . . Generaliter Radius cuiuscunque Circuli Polygono Quadrat. $BFGD$ Iſoperimetro inſcripti per hanc expreſſionem obtinebitur.

$$R = \frac{a}{2n}$$

$$R = \frac{a}{2n} \text{ divis. per Tang. } \frac{A}{4n} = \frac{a}{2n} \text{ Contang. } \frac{A}{4n}$$

$$2R = \frac{a}{n} \text{ divis. per Tang. } \frac{A}{4n} = \frac{a}{n} \text{ Contang. } \frac{A}{4n}$$

Sed ubi Polygonum est infinitilaterum, hoc est, ubi n denotat numerum infinitum Tangens cum Arculo confunditur; ideoque

$$\text{Tang. } \frac{A}{4n} = \frac{A}{4n}$$

Et Diameter Polygoni infinitilateri, id est Fig. 7. $BX = \frac{a}{n} \times \frac{4n}{A} = \frac{4a}{A}$. Consequenter $\frac{4a}{A}$ erit Diameter Circuli Quadr. $BFGD$ Isoperimetri, cuius Latus est a.

XIII. Patet denique ex dictis, (Fig. 7.) Summam rectarum DH, HI, IV .... aequari $\frac{4a}{A} - a$; ideoque haberi per Circuli Quadraturam.

Probe

Probe Rußischer Annalen ꝛc.

i. e.

SPECIMEN ANNALIUM RUSSICORUM, scriptum ab AUGUSTO LUDOVICO SCHLOEZERO, Professore Historiarum Russorum Imperatricis, Academiarum Petropolitanae, Goettingensis, et Holmiensis Socio.

Bremae et Goettingae, typis Ge. Lud. Foersteri. 1768. 16 plag. in 8.

Vtemur hic quemadmodum saepe alias fecimus, iudicio virorum doctorum, qui Goettingae, ex voluntate regis Magnae Britanniae, in societatem historicam coierunt, atque inde ab aliquot annis Bibliothecam historicam, qua de optimis ad omnem Historiam pertinentibus libris relatum et iudicatum est, edere coeperunt. Omnem Libri, cuius titulum posuimus, ambitum, *Schloezerus*, Vir doctissimus, partitus est in quatuor disputationes, quarum haec argumenta sunt. Prima, quae inde a pag. 1. usque ad pag 42. progreditur, exponit de vita, scriptis, et continuatoribus *Nestoris*, antiquissimi, quantum quidem nunc constat, non modo Russorum, verum etiam omnium reliquarum nationum Slavicarum historici, qui circa finem Seculi XI. et sub initium XII. vixit in coenobio Peczerico, atque annales suos scripsit lingua Slavonica. Huius rei cognitio profecto multum facit ad constituendam Nestoris fidem historicam, et ad refutandos eos, qui ipsi in enarrandis rebus sunt contrarii. Incipit autem ille annales suos ab initio monarchiae Russicae, quod est ab a. 862. et obiter commemorat Slavorum peregrinationes, e primis ipsorum sedibus, in regiones boreales.

Russia omnis, temporibus antiquissimis, circumscripta fuit provinciis Russ, Tschud, Murom, Mordua, Perma, Jam, Litwa, Simegol, Kors, Setgola, Lib, Lech, et Pruss, in quibus provinciis ab initio habitavere Japheti posteri. Sanctus Andreas, per Russiam profectus, ibi religionem Christianam fundavit. Postquam inde pervenerat in regionem eam, ubi nunc Kiow urbs sita est, conscenso monte, Russiae bene precatus, de urbe aliqua olim celebri vaticinatus est. Cum deinde per Waregorum terram in urbem Romam revertisset, multa ibi miracula de Slavorum in Russia degentium vita et moribus narravit. Primi nationis Slavonicae patres fuere *Kasari*, (postea Bulgari dicti,) e natione Scytharum oriundi. Haec est veluti brevis summa eorum, quae in Nestoris annalibus copiosius enarrantur; e quibus apparet, Nestorem nec esse inter optimos medii aevi historicos, nec inter imperitiores referendum. Pag. 10 – 12. comparantur a Schloezero aequales exterorum historici, secundum ordinem temporum, (i. e. inde ab a. 800 usque ad a. 1553.) cum historicis Russicis, omissis tamen scriptoribus Hungaricis, de quibus Czwittingerus nimis tenuiter exposuisse auctori nostro visus est. Miratur Schloezerus p. 13. quomodo tandem factum sit, ut annales Nestoris septingentis propemodum annis ab exteris ignorarentur. Caussa scilicet huius rei est haec, quoniam isti annales lingua tantum Russica, apud exteros ignota, scripti extiterunt. In Russia ipsa nomen Nestoris ignotum esse non potest, cum vir iste sit in indice Sanctorum repositus, cum ipse ubique communi nomine scriptoris annalium Russici appelletur, ipsique eius annales descripti in multorum sint manibus. Et tamen Müllerus, Historiographus Russicus, Nestorem dudum venditavit sub nomine Abbatis Theodosii, Hist. Russ. Tom. I. p. 1. quem errorem triginta demum annis post emendavit. Pag. 16. huius erroris caussa satis ridicula enarratur. Nimirum, inscius aliquis epitomator horum annalium, in codicis Mscti, quo usus erat, titulo, legerat tantum haec verba: Czernoriza Peczers-

Peczerskago monaſtyr Feodosjevâ. Ille igitur epitomator, cum neſciret diſcrimen inter Teodosjeva et Teodoſija, pro *Monachi coenobii Peczerici Theodoſiani,* vertit, cum magna fiducia, *Monachi coenobii Peczerici Theodoſii,* In ſequentibus Schloezerus copioſe diſputat de voce annalium, eoque nomine eos tantum libros dignos eſſe cenſet, in quibus facta eius temporis, quo ſcripti ſunt, enarrantur. Hanc annalium notionem, cuius inſolentiam ipſe non negat, conſtituit propterea ut Neſtori ſuo tanto maiorem fidem atque auctoritatem conciliaret. Sed ex uſu veterum Scriptorum, annales dicuntur, in quibus res geſtae ſecundum ſeriem annorum deſcribuntur. Secundum Schloezeri notionem, nec ipſe Neſtor annalium ſcriptor dici, niſi in enarrandis rebus geſtis ſeculi XI, poteſt.

Legitur in Joecheri Lexico eruditorum locus aliquis de Neſtore, qui ex hoc Schloezeri ſpecimine multis modis emendari poteſt. Neſtorem plane numquam extitiſſe crediderunt Petreius, Treuerus, Mollerus, et Joachimus, his inducti rationibus: quoniam ſcribendi artem anno demum 1262. ad Ruſſos perveniſſe ſibi perſuadebant, quo tempore Neſtor, et quinque alii annalium ſcriptores, dudum ſcribe e deſierint. Sed evicit Schloezerus certis argumentis, iam ſub finem noni ſeculi, quo Michael III. (quem illi confuderunt cum Michaele Palaeologo, qui quadringentis amplius annis poſt vixerat,) regnabat, primas litteras a Cyrillo eſſe ad Slavos perlatas, et ab his ſub initium Seculi X. ad Ruſſos perveniſſe. Pag. 23. commemorantur aliquot libri, e quibus, tanquam e puris fontibus, multa ad Neſtoris hiſtoriam pertinentia derivari poſſunt. Huc referuntur 1) ipſius Neſtoris chronica; 2) Patericum, ſ. vitae Sanctorum coenobii Peczerici Kievienſis, in quo reperitur breve Neſtoris idque hiſtoricum elogium; 3) Tatiſcevii introductio in hiſtoriam Ruſſicam nondum editam; 4) denique Mulleri diſputatiuncula de Neſtore, in diario ſingulis menſibus inde

ab anno 1755. lingua Ruſſica edito. Neſtoris locus natalis adhuc ignoratur. Quanquam enim Tatiſcevius contendat, ipſum natum eſſe ad lacum album ditionis Novogorodenſis, (Bèlozero): tamen locus in Neſtoris chronica, quo ille tanquam firmo argumento nititur, in uno tantum manuſcripto Regiomontano reperitur, et ſine dubio eſt deſcriptorum vitio depravatus. Natum eſſe Neſtorem a. 1056. Schloezerus, conferendis inter ſeſe teſtimoniis hiſtoricis, probavit. A. 1073. ſeceſſit in coenobium Peczericum, in quo linguam Graecam ex Cedreno, Zonara, et Syncello addiſcere coepit. Horum virorum ſcriptis legendis paulatim aſſuefactus eſt ad ἀκρίβειαν chronologicam, quam diſcere e Polybio, Xenophonte, et aliis, vix ita bene potuiſſet.

Neſtoris habemus duo libros, primum annales, deinde vitas ſanctorum coenobii Peczerici. Illi pag. 30. ſeq. deſcribuntur. Quoniam ibi fit mentio multarum rerum deinceps geſtarum, quas non videtur mera traditio per 200 annos conſervare potuiſſe, et praeterea verbotenus duo pacta, a. 912. et 945. a monarcha Byzantino et Kievienſi commerciorum et pacis cauſſa facta, ibi leguntur: ſequitur, Neſtorem haec e ſcripto aliquo repetiiſſe, quamquam id non diſertis verbis dicat; nam in Byzantinis, unde interdum talia depromſit, haec duo pacta non reperiuntur. Hoc loco Schloezerus commode exponere de fontibus potuiſſet, unde Neſtor ſua hauſit. Sumamus, initia artis ſcribendi in populis Slavicis incidere in finem noni ſeculi. Hoc ſi verum eſt, ſtatim intelligitur, res eas, quas Neſtor ante finem IX. Seculi geſtas eſſe commemorat, vel e Byzantinis, vel e traditionibus aliorum eſſe repetitas. Utriusque fontis diſcrimen intelligi e comparatione annalium Neſtoris cum Byzantinis poteſt ita, ut, in quibus Neſtoris annales cum Byzantinis conſonent, in iis fidem mereantur hiſtoricam; contra, quae in Byzantinis non commemorantur, in illis Neſtor tantum veroſimilia tradidiſſe cenſendus ſit. Interdum

etiam

etiam Neſtori aliqua fides adſtrui e monumentis Germanorum atque aliorum ſcriptorum externorum poteſt, modo ii non ſint recentioris aetatis, ut Suecici, Dani, Polonici, Bohemici. Ita iudicari debet de Neſtoris annalibus, quoad in iis exponitur de rebus ante finem IX. ſeculi geſtis. Nam ſi verum eſt, ſub finem IX. ſeculi artem ſcribendi ad Ruſſos perveniſſe, Neſtor *fortaſſe*, inde ab eo tempore, praeter Byzantinos etiam ſcriptoribus Ruſſicis uſus eſt, qua tamen ipſa in re magna cautione opus eſt. Nam Neſtor inde a ſeculi IX. fine, uſque ad ſua tempora, duplicem veluti perſonam agit, nempe deſcribentis, et aequalis ſcriptoris. A medio ſeculo XI. Neſtor incipit eſſe aequalis. Verum ne ſic quidem res omnis expedita eſt. Nam cum eſſet monachus, in coenobio omnem vitam agens, non poteſt profecto omnium rerum, quas narrat, auctor aut teſtis eſſe, niſi ſi hoc ex ipſa narratione clare appareat. Uſque ad medium ſeculum XI. Neſtor ea quae narrat omnia aliunde ſumſit, adeoque eius fides tanta eſt iudicanda, quanta eſt eorum, a quibus ſua repetiit, ſi modo non perperam deſcripſit. Quodſi vero res quaedam geſtae paullo copioſius atque accuratius enarrentur a Neſtore, quarum nec in Byzantinis, nec alibi, relicta ſunt veſtigia, veroſimile videtur, illas deſumſiſſe e libris antiquioribus.

Redeamus in viam, unde digreſſi ſumus. Schloezerus praeter Ruſſos aliorum quoque populorum annales alicuius momenti conquiſivit, nec tamen praeter annales Principum Dalmatiae ac Croatiae, (inde ab a. 538. uſque ad 1079.) Dalmatice ſcriptos, et ab Aſſemano in Kalendariis eccleſiae univerſae Tom. I. p. 325. deſcriptos, nihil memorabile reperit. Reliqui Annalium ſcriptores in Slavis qui Neſtoris fere aequales fuerunt, latine ſcripſere omnes, nullus tamen eorum Neſtorem aſſequutus eſt. Pag. 36. in nota, Schloezerus e Mulleri collectione hiſtoriae Ruſſicae Tom. 5. p. 6. repetiit locum, qui ſic habet: E Neſtore, eiusque conti-

„nuatoribus orta eſt continua rerum Ruſſicarum ſeries, quae „tam eſt plena, ut nulla natio gloriari de tanto rerum ſua„rum apparatu poſſit.“ Qui tam glorioſe ſcribere poteſt, is, veremur, ne inſigne partium ſtudium prodat, et in animadvertendis aliarum nationum divitiis coecutiat.

Pag. 36. Schloezerus deſcribit Neſtoris Patericon, ſ. vitas Sanctorum coenobii Peczerici Kievienſis. Eius reliquias, (nam autographum non amplius extat,) Simeon, epiſcopus Wolodimiri et Suſdaliæ, excerpſiſſe dicitur, cuius vitam Schloezerus ponit in ſeculum XII. (exiens.) Pag. 38–42. exponitur de Neſtoris continuatoribus ſecundum Tatiſczevium et Müllerum, a quibus Schloezerus omnia, quae dicit, in brevem redacta ſummam, repetiit. Primus, qui Neſtoris annales continuavit, fuit Sylveſter, abbas primum Kievienſis, deinde ab a. 1119. epiſcopus Parejaslavienſis. Quo autem anno Neſtor ipſe deſinat, et Sylveſter incipiat, nondum liquet. Ad a. 1116. Sylveſter ſemet ipſe aliqua formula notum facit, quanquam, utrum hic initium, an finem narrandi faciat, adhuc ignoretur. Illud ſtatuit Mullerus, quem et Schloezerus ſequitur propterea, quod Sylveſter ipſe ſe dicat ſcripſiſſe ſub imperio Uladimiri Monomachi, quem conſtat regnare anno demum 1114. coepiſſe. Contrarium defendit Tatiſczevius, cui nos propter formularum, quae apud alios annalium ſcriptores occurrunt, ſimilitudinem, adſtipulamur. Dum praeterea inde ab a. 1114. uſque ad a. 1123. quo Sylveſter mortuus eſt, ipſi novem anni effluxerint, potuit ſane Sylveſter intra hos novem annos et Neſtorem deſcribere, et aliquot annos amplius in rebus enarrandis progredi. Sequuntur duo alii continuatores Neſtoris, quorum tamen nomina ignorantur. Unus ex illis accurate depinxit Ducum ſtaturam, vultum, et faciem, ad modum fere pictoris. Hi igitur quatuor annalium ſcriptores efficiunt univerſalem Ruſſiae hiſtoriam. Sequuntur iam annales ſpeciales, ſ. ſingulorum diviſi Ruſſici imperii Statuum, quorum

quorum ſcriptores omnes fuerant monachi Primus eſt Simeon, epiſcopus Suſdaliae in alba Ruſſia; alter Johannes, ſacerdos Novogorodenſis, qui a. 1230. aequalem ſe profitetur. Reliqui omnes ſunt anonymi.

Pag. 43 – 144. Schloezerus exponit de antiqua hiſtoria Ruſſica in genere, de eius lato ambitu, variis partibus, et inſigni praeſtantia. Statim ab initio eſt locus pulcherrimus, de magnitudine imperii Ruſſici, et variis nationibus, quae illi ſubiacent. Univerſam Ruſſiam auctor non dubitat appellare vaginam gentium, et officinam nationum; quoniam illinc multi populi exierant, qui in Europa tota regna vel fundaverunt, vel funditus everterunt. Atque hae tot nationes, quae ſub uno hoc imperio comprehenduntur, omnes ſunt religione, lingua, moribus, et origine, longe diverſiſſimae.

Pag. 47. diſquiſit. altera, auctor propius accedit ad ipſam hiſtoriam Ruſſicam, quam in antiquam et recentiorem partitur. Antiquam orditur a fundatione monarchiae Ruſſicae, per Ruricum facta, i. e. ab a. 862 – 1598. Atque hanc ſolam Schloezerus ſibi elaborandam ſumſit, ita tamen, ut plures fabulas refutaret, quam veritates ſtabiliret, ſecundum illam primam hiſtoriae legem, *ne quid falſi dicatur*. Ruſſi nono demum ſeculo commemorantur, ſed ita, ut res praeclare geſtae ipſos prae reliquis inſignes faciant. Quoad ſunt Slavi, altius eſt eorum origo repetenda. Vulgo putant, Slavos primum circa a. 530. occurrere, quam ſententiam et Schloezerus p 54. amplexus eſt. Verum in praefatione eam iterum reiecit, poſtquam a Strittero edoctus cognovit, in Byzantinis Slavorum prius iam mentionem fieri. Graeci ac Romani ſcriptores eos communi Scytharum et Sarmatarum nomine comprehendunt. Incoluere Slavi boreales Danubii ripas ſecundum Neſtorem, quem et Schloezerus ſequitur. Eos primis temporibus ſuas ſedes prope Wolgam habuiſſe, id, etſi verum eſſe poteſt, tamen nondum plane

plane evictum esse a viris eruditis, existimat. Verosimile quidem, neque tamen simpliciter verum est, illos esse eosdem cum iis, qui a Tacito Venedi, Οὐενέδαι a Ptolemaeo vocantur. Slavos Nestor narrat, a Wolochis coactos, a Danubio usque ad regiones aquilonares progressos esse. Wolochum nomine Schloezerus primum intellexerat Romanos; in praefatione vero retraxit hanc opinionem, cum dicit, eos esse Wlachos, populum Bulgaricum, qui exeunte seculo V. in Danubii incolas impetum fecerint. Ipsorum nomen passim occurrit in Orientalibus, Byzantinis, atque in epistolis Innocentii III. pontificis.

Pars una Slavorum a Danubio profecta, sedem sibi fecit flumen Dnepr, atque Kioviam condidit; altera pars altius progressa usque ad fl. Wolchov, aedificavit Nowgorod (*Neustadt.*) quae urbs praesupponit Stargorod (*Altstadt.*) Atqui annales Russici perhibent, Nowgorod crevisse e ruinis urbis alicuius, quae Slowensk dicebatur. Verum Civitas illa nova, cuius Jornandes meminit, non est Nowgorod, sed est potius urbs inferioris Moesiae. In hisce novis sedibus Slavi, per aliquod tempus, a binis populis peregrinis oppressi sunt; nam Chazari Kioviam, Waraegi (*Normanni*) Nowgorod sibi subiecere. Verum Nowgorodenses non ita multo post, Finnis vicinis in auxilium vocatis, sibi libertatem pristinam vindicavere. Exortis dein per introductam democratiam turbis intestinis, Nowgorodenses, auctore Gostomysl, ab ipsis suis hostibus Waraegis, in suas terras accivere tres fratres, Ruricum, Sineum, et Truworem, quibus ipsi tanquam subditi parerent. Hi igitur, postquam anno 862. venissent, Nowgorodensium terras inter se partiti sunt. Binis posterioribus duobus annis post mortuis, Ruricus solus Nowgorodensibus imperavit. Atque haec sunt initia monarchiae Russicae, in quibus omnia sunt clara atque perspicua. Verum si quis altius progredi velit, is reperiet, omnia densis tenebris involuta esse: rumpi filum historicum.

Quaeri-

Quaeritur in sequentibus, quinam fuerint Slavi, et quas regiones incoluerint ante, quam in Russiam penetraverint? Quidam dicunt eos esse Plinii et Taciti Venedos, atque sedes suas habuisse in mari Baltico. Et hanc opinionem Schloezerus multis adiuvat argumentis. Inter alia duplicem statuit Slavorum in regiones boreales invasionem, alteram priscorum Slavorum s. Venedorum, ante Christum natum; alteram vero recentiorum, inde a Danubio profectorum, quae facta sit seculo VI. Sed vero nisi scriptoribus historicis ac geographicis vim facere velimus, profecto uno nomine Venedorum, quos Tacitus commemorat, non possunt omnes nationes Slavicae comprehendi, quorum postea notitiam accepimus. Sunt illi potius una tantum ac peculiaris gentis Slavicae pars, a quibus diversa est natio Slavorum ea, quae in latissima veterum Sarmatia propius ad Danubium habitavit. Alii Slavorum primas sedes in Illyria prope mare Adriaticum quaerunt, inducti loco aliquo Hieronymi, quem illi male interpretati sunt. Sunt porro qui putent, Slavorum primam habitationem fuisse prope Wolgam ad mare Caspium, quoniam Wolga et Bulgar unius eiusdemque originis vocabula existimabant. Verum ita commiscentur prisci Bulgari cum recentioribus. Illi proprie non pertinebant ad Slavos, quamquam sequentibus temporibus cum Slavis commixti, linguam et mores ipsorum assumserint. Denique alii, ad quos nuper demum Gelasius Dobner accessit, existimant, Slavos ab initio in Colchide inter mare nigrum et Caspium habitavisse. Verum nec haec sententia certo et firmo argumento nititur, immo potius multis et validis rationibus everti potest. Nam priscae linguae illarum regionum, quae hodienum in usu sunt, nullam prorsus cum dialectis linguae Slavicae habent similitudinem. Nomina Slavica aliquot locorum in illis regionibus, eiusdem sunt cum nominibus Anglicis ad fl. Ohio originis, nec superant aetatem Imp. Iwan Wasiliewitsch, qui partem aliquam illius terrae in potestatem Russorum redegit.

Pag. 70 – 72. Schloezerus explicat ſententiam ſuam de antiquiſſima Slavorum hiſtoria. Res breviter huc redit: 1) Hodierni Slavi prope Danubium habitavere, priusquam per Poloniam et Ruſſiam profecti ad mare Balthicum pervenere. 2) A Gothis, Alanis, Hunnis, Chazaris, Avaris, Petſchenegis et Turcis, ſunt longe diverſiſſimi. 3) Slavos, Germanos, Graecos, et Latinos, eſſe unius eiusdemque originis, clare intelligitur e comparatione linguae Slavicae cum Germanica Graeca, et Latina, quarum illa veluti ſoror quaedam appellari poteſt. Gloſſarium Slavonicum, quod a Schloezero nobis promiſſum eſt, hoc omnium optime docebit. 4) Si quis remotiores Slavorum origines indagare velit, is comparandis ipſorum linguis reperiet, eos pertinere ad eam populorum claſſem, qui inde a mari Caſpio per Aſiam minorem uſque ad Europam ſedes ſuas habuere, atque poſtea in tres populos Medos, Phrygios, et Thracas, abiere. Denique Schloezerus pag. 72. exoptat, ut aliquis vir eruditus, linguarum cognitione bene inſtructus, exoriatur, qui methodo Linnaei conſcribat Syſtema populorum, in claſſes et ordines, genera et ſpecies, redactorum. Materia, cui veluti fundamento tale aedificium ſuperſtrui poſſit, forent linguae, quorum ope pelli tenebrae, in populorum hiſtoria antiqua et media paſſim obviae, omnium optime poſſent. Verum huic tali operi ſcribendo nemo fortaſſe aptior atque eruditior reperietur Schloezero ac Buttnero, quorum inſignis cognitio, qua pollent in hiſce linguis, dudum reipublicae litterariae innotuit.

MEMOI-

MEMOIRES POUR LA VIE DE FRANçois Pétrarque &c.

h. e.

VITA FRANCISCI PETRARCHAE, EX OPERIbus eius aliisque ſcriptoribus coaevis deſumta, cum notis ſive diſſertationibus et ſcriptis apologeticis. TOM. *I.* 447. *pagg. Adnott.* 79. *pagg. Epiſtol. duar.* 119. *pagg.* TOM. *II.* 495. *pagg. Adnott.* 82. *pagg.* TOM. *III.* 811. *pagg. et document.* 88. *pagg.*

Amſtelodami, apud Arkſtee et Merkus, 1764. et 1767. in 4.

Ingenia docta ſi Muſa vetat mori, hoc in primis convenit in Petrarcham noſtrum, poetam ſeculo licet tali florentem, quo bonae literae magna caligine obſcuratae iacebant, tantam tamen ſibi gloriam vindicantem, quae et per quatuor ſecula, tot hominum memoriam iam obliterantia, illibata perennaret. Multi quidem multa iam de Petrarcha ſcripſerunt, at nemo tam copioſe, quam auctor hic, de *Sade*, Abbas, omnia, quae ullam habere videbantur cum vita illius coniunctionem, ſedula cura colligens. Totum opus ſex libris conſtat. *Primus* agit de nativitate, educatione, ſtudiisque Petrarchae; *alter* ab illo tempore incipit, quo familiaritatem cum Laura contraxit, et pertinet ad coronationem uſque illius poeticam; *tertius* finit cum morte Laurae; (huc uſque porrigunt ſe quoque duo tomi priores;) *quartus* pergit uſque ad commorationem illius Vancluſii A. 1353. *quintus* uſque ad diſceſſum Mediolano Pataviam, A. 1361. *ſextus* denique usque ad illius obitum. Quos cum nimis longum foret ſingulos recenſere, ea tantummodo recen-

gere lubet, quae in tomo tertio continentur notabiliora. Colonna, vir purpuratus, patronus iuxta et amicus Petrarchae, mortuus dicitur A. 1348. Avenioni, ubi hanc ob caussam familiares Petrarchae, ex quibus Socrates, Lucas, Acursius, notantur praecipui, diutius versari nollebant, Italiam petentes, restante solo Socrate. Petrarcham vero Lucas et Acursius cum Parmae non invenissent, Veronam profectum, literas ad eum reliquerunt. Quae acceptae animum Petrarchae sollicitum admodum habuere, qui etiam, loco, ubi amici commorarentur, sibi ignoto, literis tenerrimi adfectus plenissimis quaquaversum missis, eos invitavit. At mox increbuit rumor, de utroque a latronibus interfecto. Brevi post Petrarcha iter ad Ludovicum de Gonzaga, Dynasten Mantuae, suscepit, grati sui animi pro variis beneficiis ab illo tributis declarandi caussa. Guido de Gonzaga magnam voluptatem ex libris legendis captans, commodatum a Petrarcha accepisse legitur librum Gallicum, cuius titulus est, *Rosa*, et cuius historiam, itemque argumentum auctor noster, excursionibus quavis data occasione faciundis, nimio plus adsuetus, persequitur. Tum Pataviam profecto Petrarchae, Canonici dignitas a Jacobo de Carrara dono fuit oblata, quam etiam haud recusandam putavit, licet iam Archidiaconus esset Parmensis. Pataviae in notitiam ac familiaritatem Guidonis Bulonienfis, viri purpurati, venit, cuius totam vitam heic insertam legere licet. Carolus IV. tum temporis Imperator, instigatus a Clemente VI. Pontifice R. ad iter in Italiam faciundum fuerat. Qua in re opera quoque Petrarchae insignis fuit. Is vero cum aliquandiu varias urbes peragrasset, Florentiam venit visitatum amicos, ex quibus Zanobius de Strata, Franciscus Nellus, et Johannes de Certaldo, insigniores laudantur, quorum imaginem simul auctor noster depingit. Tum profectus Romam, magno Jubilaeo interfuit, cuius et origo fuse hic describitur. Reversus Pataviam, nuncium de Jacobo de Carrara, nece aeque truculenta interemto, accepit,

qua

quapropter mox diſceſſum meditabatur. Hinc ſaepius Venetiam ſe recepit ad Andream Dandulum, reipublicae Ducem ſibique amicum. Hac occaſione, et Ducis vita, et qui ſtatus fuerit tunc temporis rerum Venetarum et Genuenſium, breviter attingitur. A. 1351. Florentini Boccacium miſerunt ad Petrarcham, qui literas de reſtituendis eius bonis paternis nunciantes perferret, quae tamen bona recuſavit Petrarcha, Avenionem ſe conferens Papam ſalutatum. (Hic quoque auctor noſter iniicit de rerum in aula Pontificia ſtatu mentionem, pag. 144–202.) Vancluſii commorato diuturna interceſſit cum Medicis controverſia, ad calamos invicem ſtringendos largam ſuppeditans materiam. Hoc tempore famoſus ille *Rienzi* A. 1352. Avenionem venit, cuius motus etiam hic brevibus narrantur, variaque hiſtoricorum vitia emendantur, p. 221–245. Quo facto Pontifex R. Petrarchae, quem ob ingenii praeſtantiam in aula ſua retinere cupiebat, denuo obtulit ſcribae publici dignitatem, quam vero ille recuſabat, libertatis aureae amantior. A. 1352. fluctus inter Venetos ac Genuenſes ortos per literas ſedare ſtuduit: (ſub eiusdem anni finem mortuus eſt Clemens VI. cuius vita aeque ac Innocentii VI. ſucceſſoris deſcribitur.) Anno inſequenti miſſus eſt Petrarcha cum aliis deputatis Joannis Vicecomitis (Viſcomti) Venetias, qui hanc rempublicam ad pacis conſilia moveret. At eloquentia eius ſucceſſu caruit. Brevi poſt mortuus eſt Viſcontius, de quo iuxta ac tribus eius filiis, terras relictas inter ſe dividentibus, multa notatu digna memorantur, itemque de Rienzi eodem tempore vita defuncto, p. 366–376. A. 1354. Petrarcha Imperatori de adventu in Italiam gratulatus eſt per literas, hic cum aliis multis inſertas, quem quoque Imperator acceſſu admodum gratioſo, et familiariori ſaepe colloquio dignabatur. A. 1356. legatus a Viſcontio Pragam ad Imperatorem miſſus, et A. 1357. per diploma Caeſaris Comes Palatinus renunciatus eſt. Pag. 455. refel-

 litur

litur commentum illud *Squarzafici*, Petrarcham Garignani prope Mediolanum commoratum, cum virgine aliqua ex familia Beccaria filiam genuisse. Pag. 459 – 475. factio ab Alborno contra Viscontes excitata et bellum insequens, in quo etiam Petrarchae partes versabantur, describitur. A. 1358. librum edidit de remedio utriusque fortunae, cuius historia hoc loco enarratur. A. 1359. literas ab Anna Imperatrice, de nativitate filiae principis renunciantes, accepit. A. 1360. petiit Lutetiam Parisiorum, Johanni Angliae regi, aliquandiu in captivitate retento, de liberatione gratulaturus. Rex voluit Petrarcham secum retinere, quem tamen ille honorem deprecatus est, frigentibus nimium in Gallia bonarum artium studiis: venit tamen in familiaritatem et literarum commercium cum Petro Bercheur, qui multos scriptorum veterum transtulerat. Illo tempore ipse Imperator Petrarcham literis admodum honorificis invitavit, honores oblatos omnes recusantem, quinimo Imperator, gaudii sui de filio Wenceslao Noribergae nato testificandi caussa, aureum poculum cum literis ad eum dono misit. A. 1361. Mediolano, quae urbs et a latronibus, et a pestilentia valde affligebatur, relicto, Petrarcha se contulit Pataviam, cuius brevis exhibetur descriptio. A. 1361. Zanobius, Petrarchae amicissimus, et scriba Pontificis, mortem oppetiit, cuius successor renunciatus est Petrarcha, qui tamen eam dignitatem deprecabatur. Quo facto denuo ab Imperatore per literas in Germaniam invitatur, Episcopo insuper Olmucensi eiusdem argumenti literas mittente; et iter quidem paravit, sed ob viarum a latronibus turbatarum periculum intermisit. Pag. 600. multa nova de Boccacio et Decamerone leguntur. Circa dimidium anni 1362. grassante Parisiis pestilentia, Petrarcha Venetiam adiit, rempublicam istam heredem suae bibliothecae scribens. A. 1363. Veneti bellum in Candia insula gesserunt, in quo pars etiam Petrarchae haud postrema fuit. Duobus annis post Floren-

Florentini Canonicatum a Papa pro eo impetrarunt, quod tamen falſo increbeſcente rumore de obitu Petrarchae, irritum factum eſt. Eodem tempore a Venetis rerum graviorum cauſſa Avenionem miſſus eſt. Pag. 700. multa notatu digna de Johanne Malpighino, alias Johanne de Ravenna occurrunt. A. 1367. Urbanus V. poſthabitis precibus purpuratorum ſedem Pontificis R. Romam reduxit, quam ob cauſſam literis prolixis gaudium ſuum teſtatus eſt Petrarcha. Anno inſequenti invitatus eſt a Galeacio Viſconti, cuius interitum et Pontifex et Imperator minati erant, Mediolanum, ut ſibi in his rebus dubiis a conſiliis eſſet. A. 1370. Romam invitatus ab Urbano V. Papa, iter quoque paravit, ſed Ferraram veniens in morbum incidit. Quapropter Arquae prope Pataviam, in collibus Auganaeis, ſeceſſum quaerebat. Conſcripſit ibi librum de vetere philoſophia, inſignes in Italia motus in primis Venetiis excitantem. Pag. 766 – 786. mentio fit Jacobi de Dandi clari philoſophi, medici, Aſtronomi itemque amici Petrarchae A. 1371. novus creatus Pontifex R. Gregorius XI. Petrarcham non minore gratia, quam eius anteceſſores, omnio proſecutus eſt De morte Petrarchae A. 1374. inſecuta, multo copioſius certiusque, quam omnes alii, tradit auctor noſter, itemque de magnis converſionibus in republica literaria poſt obitum eius factis, neque minus de Boccacio anno inſequente mortuo. Ex his igitur paucis intelliget Lector, quam varia aeque ac utilia in hoc opere contineantur, non Petrarcham ſolummodo, ſed etiam hiſtoriam Italiae attinentia, et quam amplus ſibi aperiatur, ad curioſitatem rerum amoeniſſimarum varietate ac copia paſcendam campus.

PIA

PIA LIBERALITATE SYLLACHI FUNDATA, ſapienti adminiſtratione digniſſimorum Antiſtitum conſervata, eximia ſummorum et ampliſſimorum benefactorum munificentia glorificata, perque mille annos florens Ottobura: ſive brevis deſcriptio fundationis, conſervationis, et incrementi antiquiſſimae et immediatae Abbatiae templique Ottoburenſis.

Ottoburae, 1766. Folio.

Chronicon hoc, et ſtili in rebus Proteſtantes attingentibus modeſtia, et rerum quas tractat varietate ſe commendans, tribus abſolvitur partibus. *Prima* tradit originem, ſive fundationem coenobii Ottoburani. *Syllachus* enim Comes, et *Ermiswint* coniux eius, cum *Gauziperto*, *Tottone* et *Dagoberto*, filiis, hoc coenobium in valle, quam *Günz*, rivus alluit, A. 764. fundaſſe, et Carolus M. A. 769. confirmaſſe dicitur. Diplomata fundationis pariter ac confirmationis verbotenus inſerta ſunt. Litterae fundatoriae ſic incipiunt: *Anno incarnationis Dominicae ſeptingenteſimo ſexageſimo quarto, regnante Carolo glorioſo Romanorum Imperatore.* At enim multa ſunt, quae nos impediant, quo minus earum ingenuitatem agnoſcamus. Inter alia obſtant tempus, formulae, ac tituli poſterioris aetatis, annus regnantis Caroli deficiens, et eruditorum auctoritas falſitatem huius diplomatis iam odorantium. Id quod paucis docendum eſt.

I) Obſtat *tempus.* Id temporis, quo diploma fundationis confectum traditur, Pipinus, Caroli M. pater, adhuc ſuperſtes fuit, et Carolus cum Carolomanno fratre, poſt mortem demum Pipini coniunctim regnarunt, quemadmodum et *Eginhardi*, et aliorum Annalium, *Metenſium*, *Francicorum*, *Laurishamenſium* teſtimonio fide digno conſtat. Ergo:

Ergo *Syllathus* iam A. 764. neutiquam ſcribere potuit, *regnante Carolo glorioſo Romanorum Imperatore.* Accedit, quod et ipſa verba, *Romanorum Imperatore,* haud levem ſcrupulum ac ſuſpicionem iniiciant. Imperatoris enim titulum Carolus demum A. 800. ſibi vindicavit, uti extra omnem dubitationem poſitum, et hic pluribus evinci ſupervacaneum eſt. Denique quod ad diploma confirmationis attinet, id enormis ſe anachroniſmi reum facit. Carolus enim ibidem fingitur Hildegardis, coniugis ſuae, mentionem iniicere: *Hildegardis dilectiſſimae coniugis noſtrae.* Jam vero Hildegarden A. demum 771. Carolo nupſiſſe, ex Mabillonio in opere de re diplom. Lib. II. c. XXVI. §. 4 p 19. videre licet, qui ex quodam huius Imperatoris diplomate hanc ſubſcriptionem refert: *Data Kal. Maii Anno XV. et IX. regni noſtri, ab incarnatione autem Chriſti 783. in die aſcenſionis Dominicae, in cuius vigiliis ipſa dulciſſima coniux noſtra obiit, in anno XII. coniunctionis noſtrae.*

II.) Obſtant *formulae* ac *tituli,* tum temporis plane inſolentes. Carolus etenim M. tales ſibi titulos in litteris confirmatoriis tribuit, quales in aliis eiusdem aetatis diplomatibus fruſtra quaeſiveris: *Carolus a Deo ordinatus, Auguſtus, Magnus, Pacificus, Imperator Romanorum, Gubernans imperium.* Fatemur quidem haud deeſſe, quae ſplendidis huiuscemodi titulis ſuperbiant, Caroli M. diplomata, at omnia in iſtud tempus reiicienda ſunt, quo Imperator hic re et facto talia ſibi nomina vindicare potuit, ſcilicet poſt A. 800. Mabillonio auctore, qui titulos Caroli M. tribus diverſis epochis terminat. Antea enim, cum ſolus rex eſſet Francorum, legimus: *Gratia Dei Rex Francorum, vir inluſter*; poſt initum vero regnum Longobardicum: *Carolus gratia Dei Rex Francorum et Langobardorum atque Patricius Romanorum.* Cum tandem Imperator coronatus eſſet, hiſce utebatur titulis: *Carolus Sereniſſimus Auguſtus, a Deo coronatus, magnus, pacificus, Imperator, Romanorum gubernans imperium,*

perium, qui et per misericordiam Dei Rex Francorum et Langobardorum. Accedit insuper formula in diplomatibus Carolingicis etiam valde inusitata: *cum principibus nostris.* Nos quidem saepe invenimus: *fideles nostros,* non vero *principes nostros.*

III.) Obstat etiam hoc, quod annus incarnationis, in diplomatibus Caroli M. admodum raro occurrens, solummodo nominatur, non vero annus regni.

IV.) Denique obstat eruditorum *auctoritas,* in primis *Ellenbogenii,* ipsius quondam monachi Ottoburensis eruditissimi, qui ad Peutingerum literas dedit huius argumenti: *Quod petis copiam literarum Imperialium Caroli M. velim aequo animo suscipias hanc meam excusationem. Literae originariae, ut ex superiori epistola edoctus es, igne sunt absumtae. Quae vero adhuc habentur transscripta, fide minus digna sunt, nulliusque ponderis. Adde quod pleraque in eis continentur, quae si publicitus exierint, facile monasterii in praeiudicium cedere possent. His aliisque rationibus satis praegnantibus ponderatis, Abbas noster satius iudicavit, literas ipsas perpetua clausura servari, quam omnibus legendas in publicum dari.*

Sed pergamus ad reliqua. Laudatur quoque Caroli, et Hildegardis coniugis, erga novum hoc fundatum coenobium munificentia, concessis opimi admodum praedii reditibus. *Alexander,* unus e septem filiis *Felicitatis,* primus coenobii Patronus celebratur, cui postea adiunctus fuit *Theodorus.* Multa occurrunt de cadaveribus istorum virorum sanctorum, quae Ottoburae asservantur, quae vero non moramur. Quid enim de cadavere Alexandri statuendum sit, patet ex antiquo diplomate ap. Schannat in Vindemiis lit. Coll. II. p. 73. et ex Oefelii Coll. Scriptor. Rer Boic T. I. p. 436. sicuti etiam Theodori cadaver iam Ellenbogenio dubium valde videbatur.

Pars

Pars *Secunda* agit de Abbatibus feculo quoque florentibus, de eorum meritis, itemque coenobii fatis. *Totto*, fundatoris filius, primus nominatur Abbas coenobio per 53. annos praefectus, cuius fanctitas a Chronographo noftro tanta praedicatur, ut vel immenfam corporis proceritatem fuperarit. Abbas *fextus Adalbero*, fanguinis vinculo cum Udalrico, Auguftano Epifcopo, coniunctus huius potiffimum precibus apud Ottonem imperatorem hanc dignitatem impetravit, licet antea nunquam monachus fuiffet; cuius vero Nepotifmi, malorum iliada in Pontificiorum ecclefia excitantis, Udalricum poftea valde poenituiffe, tradit auctor ignotus vitae huius Epifcopi apud Welferum: *Altera vice quadam die quafi de gravi fomno expergefactus ait: Heu, heu, quod illum Nepotem meum unquam vidi, quia pro eo, quod ei fecundum fuum defiderium affentiebam, nolunt me impunitum in fuum recipere confortium.* Sanctus enim ille iter fibi in ignem purgatorium antea fufcipiendum metuebat, quam inter coelites locum caperet. Abbas *feptimus decimus Rupertus* A. 1184. et 80. aetatis fuae creatus, inter fanctorum, et qui miracula ediderint, numerum refertur. Aedificationi coenobii ab anteceffsoribus inchoatae coronidem impofuit, eos etiam, qui non de generofa ftirpe prognati erant, in confortium recepit, prope templum Nicolai domicilium pro generofis et vitae angelicae ftudiofis virginibus exftruxit, ac difciplinam monafticam, introducta reformatione Hirfavienfi, emendavit. Deceffit anno aetatis 120. et 41. muneris. Sub *Bernoldo* Abbate *nono decimo*, A. 1185. celebre monafterium Benedictinum, *Irfee* cognominatum erectum eft, cui ex fratribus Ottoburenfibus *Cuno* Abbas primus praefectus eft. *Bertholdus* Abbas *vicefimus primus*, cuius eximia laudantur merita, a Gregorio IX. Papa, infignium Epifcopalium gerendorum ius accepit. Sub *Henrico V.* Abbate huius coenobii *duodetricefimo*, ortus erat rufticorum quidam tumultus, qui iugum dominorum fuorum et Abbatum de collo excutere, et eadem cum oppidorum civibus iura habe-

re annitebantur, quos vero Ludovicus IV. Imperator, severis interdictis, in officio continebat. Idem Imperator confirmavit quoque ius, dimidiam ex defuncti subiecti bonis partem capiendi, antiquitus iam huic coenobio concessum. Hac occasione temperare nobis non possumus, quin falsam Pontificiorum criminationem apertam faciamus, motus illos tempore repurgatae ecclesiae a rusticis excitatos, Lutheri doctrinae, quasi ad licentiam facem praeferenti, tribuentium: cum iam ex his, quae diximus, satis abunde constet, huiusmodi tumultus multo ante in usu fuisse. Sub, et ab Protectoribus secularibus, coenobium hoc graves vexas et afflictiones patiebatur, quibus subinde Imperatores et interdictis suis, et tutamine suo, obicem ponere studebant. Potissimum tamen auxilium huic coenobio tulit Carolus IV. protectionem eius Clerico Principi *Marquardo*, Episcopo Augustano, demandans, penes cuius successores etiam usque ad tempora Ruperti II permansit. Abbas *tricesimus quintus Eggo*, comes Schwabeggensis, praeter ceteros iuribus coenobii tuendis ac conservandis inclaruit, sub cuius regimine varia nova privilegia coenobio a Ruperto et Sigismundo, Imperatoribus, concessa sunt, atque antiqua confirmata. At studio suo de monasterio bene merendi multos potentes inimicos sibi contraxit, qui eum A. 1416. per domesticos suos in lecto suffocandum, atque de alta fenestra deiiciendum curarunt. *Joannes* Abbas *tricesimus octavus*, etsi bonus et amatus, tamen remotus a munere A. 1460. et captivus e coenobio ductus est mortuus tandem post quindecim annorum exilium, in monasterio Kemptensi, ad cuius aras confugerat. Quo facto *Wilhelmus de Lufterau* ex monasterio Hirsaviensi coenobio successor obtrusus est, qui, cum luxu deperditus esset munerisque suscepti admodum negligens reliquos fratres tam strenuos sui imitatores habuit vt manu armata essent deportandi, et Professi ex aliis monasteriis melius morati in locum illorum sufficiendi Abbati tum gravissimae cum novo conventu lites intercesserunt, quas

Sixtus

Sixtus IV. Papa, ad tribunal ſuum delatas alio modo componere non poterat, niſi Wilhelmo a munere abdicato, et in exilium eiecto. Poſt mortem demum Wilhelmi A. 1479. inſecutam, monachi novi Abbatis electionem aggreſſi ſunt, quam tamen, diſſenſu hac de re orto, Auguſtano Epiſcopo et Abbatibus Elchingenſi ac Wiblingenſi, *Nicolaum Roeslinum* Priorem coenobii Elchingenſis denominantibus, demandarunt. Expulſi vero monachi, conventiculo habito, *Wilhelmum Steudlinum* Anti-Abbatem conſtituerunt, a Lucernenſibus in fidem ac clientelam receptum. Ad quas ergo factiones diremendas varii, Conſtantiae, Lindaviae, Argentorati et aliis locis, conventus agitabantur. Wilhelmus tandem in Italiam profugus factus eſt. Nicolaus vero, etſi depoſitus, reſtitutus tamen in priſtinam dignitatem A. 1486. videtur. *Leonhardus Widemannus*, Abbas *viceſimus quartus*, prudentia, cura, fide, animi magnitudine aequitate litterarumque bonarum ſtudio unus omnium praeſtantiſſimus fuit. De cuius in rempublicam litterariam meritis plura extant apud Schelhornium, in Amoenitt. Hiſtor. Eccleſ. et Liter. Tom. II. pag. 590. ſeqq. Multas ſubiit in famoſo illo bello ruſtico calamitates, adeo ut A. 1522. fugam capeſſere cogeretur, et conventus ipſe ſeſe partim in Helvetiam, partim in Bavariam, ob periculum recipere. Hiſce quidem fluctibus pacatis redux in coenobium factus eſt, at belli Schmalcaldici, iſtas quoque regiones infeſtantis, furore denuo expulſus, mortuus eſt Supplingae A 1546. *Nicolaus Ellenbogenius*, monachus admodum diligens atque eruditus, hoc tempore coenobii Ottoburenſis famam inſigniter nobilitavit, cuius merita eximia Mabillonius in Itinere, et Schelhornius in Amoenitt. ſupra laudatis, ad poſteritatis memoriam propagarunt *Gregorius Reybi*, Abbas *quadrageſimus ſextus*, 18. Apr. 1612. creatus, ob merita ſua in Academiam Salisburgenſem iſto tempore erectam, celebrandus eſt. Is pariter atque ſucceſſores, *Andreas* et *Maurus* belli, tricennalis tempeſtate florentes, haud parum calamitatum cum aliis Ger-

maniae regionibus participarunt. Abbates noſtro potiſſimum ſeculo coenobium Ottoburenſe magna cum laude regentes, praedicantur *Benedictus Hornſtein, Gordianus Scherrich, Rupertus Neſs*, et *Anſhelmus Erb*.

Pars denique *tertia* huius chronici exponit per quorum benefactorum munificentiam auctum ſit hoc coenobium, et ad florem ſuum pervenerit. Varia igitur Imperatorum privilegia laudantur, et partim inſeruntur, de quorum tamen auctoritate adhuc ſub iudice lis eſt. Turpem prodit Chronographus noſter in hiſtoria litteraria ignorantiam, cum ex duobus auctoribus, quorum eximia conſtant in Hiſtoriam Germanicam et ius publicum merita, Marquardo Frehero, et Melchiore Goldaſto Haiminsfeldio, quatuor teſtes facit, ſcilicet Goldaſtum, Marquardum, Freherum, et Melchiorem Haiminsfeldium. Sed haec ab humana imbecillitate profecta, laudi chronographo huic alioquin debitae nihil derogant.

THEORIAE COMETARUM ANNI 1769. *ET anni* 1770. *Juſſu et auſpiciis R. C. Petri Leopoldi M. E. D. in lucem editae a Joſepho Slopio de Cadenberg, in Piſana Academia Publico Aſtronomiae Profeſſore.*

Piſis, excudebat Auguſtinus Pizzornius, 1771. Praeſidum permiſſu, plagg. 4. cum tab. aenea, in 4.

Praefixa eſt epiſtola ad V. Cl. Franciſcum *de la Lande*, cui hae theoriae dedicatae ſunt, cuiusque methodum auctor in iis ſupputandis ſecutus eſt. Hanc ſequitur pag. 1. Theoria Cometae anni 1769, deducta ex obſervationibus habitis Piſis in ſpecula academica. Conſpicuus fuit nocte inſequente diem 28. Auguſti inter ſtellas μ et λ in conſtellatione Tauri, eiusque cauda ultra ſtellam *o* Tauri protendebatur. Auctor tamen, cum propter varios caſus incidentes non obſervare potuerit niſi noctibus diem 30. Auguſti, 1 et 2. Septembris inſequen-

ſequentibus, ac poſtea a die 14. Sept. ſine intermiſſione ex quo vero tempore parum accuratior, aut plane nulla obſervatio fieri potuit, tum ob crepusculum matutinum accedens, tum ob nebularum aut nubium caliginem.

Pag. 3. deſribitur ſemita apparens Cemetae: nimirum Eclipticam interſecans in Sig. 1 4°, eique ſub angulo 92. 23 47′ inclinata Arietis et Tauri conſtellationes traiecit poſtea declinans ad Orionem et ad Monocerontem, ibique in Sig 3 14° aequatorem ſecans ad angulum gr. 13½ per Hydram tranſiit, ad quam vergens diſparuit.

Cum voro ex apparenti unius Cometae vel ſemita, vel forma, nihil ad eius identitatem cum altero declarandam deduci poſſit; cometarum enim motus omnes, quemadmodum planetarum, ad Solem comparandi ſunt: auctor prius obſervationum peractarum rationem referendam eſſe exiſtimavit, antequam de motu eius ageret.

Obſervationes omnes inſtitutae ſunt teleſcopio Gregoriano quinquepedali: differentiae aſcenſionum rectarum et declinationum ope reticuli Bradlejani, cuius diſpoſitionis ratio pag. 5. exponitur.

Proponit ergo pag. 6. 7. et 8. comparationum ſive relationum atque differentiarum aſcenſionum rectarum et declinationum inventarum ad ſingulos dies obſervationum rationem.

His peractis, ut Cometae loca erui poſſent, inveſtigat primum poſitiones fixarum comparatarum, earumque rationem tabulis iterum ad dies obſervationum confectis pag. 9. et 10. exhibet.

His cognitis, et Cometae aſcenſionibus rectis et declinationibus ex iis deductis, longitudines et latitudines calculo ſubducit, et tandem ad eius theoriam inquirendam ſe convertit.

Secutus autem eſt auctor in inveſtiganda orbita parabolica Cometae Cl. Aſtronomorum exemplum, ex cauſſis ſupra iam adductis. Aſſumſit nimirum cum de la Caille et de la Lande duas diſtantias Cometae a Sole, ex obſervationibus, quas

die

die 30. Aug. et die 2. ac 14. Sept. habuit, exque iis elementa Cometae circa Solem traiectoriae deduxit, quae p. 13. proponit.

Verum cum elementa orbitae huius Cometae, collatis catalogis usque ad hoc tempus obſervatorum Cometarum, ab elementis cuiuscunque longe diverſa reperta fuerint nihil de eius periodo revolutionis audet aſſerere. Ad theoriam tamen ſuam confirmandam contulit obſervationes, Pariſiis a Cl. Meſſier habitas, atque tres ex iis, quae Bononiae inſtitutae fuerunt, iuxta elementa theoriae ſuae, quarum rationem duabus tabulis p. 15 et 17. proponit. Prima continet Cometae loca ex obſervationibus, altera eadem loca ex theoria.

Pag. 19. ſequitur theoria Cometae anni 1770. ex obſervationibus in ſpecula Bononienſi habitis deducta. Obſervatus eſt Cometa a cel. Euſtachio Zanotto, cum ſociis Petronio Matteucio et Sebaſtiano Canterzano, ad diem 28. Junii, per quatuor noctes, quo tempore cometa arcum tertiae et amplius coeli partis percurrit. Traditis ergo ſibi his obſervationibus, auctor non dubitavit elementa theoriae ex iis deducere, novoque Cometa eorum catalogum augere, cum praeſertim ex longa ſerie talium calculorum eiusmodi theoriae inveſtigari ſolent et debent.

Itaque, eadem methodo uſus ac in ſuperioris Cometae ſupputationibus, elementa theoriae p. 20. proponit; deinde pag. 23. duabus tabulis obſervationes ipſas et loca Cometae, quae ex theoria deducta ſunt, ut in ſuperiori Cometa, refert. In fine adiecta eſt tabula, in qua loca Cometae ex theoria collecta, et a parallaxi affecta, continentur. Afficiuntur enim Cometae loca, id quod eius diſtantiae a tellure oſtendunt, plurium minutorum parallaxibus.

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiae

Calendis Octobris Anno MDCCLXXI.

ANTONII DE ROOT SPICILEGIA CRITICA.

Dordraci, typis Petri van Braam, MDCCLXXI.
octonis.

Quantae sit necessitatis vtilitatisque ars critica, nemo, nisi qui eam propter inscitiam odit, ignorat. Exercuere se in hoc quasi campo summa summorum virorum ingenia, alio alius studio successuque. Quorundam tanta fuit cautio atque religio, ut ne latum quidem, quod aiunt, unguem ab lectione quam Msct. exhiberent, putarent recedendum, qualemcumque ex verbis eruisse sententiam contenti. Alii omnia fere, quae sana essent, ipsis autem propter ignorantiam plerumque obscura, et ideo corrupta viderentur, tentanda sibi, ut iactitaverunt, emendandaque susceperunt. Utrumque genus, etsi haud raro graviter peccavit, magis tamen ferendi sunt visi, qui antiquos auctores religiose tractarent, quam qui emendationum tacti afflatique pruritu, suspecta cuncta haberent. Optime egisse existimantur ii, qui et Codd. Msct. ope, et ingenii bonitate instructi, constituendis veteribus auctoribus, emendandisque se accinxerunt. Saepe autem accidit, ut in locis manifeste depravatis, maleque habitis, nihil ex Msct. peti possit auxilii. Necessario

tunc videtur in ſubſidium adhibendum artis criticae illud genus, quod coniectando divinaudoque auctoris manum reperire adnititur. Et fuere ſane quidam, qui tam divina ingenii eſſent praediti ſagacitate, ut vera auctoris verba viderent, depravataque inſtaurarent, etiam ſine Codd. inter quos, peritorum conſenſu, principatum facile tenent Leopardus et Gronovius avus. Nam pleraeque horum coniecturae et facilitate fuere commendabiles, et ſubinde repertis excuſſisque Codicibus Mſct. confirmatae. Ex hoc criticae coniecturalis genere totus fere eſt elegans hic libellus doctiſſ. de Rooy. Non ingratum Lectori ſperamus facturos, ſi pauca quaedam excerpſerimus, iudicio interdum noſtro ad quaedam interpoſito, quibusdam etiam eruditi Lectoris arbitrio ad diiudicandum commiſſis. Primus, ſub ſtili acumen, ſubire iuſſus eſt Suetonius, apud quem legitur in vita Auguſti Caeſaris, cap. 68. *Solituſque ſit crura ſuburere nuce ardenti, quo mollior pilus ſurgeret.* Quam *nucem* intelligat, cum ignariſſimis ſe ſcire, A. fatetur; ſed hoc certum, pilos antiquis reſina aut pice vulſos fuiſſe. Confirmatur hic reſinae piciſque apud antiquos uſus loco Martial. XII, 32. et Capitol. in Pertin. c. 8. Coniicit itaque pro *nuce* apud Suetonium legendum *pice.* Ingenioſa eſt coniectura, facileque calamus ſcribae eo potuit deflectere, ut pro *pice* daret *nuce.* Sed tamen adhuc dubium eſt, num *pice* ſit praeferendum: primo quia non ſufficit ad loci cuiusdam emendationem, ut eadem vox apud alios ſcriptores aut ſimili de re, aut eodem ſenſu reperiatur; et quid fiet τῷ ardenti, quod, ſi *pice* admitteretur, eiici, aut in aliud immutari debet, quod utrumque eſt durum. Quodſi autem debet legi *pice ardenti,* quis pilos pice ardenti ſibi evelli tolerare poſſit.

Suetonio comites dantur poſteriores Hiſtoriae Auguſtae Scriptores. Spartian. in Hadrian. c. 16. „*Matheſin* „*ſic ſcire ſibi viſus eſt, ut ſero Calendis Januariis ſcripſerit,* „*quid ei toto anno poſſet evenire.* — *τὸ ſero*, quod et mihi „in

„in mendo cubare videtur, defendit Salmafius, exponens cum „Cafaubono, ὀψὲ τῆς ἡμέρας. — Nefcio tamen, an fcrip„ferit Spartianus: *fere.* Quantum nos obfervavimus, femper, ubi τὸ fere adhibetur, incerti infinitique quid indicatur. Quae τῦ fere fignificatio ab hoc loco omnino videtur aliena. Nam vult Spartianus indicare, quantam Adrianus aftrologiae, vel ut his temporibus vocabant mathefeos, habuerit peritiam, eamque fic defcribit, ut *ferio* Calendis Januariis fcripferit, quid ei toto anno poffet evenire. Nihil aptius, propter aftrologicae fcientiae fiduciam. Magis placet, et paene falubris videtur, quae eidem Scriptori c. 26. affertur, per diftinctionis mutationem, medicina. Verba funt haec: *Equitavit, ambulavitque plurimum. Armisque et pilo fe exercuit. Venatu frequendiffime leonem manu fua occidit.* Pergit doct. de Rooy: „Frequentiffime leonem ab eo „venatu occifum, vix credibile. — Prava diftinctione „eumdem liberemus hoc modo: — — *Armifque et pilo* „*femper exercuit; venatu frequentiffime. Leonem manu fua* „*occidit.* Jam, credo, nullus de veritate rei, quam narrat „Auctor, dubitabit."

„Idem Spartian. in Anton. Geta c. 5. *Veftitus nitidi* „*cupidiffimus, ita ut* patri doleret. — Salmafius cum mo„neat, veterem fcripturam habere: *ut* patri deret, nefcio an „legendum fit, *ut* patri rideret, vel, *ut* pater rideret, fc. *eum,* „ob nimiam nitidi veftitus curam." Ingeniofa emendatio, et quae nobis valde arridet, inprimis cum τὸ doleret vix commodum det fenfum. Capitolin. in Marco Antonin. c. 14. *Via quoque, poftea quam iter ingreffi funt, fedens cum fratre in vehiculo Lucius, apoplexi adreptus periit.* „Τὸ via „mihi fufpectum. — Cum vero conftet, Aquileia Altinum, „et inde Romam, iter hoc fuiffe inftitutam; cumque Aqui„leia et Altinum haud longo fpatio diffita fuerint, Luciusque „non longe ab Altino apoplexi corriperetur: (vid. Victor. „Caef. XVI, 9. Epit. XVI, 5. et ipfum Capitolin. in Ve„ro, c. 9.) nefcio equidem, an non legendum fit: Vix,

„*quoque* — praesertim cum dicat auctor *ingressos illos fuis-* „*se hoc iter*, quo sane initium huius itineris indicare vo- „luisse videtur.“ Quid si *in* excidit, ut sit *in via* &c.

Ibid. c. 19. *Quod cum esset factum, solutum quidem amorem*; natum *vero Commodum gladiatorem esse, non principem: qui mille prope pugnas publice* populo inspectante *gladiatorias imperator exhibuit, ut in vita eius docebitur.* „Illa „duo vocabula, *populo inspectante*, mihi videntur a Glossa- „toris manu profecta: quid enim hisce additis opus, cum „dicat, *publice?* vt taceam, repetitionem frequentem „eiusdem litterae *p* haud parum aures offendere. Legen- „dum fortasse: *qui mille prope pugnas gladiatorias publice* „*imperator exhibuit.* Saepius Glossae, praesertim interlinea- „res, non tantum inserciendis, verum etiam transponendis „vocibus ansam dederunt.“ Accipimus viri doctissimi de transpositione τȣ *gladiatorias* sententiam, quae vox sane incommodo videtur posita loco, sed de vocibus *inspectante populo* alia nobis stat sententia. Novimus, et post alios saepe numero ipsi observavimus, Glossas margini adscriptas, vel etiam interlineares, ipsi auctori ab imperitis aut casu quodam adglutinatas. Adiectae autem sunt istae glossae verbis et loquendi formis rarioribus, antiquitatem aut exquisiti quid sapientibus, et ideo vulgo ignotis. Horum nihil in hoc loco valet, nisi dicere velimus, hanc ob caussam τῷ publice glossam fuisse adpositam, quia habet significationem antiquis latinis ignoratam. Sed hoc nemini in mentem venerit. Neque nos movet, quod doctissimus de Rooy dicit, ingratam esse frequentem τȣ *p* repetitionem, cum horum temporum scriptores, auribus nihil paene consulentes, ita scripserint, ut si ad Ciceronis de vocum ornandarum ratione debeant exigi, toti fere essent immutandi.

Meliore successu videtur versatus in loco Treb. Poll. in Gallien. duob. c. 12. *Quum taurum ingentem in arenam misisset, exissetque ad eum feriendum venator, neque perductum decies potuisset*

potuisset occidere &c. „procul dubio mendosum *τὸ perdu-*
„*ctum.* — Nonne melius? *percussum.* Hoc vult Auctor,
„venatorem decies quidem percussisse, sed non ita feriisse,
„ut occideret taurum.“

Inter alios auctores Floro etiam laboris quidquam datum deprehendimus. Unum tantum exemplum speciminis caussa cum Lectore communicabimus, lib. 1. c. 17, 5. sic legitur: *Nam subito inconditos atque palantes adgressus est, captisque superioribus iugis, in subiectos suo iure detonuit.* Ad quae sic doct. Auctor: „Quo acrius in totum hunc locum
„aciem intendo, eo magis Lipsii lectionem, *Jovis more,*
„pro *suo iure*, admittendam duco. — Ad Gigantomachiam
„enim respexisse Florum, quivis videt. Et quia non satis
„habuit dixisse, *detonuit*, (nam et hoc verbo alias adhibet
„(*utitur,*) etsi de Jove non sit sermo,) hinc addidit, *Jovis*
„*more.* Ne dicam, *τὸ namque* membro sequenti, et hoc
„velle, videri. Festinatio scribae procul dubio olim hunc
„locum corrupit: qui nimirum, per errorem turbato vel
„inverso litterarum ordine, mendosam lectionem dedit: et
„posteriores, quid inde facerent nescientes, (praesertim si
„*τὸ more* priore sui parte mutilatum fuerit, aut detritum,)
„mutarunt in *suo iure* Ut ut sit, si initialem litteram *τȣ*
„*iure* cum praecedenti *suo*, retro lecto, coniungas, una tan-
„tum litterula *i* deest, quam si adiicis, habebis *Jovis.*
„Haec fieri potuerunt, sed an facta sunt?“ Nihil mutandum. Locus est integer. *Suo iure*, i. e. merito, *detonuit*, nam superiora juga occupaverat.

Ex Sallustii locis tribus ad examen vocatis, unum adferamus, ex Jugurta c. 90. *Quippe etiam frumenti inopia tentabatur, quod Numidae pabulo pecoris magis*, quam *arvo* student. Ad quae sic Vir doctiss. „Puto, *arvi.* Vult auctor: Numi-
„das plus delectari pabulo pecoris, h. e. carne et lacte, quam
„frumento.“ Emendatio, quam tentat hic V. d. plane videtur reiicienda. Nebula in pariete. Nam primo non necessarium est, ut *τὸ student* explicetur per *delectantur.* Pabulum

deinde pecoris eſt id quo pecora paſcuntur, non quod homines ex pecoribus deſumptum alit, *caro et lac.* Numidae prata magis, quam agros colunt. —

Capita III. IV. V. et VI. tractant Sulpicium Severum, cuius unum alterumve Lectori commodabimus exemplum. Hiſt. Sacr. I. cap. 10. *Sed mulier parum dicto audiens — reflexit oculos, ſtatimque in* molem *converſa traditur.* Quaerit vir doctiſſimus: „Quam *molem?* Legendum for„taſſe *ſalem?* Ita auctor Carminis, quod *Sodoma* inſcribitur,

— — — — *et ſimul illic*
In fragilem mutata ſalem, *ſtetit ipſa ſepulcrum.*

„Niſi forte quis ſtatuat, periiſſe poſt *molem τὸ ſalis*, et le„gendum: *ſtatimque* in *molem ſalis converſa traditur.* Sic Sedul. I, 106. de eadem:

In *ſtatuam* mutata *ſalis* — —

Nihil nos cenſemus mutandum, quaeſtionem V. d. quam *molem*, ſic expedimus, ut dicamus, molem eſſe ſtatuam ipſam; Nam ſi ipſe ſupplet ſalis, et τὸ molem retinet, profecto *molem ſalis* non aliter poteſt interpretari, quam ſtatuam ſalis. Quodſi igitur molem dicere potuit ſcriptor, adiuncto τῷ *ſalis*, cur non eidem molem, ſine τῷ ſalis, pro ſtatua dicere licuit. Incidimus et ipſi in coniecturam, ſi locus non ſanus eſſe debeat, putavimusque legi poſſe, pro *ſtatimque in molem*, *ſtatuaeque in molem.* Eſt ea tantum coniectura, quae facilitate ſe tamen commendare, roburque quoddam ex loco Sedulii, ab ipſo Auctore allati, accipere videtur. Cap. 41. *Erat in his locis oppidum nomine Hiericho, muris validiſſimis munitum, neque* expugnationi, *neque* obſidioni *facilis.* — „Neſcio, an ſcripſerit Sulpicius: *neque* expugnatio„ne, *neque* obſidione facili, et inde forſam mendoſum illud *facilis* manavit." Ex cap. 67. *Lancea eum ferire conatus eſt, niſi ille letalem* propere *declinaſſet.* — „Subiit aliquando,

„num

„num a Sulpicii ſcriptura fuerit: *niſi letalem ictum* corpore „*declinaſſet.*" Ut apud Virgil. Aen. V. 438.

Corpore tela modo atque oculis vigilantibus exit.

Non improbabilis videtur coniectura, quam etiam doct. Auctor melius firmare potuiſſet loco Ciceronis in Catil. I. *ut quod aiunt* corpore declinari. Ex cap 66. *Haec* (Berſabe) viri *cuiuſdam uxor, qui tum in caſtris erat, fuiſſe dicitur.* — — „Reſcribe ocius: *Haec* Uriae *cuiuſdam uxor. Ita ſolens enim* „*nominibus propriis Pronomen.* Quidam, Sulpicius adiungit. Ex lib. II. cap. 8. *Itaque accitus Daniel* perlegit, *interpretatusque.* — „Reponendum forte *praelegit.* Haec duo ver„ba ſaepius confuſa fuere." Notiſſima eſt harum praepoſitionum confuſio, pluraque iam loca hac medicina ſanata ſunt. At hoc loco ſi eſſet *praelegit*, exiſtimaremus etiam mutandum in *perlegit.* Indicatur enim, Danielem illam ſcripturam, quam alii non poterant, facile et ſine haeſitatione legiſſe; et debebat *perlegere*, quod interpretandum eſſet.

Pag 35. felix, ut videtur, auxilium fertur Inſcriptioni apud Murator. p. 1043. n. 5.

D. M
JUL. L. FIL. SERGIO
BASSO DECEMVIR.
PROBETAE. QUAES
TOR INTERFECTO A
LATRONIB caet.

„Verſu tertio quid *Probetae* ſibi vult? Nomen proprium „hominis eſſe nequit, poſitum ſc. inter duos honorum titu„los, cuius rei an exemplum produci queat, equidem du„bito. Corrigendum videtur:

PRO BET — — AE QUAES

„hoc

„hoc eſt, *Provinciae Beticae Quaeſtori.* Nec me movet, quod „non *Baet.* ſed *Bet.* exaratum fuerit: notum enim, quam „negligentes in eiusmodi ſaepius fuerint lapidarii.“

Cap. IX. tractatur locus Quinctiliani *Inſtit. Orat.* X. 1. *Lyricorum idem Horatius fere ſolus legi dignus. Nam et inſurgit aliquando, et plenus eſt iucunditatis et gratiae* caet. „Tὸ *aliquando* offendebat Barthium, quia, ut ait, ad ſublimem Poetae laudem facere non videtur: immo eamdem potius adtenuant. Hinc pro eodem malebat „*aquilae modo*: quod merito reiicitur a Burmanno, qui „vulgatam lectionem defendit. — In tantum adſentior Barthio, quod et mihi *τὸ aliquando* vatis laudem deterere videtur. — — — Forte maior vis inerit „*τῷ inſurgit*, ſi hoc modo diſtinguamus: *Nam et inſurgit; aliquando et plenus eſt iucunditatis et gratiae.* Mihi „certe hac diſtinctionis ope erectius videtur *τὸ inſurgit:* „quaſi dicat Fabius, inſurgere Horatium ſtili gravitate; aliquando tamen, cum a graviore ſtilo nonnihil remittat, „plenum eſſe iucunditatis et gratiae.“ Vera videatur haec Quinctiliani loci et diſtinctio, et explicatio, ſi placet. Nos nihil mutamus; non enim ſemper, ſed aliquando inſurgit Horatius.

Tributum etiam laboris aliquid emendandis Iſidori Originibus. Locus eſt lib. VI. cap. 2. *Paralipomenon Graece dicitur, quod praetermiſſorum vel reliquorum nos dicere poſſumus: quia ea, quae in lege, vel in* legum *libris, vel omiſſa, vel non plene relata ſunt, in iſto ſummatim et breviter explicantur.* Emendat doct. de Rooy, in *Regum* libris. Bene. Rhemmii Palaemonis Differentias Sermon. primus, ut notum, edidit ſummus d'Orvillius *Miſcellan. Obſervatt. Nov.* Tom. IX. ſed pleraque, ut in Cod. reperit, intacta et male ſana erudito orbi transmiſit. Qua via et ratione clar. de Rooy eas tractaverit, Lectoris eruditi eſto iudicium. Pag. 978. Firmitus *et firmis nihil eſt: firmus et firme recte dicimus.* Forte ſcripſerat: Firmus *et firmis nihil* intereſt. Firmiter et firme r. d. Tit. *Expertus* — — experrectus *a ſomno*

et

et quiete: ita illud avilitiae et *hoc inertiae.* Corrigo: experrectus *a somno et quiete: ita illud* astutiae est, *hoc inertiae.* Pag. 981. Tit. Duobus — — *duis aeque aliud significabit, quod est* de situ. Corrigendum omnino: *desitum,* h. e. *obsoletum.* — — *quod si dixerimus duos* locus *talos, necesse est dicere duis,* ut ambi, *ut* mali, *sic dicemus duo,* ut *ambo, ut duo duobus et ambo ambobus.* Locus videtur constituendus hoc modo: *quod si dixerimus duos,* locos, *talos, necesse est dicere duis,* et ambis, *ut* malis: sic dicemus *duo,* et *ambo, ut, duo duobus, et ambo ambobus.* Pag. 986. *Nec* licite *latinum est, nec* licitate; *nihil est, quia* licito *omnino non dicitur, debet ergo dici, inliciti et inlicitati, quia est* et *inlicere, insidiando in id, quod velis, deducere, ergo inliciti sumus semel,* inlicitatis *saepius.* Mecum rescribe: *Nec* liciti *latinum est, nec* licitati; *nihil est, quia* licio *omnino non dicitur; debet ergo dici inliciti et inlicitati: quia est inlicere, insidiando in id, quod velis, deducere; ergo inliciti sumus semel,* inlicitati saepius. Vult enim, *liciti* non posse dici, quia antiquitus non dicebant *licio* sed *lacio.* — — Atque adeo neque Participium *liciti,* neque frequentative *licitati,* posse efferri, pro *decepti;* sed composite, *inliciti* et *inlicitati.*

Pag. 989. *Ludibrium et* ludicrum: *ludibrium alterius iniuriam,* ludicrum, quod *ipsi delectamur.* — Scribe: *Ludibrium et* ludicrum; *ludibrium* in *alterius iniuriam*; ludicrum quo *ipsi delectamur,* — ultima littera in *ludibrium* absorpserat *τὸ in.* Pag. 991. *Ostentum sine* torpore *solido nobis se ostendit, et* oculi *et auribus obiicitur, ut* interdum *tenebrae,* nox, *lux.* — Legendum: *Ostentum sine* corpore *solido nobis se ostendit, et* oculis *et auribus obiicitur, ut* interdiu *tenebrae;* noctu *lux.* Pag. 993. *Redibium per b et redivium per v* litteris *redibium quod semel nascitur in anno, redivivum quod saepe* revivescet. Lege: *Redibium per b, et redivivum per v* litteras; *redibium, quod semel nascitur in anno; redivivum, quod saepe* reviviscit. Pag. 994. *Super* et *Supra. Super* superior *inferiore, supra quod* substractum *aliquid habet.* —

Lego ac dispungo: *Super*, superius *inferiore; supra quod* substratum *aliquid habet*. — Pag. 995. Vade *ac* sponsore *et praedem. Vades qui* vas *ipsum se aut* aliut quotlibet *pro alio tradit*. — Corrigendum puto: Vadem, *ac* sponsorem, *et praedem. Vades, qui* vel *ipsum se, aut* aliud quodlibet *pro alio tradit*. Pag. 996. Tit. *Virum*. — — *Vir* speciae *intelligitur*. Corrigendum: *specie* — — et quod virtutibus *modis accipitur natura* nuptus *virtute masculus*, caet. Restitue mecum: *et quod* vir pluribus *modis accipitur*, *natura*, nuptiis, virtute: *masculus* caet. Ibid. Vultum *et* faciem *hoc* differtur, *quod vultus animi indicium est*, — — — *licet et una res pro alia saepe* commutatur *in genere ab specie*. Repono: *hoc* differunt, *quod vultus a. i. e.* — *licet una res pro alia saepe* commutatur. —

Antiquum libellum deponamus de manibus, pauca proponamus de conatibus, doct. Auctoris in Martialem, Lib. II. Ep. 86. ed. Schr.

Nusquam Graecula *quod recantat Echo*.

Ad quae sic V. D. Cur *Graeculam* dixit? — Accipe veram *Martialis* manum

Nusquam garrula *quod recantat Echo.*

Bene docet V. d. multis exemplis adlatis, sic debere legi. Lib. III. Ep. 72.

Aut infinito lacerum *patet inguen hiatu*.

Conieceram

Aut infinito laterum *patet inguen hiatu*.

Et sic habet collatio Cod. in Bibl. Remonstr. Amstel. Libr. VI. Ep. 93.

Non ab amore recens hircus, non ora *leonis*.

Legendum

Legendum forte, aura, id eſt *odor*, *halitus*. Non male. Lib. VIII. Ep. 5.

Me tamen ora *legent*, *et ſecum plurimus hoſpes*
Ad patrias ſedes carmina noſtra feret.

Conieceram, legendum *forte*, pro *ora* orbe; quod — reiicitur a Boltio. — Malente *urbe*. Ego nihilominus *orbe* praetulerim. — cum dicit. *me tamen* orbe *legent;* addit cauſſam, cur per totum *orbem* legeretur, quia ſcilicet plurimi hoſpites, qui — Romam commeabant, ſua carmina, domum redeuntes, ſecum eſſent laturi. — Lib. X. Ep. 65.

Os blaeſum tibi, debiliſque lingua eſt:
Nobis filia *fortius* loquetur.

Comparationem ſe inter et Carmenionem facit; quid ad hunc filia? ſi ipſam forte Martialis manum reduxerim, ecquid erit pretii? —

Os blaeſum tibi, debiliſque lingua eſt;
Nobis ſibila *fortius* loquentur.

Sufficere haec arbitramur ad intelligendam libelli huiusce indolem, quem tanto maiore cum voluptate indicavimus, quanto in dies maior eorum raritas cernitur, qui ad artem criticam tractandam animum adiiciunt. Promittit etiam doctiſſimus de Rooy, in ipſo hoc libello, novam Martialis editionem, quam ut propediem abſolvat, in communem rei litterariae utilitatem, etiam atque etiam illum rogamus. Sunt in eo Scriptore permulta, quae medicam docti viri, ſed Poetae, manum requirunt; neque eſt facile alius veterum, qui ſit tantopere a ſcribis depravatus et mulctatus.

BALTH. ADAMI KERSCHELICH, DE CORBAVIA, Abbatis infulati S.S. Apostolorum Petri et Pauli de Kács &c. de regnis Dalmatiae, Croatiae, Slavoniae, notitiae praeliminares.

Zagrabiae, sine anno, in fol. EIUSDEM Historiarum ecclesiae Zagrabiensis, Partis I. Tomus I. ibid. fol, sine anno.

Magna cum voluptate commemoramus Lectoribus nostris librum, quem valde profuturum usibus historiae tum civilis, tum ecclesiasticae, cum felici augurio praedicimus. Etenim si verum est, historiam atque geographiam regni Hungarici gravem atque utilissimam multis magnisque laborare difficultatibus, propter varietatem nominum unius eiusdemque provinciae: sane eruditionis caussa valde optandum est, ut existat aliquis, qui sublatis hisce difficultatibus, historiae Hungaricae uberiorem lucem affundat. Atque huic virorum doctorum desiderio spondemus atque gaudemus abunde satisfactum esse ab auctore nostro, qui hoc libro egregie monstravit, quomodo sit historia ope monumentorum publicorum, legum, inscriptionum, numorum, diplomatum atque scriptorum fide dignorum, scribenda. Praeter hos genuinos historiae fontes usus est etiam opera eorum, qui ante ipsum de eadem re exposuerunt; atque inde iura principis in has regiones deduxerunt. Quanquam autem caute atque circumspecte omnia egit, nec quicquam inde, nisi quod cum historica veritate conveniret, deprompsit: tamen non potuit calumnias atque inimicitias adversariorum evitare, quibus semper obnoxii sunt historiarum scriptores. His multis difficultatibus impeditus, tantum abest, ut animum desponderit, ut potius magna cum fiducia coeptum laborem continuaverit, praesertim cum ei publice securitas praesta-

praeſtaretur. Ceterum apparet, niſi nos coniectura fallit, e libri inſcriptione, eſſe eum tantum praeparationem ad opus maius futurum, ab auctore noſtro edendum, quod ut feliciter ei contingat, magnopere cupimus.

Prodiit a. 1745. Poſnaniae, ſub nomine Cangii, Illyricum vetus et novum in fol. cui additae ſunt duae tractationes, quarum altera exponit hiſtoriam veterem Illyrici, primum ſub ſuis ipſius regibus, deinde ſub Auguſto, uſque ad Heraclium, altera explicat hiſtoriam Illyrici uſque ad tempora noviſſima. Hunc igitur librum auctor noſter ſequutus, in prima periodo, a pag. 1—32. pariter incipit ab Auguſto, et progreditur uſque ad Heraclium. Eam hiſtoriae partem ipſe vocat periodum florentis atque labentis imperii Romani. Secunda periodus, paullo impeditior, eſt Slavo-Croatica, in qua exponitur de Slavis, eorum primis ſedibus in Pannonia. Incipit a pag. 32—81. Tertia periodus (pag. 82—328.) continet invaſionem Hungarorum in Dalmatiam, Croatiam, et Slavoniam, primosque reges uſque ad eos, qui e domo Auſtriaca regnarunt. In hac hiſtoriae parte auctor ſaepe ac diligenter uſus eſt ſcriptoribus hiſtoriae Imperatorum Graecorum, quae cum hiſtoria Dalmatiae, Croatiae, ac Slavoniae, arcto quodam vinculo connexa eſt. Ceterum hic locus adeo bene eſt ab auctore noſtro tractatus, ut ſolus ſufficiat ad probandam nobis priſcae hiſtoriae ac geographiae ſcientiam. Quarta denique periodus incipit a Ferdinando primo e gente Auſtriaca rege et progreditur uſque ad noſtra tempora, quo loco recentior geographia ſaepenumero illuſtratur. His periodis adiecta ſunt in fine ſupplementa, facta e priſcis monumentis inſcriptionibus, atque numis, quibus, poſt ſcriptam hanc hiſtoriam repertis, auctor doctiſſimus geographiae atque hiſtoriae, tum civili, tum in primis eccleſiaſticae, multum lucis affudit, atque errores dudum vulgo receptos diſſipavit. Propter has cauſſas legiſſe hunc librum neminem poenitebit.

Alterum opus de ecclesia Zagrabiensi, quod cum priore libro aliquam coniunctionem habet, quanquam ante multos iam annos typis describi coeptum est, tamen adversariorum vi et fraudibus factum est ut prodire in publicam lucem non nisi immutatis temporibus posset. Cum vero auctor nec adiumenta quibus opus fuerat, nancisci omnia posset, et multis insuper adversariorum molestiis expositus esset, facile intelligitur, hoc opus perfectum esse non posse. Propterea nec ipse auctor doctissimus illius continuandi ac perficiendi spem iniicit, praesertim cum speret, Farlatum Operis sui tomo V. iustam episcopatus Zagrabiensis historiam scripturum esse.

Historia episcopatus Zagrabiensis, inde ab initiis illius usque ad a. 1603. quatuordecim capitibus comprehensa est ab auctore nostro. Eum fundavit Ladislaus rex; non constat tamen, utrum hodierna Zagrabia sit locus fundationis, nec ne. Eruditorum super hac re sunt diversae sententiae, quae omnes hic commemorantur ac diiudicantur. Noster Kerschelich existimat, voluisse quidem Ladislaum ab initio, Zagrabiam fieri episcopatus sedem principalem, sed impeditum variis rebus aliorsum eam transtulisse, donec Zagrabiam facere sedem episcopatus poterat.

Tempus fundationis pari laborat incertitudine. Vero tamen simillimum est, eam incidere in annum 1091. quo tempore nobiliores illarum regionum homines Christiani facti erant. Plebis igitur, quae tunc idola colebat, ad religionem Christianam adducendae caussa, fundatus est hic episcopatus. Hinc auctor occasionem arripit, exponendi de iis episcopatibus, qui ante haec tempora in Slavonia fuerant, Verum non est tam superstitiosus antiquitatis cultor, ut eorum originem a Paulo eiusque discipulis repetat. Quanquam enim Paulus, Titus, et Marcus, pervenisse in Illyricum et Dalmatiam traduntur, tamen eos attigisse fines hodiernae Slavo-

Slavoniae, nec certum est, nec inde colligi potest. Episcopatus, qui ante Zagrabiensem in Slavonia fuere, sunt Siscia, Sirmium, Petovium, Stridon, Mursa, quorum tres ultimi proprie siti fuerunt in ea regione, in qua hodie Zagrabia est. Sisciensem episcopatum multi existimant postea Zagrabiam translatum esse; quam sententiam auctor impugnat. Sequuntur aliquot capita, quibus exponitur de ambitu et magnitudine dioecesium, de sede episcoporum, eorumque bonis et reditibus, de ecclesiae privilegiis &c. Ab initio dioecesis episcopatus Zagrabiensis non videtur tam ampla et lata fuisse, qualis hodie est. Comprehenditur quatuordecim archidiaconatibus, qui quam sint magni apparet ex iis, quae auctor commemoravit. Multis postea accessionibus aucta, ad hodiernum splendorem ac magnitudinem accrevit. Tribus ultimis capitibus, quae sunt omnium copiosissima, atque inde a pag. 74. usque ad 312. procurrunt, commemorantur episcopi ecclesiae Zograbiensis, qui inde a fundatione eius usque ad sextum decimum seculum vixere, in quibus quidam fuere admodnm memorabiles, quos hic enumerabimus. Primus e seculo 14. est Augustinus Gazottus, diligentissimus Thomae Aquinatis discipulus, atque ordinis Dominicanorum socius. Homines clericos, qui ipsi suberant, quoad vitam moresque emendavit. Nam cum antea nihil nisi arma tractassent, reduxit eos ad libros legendos, et ad religionem magis magisque exercendam. Ordinis sui sodalibus exstruxit Zagrabiae monasterium, hanc maxime ob caussam, ut ceteros clericos in litteris ac religione erudire possent. In Synodo dioecesana a. 1307. habita, sub excommunicationis poena vetuit, ne in episcopatu Zagrabiensi dies festi introducerentur, praeter eos, qui iam usu et consuetudine confirmati erant. Atque haec quidem lex salubris hodienum valet in ecclesia Zagrabiensi. Anno 1310. a Pontifice creatus est inquisitor in Slavonia contra Templarios, quorum ordo quidem ipse est sub Clemente V. pontif. sublatus, non autem, ut quidam arbitrantur, ipsi sodales huius ordi-

ordinis. Magnum efficiebant in Slavonia numerum, atque sub Augustino episcopo in Zagrabiae aliqua parte vivebant. Huius ipsius episcopi vita ab ipso nostro auctore est in usum civium suorum edita a. 1747. Post mortem, propter miracula ipsi adscripta in numerum sanctorum relatus est, eiusque memoria ad d. III. Augusti colitur, peculiari ad hunc diem facta liturgia. Secundus, qui inter episcopos Zagrabienses doctrinae multa laude floruit, est Nicolaus Olaus, cuius dolendum est non amplius extare epistolas, cum constet, eum arctissimo litterarum vinculo cum eruditissimis seculi sui viris, etiam cum Erasmo, coniunctum fuisse. Tertius, qui propter eruditionem insignem commemorari meretur, est Georgius Draskowichius, qui a. 1515. natus Cracoviae, Bononiae atque Romae litterarum studia, atque in primis historiam ecclesiasticam excoluit. Alii commemorant, eum philosophiam Bononiae docuisse alii, doctorem tantum ibi fuisse. A. 1559. accessit ad dignitatem episcopalem ecclesiae cuiusdam, ac postea Zagrabiensis. Adeo magna apud Ferdinandum imperatorem pollebat auctoritate, ut ipsum mitteret Tridentum ad concilium. Quo cum venisset, habuit pulcherrimam orationem, quae hic quoque inserta legitur. Fuit etiam inter eos, qui ibidem indicem librorum expurgandorum elaborarent. Pallavicinus in historia concilii Tridentini commemorat, eum una cum legato Franco-Gallico usum sacrae coenae sub utraque specie postulasse. Eius tum praecipua cura fuit haec, ut remotis omnibus iis, quae ad rem non pertinent, ecclesiae morumque vera emendatio susciperetur. Fuit etiam rerum civilium peritissimus, atque bene salubriterque consuluit Christianis in bellis adversus Turcas suscipiendis. Eius laudes celebravit tum carmine aliquo Sapphico Georgius Wurfelius, quod Vindobonae, apud Casparum Stainhoferum, editum est. Huic igitur odae, propter insignem et raritatem, et praestantiam, Kerschelich noster p. 252. locum fecit.

BIBLIO-

BIBLIOTECA DEGLI AUTORI ANTICHI &c.

i. e.

BIBLIOTHECA AUCTORUM VETERUM

Graecorum et Latinorum, quae illorum editiones, et quid de iis scripserint Maffeus, Fontaninus, Zeno, *et* Argelatus, *proponit. Opus librario - litterario - criticum JACOBI MARIAE PAITONI. Tomi* V. *ad Alphabeti ordinem.*

Venetiis, MDCCLXVI. et LXVII. quaternis.

Hoc libro recensentur omnes ii ex Italis, qui scriptores Graecos et Latinos in suam vernaculam verterunt. Eo tantum consilio liber scriptus esse videtur, ut, quae in operibus virorum doctorum, in titulo commemoratorum, desint, supplerentur, adderentur igitur, qui aut neglecti essent, aut deinceps prodiissent. Quantopere his talibus libris historiae litterariae in universum consulatur, dicere non est necesse, nam nemo non intelligit. Nobis quidem sufficiat, aliquot locos ex hoc nostro libro depromere, quibus perlectis unusquisque lectorum nostrorum iudicare de toto libro tanto melius possit. Ac primus quidem scriptor, quem e tomo I repetemus, est *Ammianus Marcellinus*, quem Remigius Nannini, Florentinus, Italice versum Venetiis a. 1550. in 8. edidit. Praeter ipsum nemo concivium suorum ausus est versionem meliorem huius scriptoris suppeditare Ceterum Nonnini editio haec paulo est rarior. Plures versiones nactus est *Appianus.* Primum omnium versus est ab Alexandro Braccio Florentino, qui eum edidit sub hoc titulo: *Hoc in Volumine continentur bellum Carthaginense, Syrum, Parthicum et Mithridaticum in vulgari sermone.* In fine

ne

ne haec verba leguntur: *Stampato in Roma in Campo di Fiore, per lo venerabile viro Maestro Euchario Silber, alias Franck, Alamano. Nel Anno Mille CCCCC. II. Adi XXII. de Aprile, sedente Alexandro VI. Pont. Maximo, Anno eius X.* in fol. Haec editio in primis est propter raritatem commendabilis. Postea ille Braccius bella Romanorum civilia, ab Appiano descripta, a. 1519. in forma octava apud Juntam edidit, quae editio tam est rara, ut Argelatus eam ne semel quidem viderit. Ante vero, quam Braccius ad illum laborem accederet, vertit bella Romanorum cum exteris, atque apud heredes Philippi Juntae a. 1520. in 8. Florentiae edidit. Bella civilia et extera postea simul prodiere Venetiis a. 1524. et denuo a. 1526. Eodem anno Braccii versio bellorum civilium in 8. Florentiae exiit, bella vero extera Venetiis a. 1528. et Florentiae 1531. A. 1531. Venetiis iterum edebantur bella civilia in 8. quae aliquot annis post, nimirum 1538. ibidem coniunctim cum bellis exteris, a Petro de Nicolini, publici iuris facta sunt. Cum vero lingua Toscana tum temporis adhuc in cunis veluti iaceret, facile colligi potest, has Braccii versiones nondum plene esse quoad scribendi genus exasciatas. Omnium prima, quae aliquam puritatis commendationem habet, editio est ea, quae Venetiis a. 1542. apud Curtium de Navo, vel, uti finis libri habet, a. 1543. apud Farrum prodiit. Huius editionis bonum praecipuum est hoc, quod Franciscus Sansovinus scribendi genus emendavit. Hinc statim anno proximo, sequuta est altera editio ibidem apud Cominum da Trino. Postea Paulus Manutius Braccii versionem iterum emendavit iis in locis, in quibus sensum Appiani minus recte expressisse intelligebat. Neque enim modo Graecam dictionem pressius sequutus est, verum etiam, maiore se reipublicae Romanae cognitione pollere, adeo luculenter demonstravit, ut novam plane Appiani versionem fecisse videri possit. Haec editio, quae praeter bella Romanorum civilia et externa, etiam bellum Carthaginiense, e sermone

fermone Graeco ab ipfo verfum, continet, prodiit Venetiis, a. 1545. in 8. in aedibus filiorum Aldi. Ibidem in officina Cefana haec bella a. 1550. iterum vulgata funt, omiffo tamen bello Hifpanico, quod anno fequente feparatim apud Aldi filios in 8. et a. 1553. duobus voluminibus in 12. apud Giolitum editum eft. Aliam huius verfionis emendationem molitus eft Ludovicus Dolce, qui bella Romanorum civilia atque externa Venetiis a. 1554. duobus voluminibus in 12. edidit. Anno proxime fequente editio Cefana iterum recufa apud Farrum, Venetiis prodiit. Pleniffimam Appiani editionem dedit dein Giolitus Ferrarius a. 1559. in 12. In hoc praeter bella fupra commemorata, etiam bellum Illyricum et Hannibalis in Italia, e recentiore Dolcii verfione repetitur. Poft haec tempora Rufcellus bellum Illyricum denuo verfum, una cum reliquis Appiani operibus, a. 1563. in 8. apud Guerram edidit, quae editio poftea a. 1567. repetita eft. Editiones, quae hanc fequuntur, ab a. 1575. ad 1584. in 8. nullius funt apud Italos pretii. Bellum Illyricum Venetiis a. 1584. in 8. feparatim typis defcriptum eft. Recentiffima Appiani editio Veronae a. 1731. et 32. in 4. ab Angelo Targa evulgata eft. Ceterum ex hifce tam multis Appiani editionibus apparet, quantum fuerit huius fcriptoris legendi ftudium in hominibus Italis excitatum.

Apollonius Tyrus Italice primum editus eft Mediolani a. 1492. in 4. Venetiis 1520. in 4. una cum figuris aeneis, 1629. in 8. 1679. in 12. Mediolani 1560. in 8. Prima editio omnium minime obvia eft, ut fit.

Ariftene hiftoria LXX. interpretum Italice verfa eft a Ludovico Domenico. Prima, eaque valde nitida et rara editio, prodiit Florentiae apud Torrentinum a. 1550. in 8. Alia verfio, quae fub finem feculi XVI. facta eft a Leonhardo Cernoto, edita fuit a. 1593. in 8. Praeter hos et Squarzaficus Arifteam vertit italice.

Arriani hiſtoriam rerum ab Alexandro M. geſtarum Petrus Laurus Mutinenſis in linguam Italicam vertit, quae editio a. 1554. in 8. apud Tramezzinum prodiit. Haec editio raritatis nomine commendatur ab Osmontio in dictionario typographico, et Freytagio. Arrianus quoque editus extat in Gioliti collectione Collanae hiſtoricae, Veronae apud Ramanzinum a. 1730. in 4. In Ramuſii Itineribus Vol. I. ex editione Juntina anni 1588. fol. Arriani libellus de navigatione Nearchi, et Vol. II. prior pars Peripli, in linguam converſa Italicam, reperitur.

E Julio Capitolino Jacobus Poggius Florentinus vitas Antonini et Marci Aurelii tranſtulit, quae verſio tamen aliquanto eſt rarior.

Julium Caeſarem quanta cum cupiditate legerint homines Itali, colligi inde poteſt, quod nullius prope ſcriptoris antiqui tam multas, et tam brevi tempore repetitas habemus editiones. Primus, qui vertit, fuit Auguſtinus Ortica, Genuenſis. Huius verſionis editionem Venetam a. 1512. in 4. commemorant Argelatus et Biſcionus, quae dubium eſt, an unquam extiterit. Certior eſt ea, quam Jacobus Pentius a. 1518. in 8. Venetiis iuris publici fecit. Eodem anno prodiit idem ſcriptor, apud Bernardinum de Vitalibus in 4. Hinc facile intelligitur error Freytagii, qui editionem Mediolanenſem anni 1518. in 4. putavit eſſe omnium primam et antiquiſſimam. A. 1518. prodiit iterum nova Caeſaris editio in 4. Venetiis apud Foghettam. Poſtea vero, cum Ortica ipſe intellexiſſet, quam parum accurata eſſet ſua ipſius verſio, eam ſub cenſuram revocavit, ac multis in locis emendatam Mediolani a. 1520. in 4. apud Vicomercatum emiſit. Ceterum illam Venetam editionem, cujus paullo ante mentionem fecimus, plures ſubinde aliae ibidem impreſſae ſequutae ſunt, veluti a. 1523. in 8. 1528. in 8. et ea, quae ſine loci commemoratione impreſſa eſt in 8. A. 1530. Venetiis quoque emendatior Orticae verſio vulgata

gata eſt, a quo inde tempore ſaepius ibidem prodiit. Nam ſtatim anno ſequente bis, et a. 1539. iterum apud Tortum, denique duobus annis poſt apud Cominum da Trino, edita eſt. Dein Paulus Manutius cepit conſilium bene merendi de Julio Caeſare. Nam Orticae verſionem multis in locis denuo emendavit, eaque editio a. 1547. in 8. ab Aldi filiis promulgata, et novem annis poſt iterata eſt. Ad huius editionis imitationem prodiere ſubinde multae aliae, veluti Venetiis a. 1552. apud Calepinum, 1558. apud Giolitum, 1563. et 1573. et Toſcolani, in lacu di Garda, apud Paganinum, quae editio, quemadmodum binae aliae, quarum Argelatus mentionem fecit, annum impreſſionis non commemorant. Omnium autem exemplarium, quorum inde ab Aldi prima editione meminimus, forma eſt octava. In hiſce tam multis Julii Caeſaris exemplis nondum tamen acquievere Itali. Etenim Franciſcus Baldellus, Tuſcus, novam plane verſionem confecit, quae Hippolyto Eſtenſi dedicata, Venetiis apud Giolitum a. 1554. in 8. prodiit, ac poſtea bis, primum a. 1557. in 8. deinde a. 1570. in 12. repetita eſt. Haec verſio poſtea a Baldello, adiuvante ipſum P. Vettorio, emendatior edita eſt in 12. a. 1571. atque inſcripta Dominico Ragninae, ordinis divi Stephani equiti. Sequente anno altera iam editio in 12. ſequuta eſt. Imitationes huius editionis ſunt eae, quae Venetiis a. 1573. in 8. apud Alaricum et a. 1575. in 4. apud Petr. Franceſchum editae ſunt. Poſterior editio habet haut parvam pulcritudinis commendationem a figuris aeri inciſis ab Andrea Palladio. Minoris pretii eſt exemplar Foglietti, Venetiis a. 1598. in 4. editum. Paullo praeſtantior editio eſt ea, quam Maſſerinus a. 1619. in 4. evulgavit. Omnium autem optima ac pulcherrima editio eſt ea, quae Venetiis a. 1737. in 4. latine atque italice cum dedicatione ad rempublicam ipſam prodiit. Habemus multas alias huius ſcriptoris editiones, ſed commemorare non eſt operae pretium.

Quintus Curtius de rebus gestis Alexandri M. non ita multo post inventam typographiam in linguam Italicam translatus est. Prima versio a Petro Candido Decembrio facta, Florentiae a. 1478. in fol. exiit, quae editio vel in ipsa Italia tam raro obvia est, ut non nisi in collectione Capponia reperiatur esse. Decem annis post alia editio Mediolani prodiit in fol. Seculo sequente Curtius in Italia ita saepe typis descriptus est, ut Itali huius unius scriptoris legendi studio reliquas nationes omnes vicisse videantur. Etenim editus est Florentiae ab haeredibus Juntae a. 1519. in 8. bis Venetiis in 8. a. 1524. et 1530. bis etiam a Ravano ibidem a. 1531. et 1535. Hae editiones exceptae a plane nova translatione a Thoma Poreacchio facta, et a Giolito a. 1558. in 4. edita. In quibusdam huius editionis inscriptionibus reperitur annus impressionis LVIIII. annus autem diversus non facit editionis diversitatem. Reliquae editiones, quae Venetiis exierunt, veluti a. 1565. in 12. 1661. in 12. 1665. in 12. 1668. in 12. 1673. in 12. et 1736. in 12. hae igitur editiones omnes parvi sunt pretii, quanquam etiam viliores Venetiis ac Bassani editae sunt.

Diodori Siculi versionem edidere primum haeredes Philippi Juntae, Florentiae a. 1526. in 8. quae unde sit profecta, non constat. Imitatus est eam editionem Folitus Venetiis 1542. in 8. et quinque annis post iterum in 8. Ceterum haec exemplaria sunt rarissima. Magis obvium est exemplum anni 1566. in 8. Sequuta est recens Diodori Siculi versio a Baldello facta, et duobus voluminibus a. 1575. in 4. Venetiis apud Giolitum edita, quae hodienum ita praestans et pulcra putatur, ut ab hominibus Italis magna cum cupiditate ubique et anquiratur, et legatur. In Gioliti Catena Historica, quae dicitur, efficit hic scriptor annulum sextum.

Seculo

Seculo quinto decimo unus *Diogenes Laertius* octies Italice prodiit: primum Venetiis anno eius feculi 80. in 4. apud Bernardinum Celerium de Luere, quae editio est omnium rarissima. Sequuta est Florentina Francisci de Bonaccursiis a. 1488. in 4. et Veneta eodem anno eademque forma apud Rossum. Postea eundem scriptorem, eodem in loco, bis edidere Jacobus Caroli Clericus Florentinus, et Petrus Honofrii de Bonaccursiis, primum a. 1488. in 8. deinde 1489. in 4. Haec excepit binas Bononienses, alteram quae ab Hercule Nano a. 1494. in 4. et alteram, quae ab Ragazono anno sequente edita est. Denique etiam Mediolani eodem anno prodiit Diogenes Laertius in 4. apud Philippum de Mantegatiis. His editionibus autem si quis arbitretur comprehendi versionem aliquam strictam et proprie sic dictam Diogenis Laertii, nae is vehementer erret. Complectuntur potius Diogenem Laertium in brevem veluti summam redactum. E Seculo sequente multo etiam plures habemus editiones, quam e seculo proxime praecedente. Prodiit Diogenes Laertius Florentiae apud Pacinum a. 1505. in 4. Venetiis apud Sessam a. 1508. eadem in forma, et a. 1547. ibidem et apud eundem, item 1526. apud Bindonum, quae tamen postrema editio nullius est apud Italos pretii. Hanc sequutae sunt tres editiones Venetae in 8. sine anno impressionis, quarum prima apud Paganum, secunda apud Vianum exiit, tertia nomine typograhi plane non insignita est. Novam Diogenis Laertii versionem, a fratribus Bartholomaeo et Petro Rositinis de Pratalboino factam, Vangris evulgavit Venetiis a. 1545. in 8. Huius editionis imitationes sunt tres aliae ibidem editae, apud Farrum a. 1561. 1566. et 1567. in 8. Novam commendationem accepit ea editio, quae Venetiis a. 1595. in 4. et a. 1602. in 4. repetita, prodiit apud Brugnuolum, additis a Josepho Salviato figuris nitidis et elegantibus, emendataque multis in

locis

locis versione. Aliam emendationem suscepit P. Joannes Felix Astolfus, eamque dupliciter Venetiis edidit, primum a. 1606 in 4. apud Bertonum, deinde a. 1631. apud Perchacinum in 4. Habemus etiam duas alias editiones, quae paullo rarius occurrunt, quarum altera Venetiis a. 1585. altera Florentiae a. 1605. prodiit.

Dio Cassius dupliciter est ab Italis in linguam suam translatus. Prima versio est Nicoli Leoniceni, quae primum a Zoppino a. 1533. in 4. edita est. Hanc sequuntur Venetae editiones anni 1542. in 8. apud Farrum, et 1548. in 8. apud Nicolinum da Sabio. Altera eaque melior versio, quae est Francisci Baldelli, atque hodienum a doctis et elegantibus Italis studiose quaeritur, primum edita est Venetiis a. 1562. in 4. apud Giolitum. Hanc admodum raram editionem sequutae sunt aliquot aliae, quae quamvis et ipsae sint paullo rariores, tamen pretio cedunt illi primae, veluti de anno 1564. 1565. 1566. 1567. et 1568. Magis notae sunt editiones annorum 1585. et 1586. in 4.

Dionysius Halicarnassensis, a Francisco Venturi Florentino translatus, prodiit Venetiis apud Tramezzinum a. 1545. in 4. Sed ea versio, cum esset facta e codice Graeco, qui legi vix poterat, et e versione Latina admodum vitiosa, non potuit omnibus numeris absoluta esse. Hinc a viris quibusdam doctis multis in locis in melius mutata, Veronae apud Ramanzinum a. 1738. in 4. edita est. In catena scriptorum historicorum Graecorum, Dionysius noster est annulus septimus.

Daretem Phrygium, una cum aliis minoribus scriptoribus, mature verterunt Itali in suam linguam. Prima versio Venetiis a. 1543. in 8. edita est, a Johanne Baptista Roscio, Veneto. Omnium autem carissima aeque ac rarissima editio est ea, quam Giolitus Venetiis a. 1570. in 4. prodire

dire

dire iussit, quae et in Ramanzini collectione Veronae a. 1734. in 4. repetita est.

Praeter multos alios, qui in Tomo II. commemorantur, reperitur etiam *Hegesippus*, a Petro Lauro Mutinensi translatus, et Venetiis a. 1543. in 8. a Tramezzino editus. In fine addita est tabella aliqua, qua Hegesippus et Iosephus invicem comparantur. Aliam huius scriptoris editionem commemorat Argelatus, de anno 1548. in 8. Utraque raro occurrit.

Aeliani varias historias a Jacobo Lauro Italicae conversas, iuris publici fecit Cesanus Venetiis a. 1550. A Giolito a. 1551. et 1552. in 8. edita sunt eiusdem scriptoris Tactica, s. de instruendis aciebus, quem libellum Franciscus Ferrosi Italice transtulit.

Herodiani historiam ab Italo quodam anonymo versam, edidere haeredes Juntae Florentiae a. 1522. in 8. Haec editio, quae vel in amplissimis Italiae bibliothecis non reperitur, ob insignem raritatem maxime commendabilis est. Ceterum eadem versio reperitur etiam in pulcherrima Gregori editione, quae a. 1524. in 8. prodiit. Eam imitatae sunt proxime sequentes editiones Venetae, annorum 1525. et 1528. in 8. Vitis XII. Imperatorum, quas Rossinellus Venetiis a. 1539. in 8. edidit adiecta est alia huius scriptoris versio. Omnium autem optima est illa Carani, quae Venetiis apud Giolitum a. 1551. in 8. nitidissimis formis prodiit. In quibusdam exemplaribus reperitur annus 1552. cum tamen re ipsa sit una eademque editio.

Herodoti historiam statim a principio bene vertit Matthaeus Maria Boiardus, comes, atque a. 1533. in 8. apud Nicolinum typis describi curavit; quae editio postea a. 1538. repetita est. Sequutae sunt binae aliae editiones Venetiis apud Bindonum a. 1539. et 1553. in 8. quae quamvis contineant versionem emendatiorem, tamen non sunt cum

illa comparandae, quam primo loco commemoravimus. Paulo melior est ea, quam Bariletus Venetiis a. 1565. in 8. edidit. Denique Herodotus, nova Julii Caesaris Becelli, nobilis Veronensis, versione ornatus, Italis innotuit. Haec versio facta est ex editione Herodoti, quae in Batavis a. 1716. prodiit, atque reddita est in novissima Romancini editione Veronensi a. 1733. in 4.

Eusebii Caesariensis historiam ecclesiasticam Italice conversam edidit Tramezzinus Venetiis a. 1547. in 8. cuius versionis auctorem vulgo perhibent Egium Spoletanum quendam.

Eutropii vitae et res gestae Imperatorum Romanorum ab anonymo quodam Italice versae editae sunt Venetiis a. 1544. in 8. et repetitae postea a. 1547. a Tramezzino. Eiusdem versionis et editionem Antwerpiensem anni 1561. in 8. habemus. Omnes autem, quas hucusque commemoravimus editiones, raro sunt obviae.

Philonis pleraque scripta ab Italis translata extant. Vitae Mosis duplicem habemus translationem, alteram Sebastiani Fausti de Longiano, alteram Julii Ballini, Advocati Veneti. Illa Venetiis a. 1548. in 8. apud Valgrisium, haec a. 1560. in 4. apud Bevilaequam prodiit. Eiusdem Philonis libellus: Imago perfecti nobilis ad exemplum Josephi Patriarchae expressa, a Petro Francisco Zino, canonico Veronensi, translatus ter Venetiis editus est: primum a Giolito, a. 1574. in 8. deinde a Zaltiero a. 1574. in 12. et anno sequente a Rampazzetto in 8. Eiusdem libellus de creatione mundi, addita historia universali inde ab orbe condito usque ad annum 1569. Italice versus ab Augustino Ferentillo sexies iunctim editus est a Giolito, Venetiis a. 1570. 1572. 1574. 1575. 1578. et 1577. quorum omnium exemplarium forma est quarta.

Philostratus de vita Apollonii Thyanaei, tres diversas nactus est versiones. Prima est Johannis Bernhardi Gualandi,

landi, presbyteri Florentini, edita Venetiis a. 1549. in 8. a Comino de Trino. Secunda, eaque melior et praestantior, auctore Francisco Baldello pulcherrime prodiit Florentiae a. 1549. in 8. apud Laurentium Torrentinum, quae editio praeter vitam Apollonii, etiam continet Eusebii libellum contra Hieroclem, qui Apollonii miracula cum miraculis Christi comparaverat. Denique Ludovicus Dolce recentissimam Philostrati versionem Venetiis edidit, primum a. 1549. in 8. apud Giolitum, deinde eadem forma, et eodem anno apud Valgrisium. Neutra harum versionum accurata et omnibus numeris absoluta dici potest propterea, quod neque Baldellus neque Dolce in vertendo textum Graecum ante oculos habuerat, sed potius ex sola versione Latina expresserunt.

Lucium Florum, ex versione Johannis Dominici, Tharsiae ex Istria, Venetiis edidere haeredes Ravani a. 1547. in 8. Idem Scriptor anno sequente in 8. apparuit non commemorato tamen nomine eius apud quem editus esset. Aliam Flori versionem a Santo Conto della Rocca Contrada factam, et Romae a. 1634. in 12. apud Petrum Antonium Facciottum editam, Argelatus commemorat. Quae editio cum etiam in pluribus aliis Italicarum bibliothecarum catalogis, in primis Romanis, commemoretur, sane non videmus, quare Paitonius noster eam in dubium vocet. An vero versio ipsa sit Santi, maiori fortasse cum veri specie aliquis dubitet. Eadem versio postea dupliciter Romae prodiit, in 12. primum a. 1639. apud Mascardum, deinde a. 1672. apud fratres Andreolos, in qua posteriore editione etiam Ampelius, et Festus Rufus, e versione Dominici Benedetti Trevini, comparent.

Julii Frontini stratagemata, a Francisco Lucio Durantino Italice translata, primum Venetiis a. 1536. in 8. apud Arrivabenum prodierunt, et postea ibidem ter repetita sunt, a. 1538. 1541. et 1543. in 8. Aliam, eamque longe auctio-

 rem

rem huius scriptoris editionem Marcus Antonius Gandinus Venetiis a. 1574. in 4. iuris publici fecit.

Josephum, historiae Judaicae scriptorem, in linguam vernaculam translatum, tam saepe typis descripsere Itali, ut nullius prope Scriptoris antiqui plures habeamus editiones. Primam, eamque omnium rarissimam et pulcherrimam suppeditavit Bartholomaeus P. Florentiae a. 1493. in fol. Versio, qualis tum temporis esse poterat, unde sit, nou constat. Haec editio postea ibidem bis repetita est annis 1526. et 1512. in fol. Eadem versio dein saepius, quanquam non ita nitide, typis descripta est a Venetis, veluti a Ravano a. 1531. in 8. a Bonello anno sequente, a Vettore Ravano a. 1535. in 8. et a. 1541. in 8. A. 1552. apud Bonellum prodiit nova, atque in quibusdam locis emendata editio in 8. quam tribus annis post eadem forma Rampazzettus repetiit. Quam Salvianus a. 1570. in 8. exire iussit editionem, ea comprehendit Josephi libros VII, de bello Judaico, et eversa urbe Hierosolymitana. Omnibus autem, quae supra commemoravimus, exemplaribus continentur tantum Josephi libri VII. priores antiquitatum Judaicarum. Reliquos huiusce operis libros, una cum prioribus a Petro Lauro Mutinensi Italice versos, duobus voluminibus edidit Constantinus a. 1549. in 8. et postea imitatus est Bonadius, Venetiis a. 1564. additis de bello Judaico libris Eadem continentur editionibus Vadali a. 1574. et fratrum Zoppinorum 1581. in 4. Vilis editio est ea, quae apud Cornetum a. 1585. in 4. vulgata est; pulcrior contra, et multo praestantior habetur, quam Griffius quatuor annis post in 4. edidit. Hanc male imitatus est Vecchius a. 1604. in 4. A. 1608. prodiit Josephus in 4. aliquot figuris ornatus, quibus caret editio Albertina proxime sequens anni 1619. in 4. Anno 1620. Vecchius Venetiis aliam editionem vulgavit, quae in titulo haec verba prae se fert: *Novamente nella lingua volgare dal R. P. M. Andrea Berna.*

Quae

Quae verba qui primum legerit, putet fortaſſe novam et a priore diverſam ſubeſſe verſionem. Verum hac verſione diligentius conſiderata, et cum priore, quae Laurum habet auctorem, comparata intelligetur, verba illa in fraudem emtorum poſita eſſe, nec Bernam quicquam aliud vertiſſe, niſi mortem Maccabaeorum martyrum, reliqua omnia eſſe e verſione Lauri repetita. Propter hanc ipſam cauſſam, nomen eius, a quo verſio antiquitatum Judaicarum profecta eſt, in editione Veneta de a. 1638. in 4. apud Gueriglium reſtauratum eſt; cum bella Judaica perpetuo e verſione anonymi repeterentur, non modo in hac editione, verum etiam in ſequentibus Milochii, quae Venetiis a. 1661. 1670. 1681. omnes in forma quarta prodierunt. Denique Franciſcus Baldellus novam plane atque prioribus longe praeſtantiorem omnium Joſephi operum verſionem, duobus voluminibus, edidit apud Giolitum Venetiis a. 1581. et 1582. in 4. quae editio poſtea ſemel tantum, nempe a. 1589. repetita eſt, quanquam et puritate ſermonis, et verſionis diligentia, reliquis multum praeſtet.

Vitae ſanctorum patrum ab *Hieronymo* conſcriptae, triginta tres nactae ſunt in Italia editiones, quarum praecipuae atque rariſſimae ſunt decem priores, quae omnes uno ſeculo quinto decimo prodierunt. Primum editae ſunt Venetiis a. 1475 in fol. apud Gabrielem di Pietro da Triviſio, et ſtatim anno ſequente etiam apud Antonium di Bartolomeo di Bologna, ibidem in fol. Eoden tempore tertia editio Mediolani exiit, eadem forma. Quartam exhibuit nobis Hermannus Leichtenſtein, Vicentiae a. 1477. in fol. et duobus annis poſt etiam quintam ibidem. Sexta et ſeptima editae ſunt Venetiis annis 1479. et 1483. utraqne in fol. Tres reliquae prodierunt Mediolani apud Leonhardum Pachelium et Guldreich Scinzenzellerum, a. 1490. Venetiis, 1493. et Mediolani 1499. cui poſtea ſucceſſit alia eodem anno Venetiis apud Penſam. Hae omnes habent for-

mam folii. Omnium autem optima et recentiſſima verſio eſt Manni, quae Venetiis a. 1731. in 4. publicata eſt.

Juliani Caeſares ab Hieronymo Franciſco Zanetto doctiſſime atque elegantiſſime in linguam Italicam translati, typis deſcripti ſunt a Julio Trento a. 1764. in 8.

Juſtinum, Trogi Pompeii epitomatorem, mature Itali in ſuam verterunt linguam. Habemus tres diverſas huius ſcriptoris verſiones. Prima et antiquiſſima, quae eſt Hieronymi Squarzafici, pulcherrime impreſſa eſt Venetiis a Joanne da Colonia et Joanne Gheretzen a. 1477. in fol. Haec rariſſima editio poſtea ſaepius iterata eſt ibidem, veluti a Zopino a. 1524. a Gregorio de Gregori duobus annis poſt, a Nicolino da Sabio a. 1535. et denique a Bindono 1542. quorum exemplarium omnium forma eſt octava. Secunda verſio facta eſt a Thoma Porcacchio, atque edita Venetiis a. 1561. in 4. apud Giolitum. Eius miſera quaedam imitatio facta eſt a. 1730. in 8. Denique Bartholomaeus Zucchius tertiam Juſtini verſionem fecit, cuius primum exemplar prodiit Venetiis a. 1590. in 4. apud Muſchium.

Vita Johannis Eleemoſynarii, a Leontio epiſcopo graece ſcripta, et a fratre Nicolao ab Imola in linguam converſa Italicam, Parmae a. 1513. in 4. edita eſt.

Hiſtoria *Liviana* vel ex parte, vel tota, ſaepiſſime in linguam translata Italicam extat. Decem priores libri ab anonymo quodam ſine commemoratioe loci, anni aut typographi, editi ſunt in fol. Cuius editionis ſub initium leguntur Johannis Buonaccorſi litterae, ad Bernhardum Cambinum ſcriptae. Alius editionis, quae Florentiae apud Lucam Bonaccorſum in fol. prodiit, mentionem facit Fontaninus. Non ita multo poſt, anno nimirum 1476, tertia et quarta Decas a Ruggerio Ferrario converſa prodiit Romae prope palatium, divi Marci, apud Ulricum Gallum tribus volumi-

luminibus in fol., Hasce tres Decades coniunctim edidit Antonius Bononiensis Venetiis a. 1478. in fol. quae editio postea illo ipso seculo in eadem urbe saepius iterata est, veluti 1481. in fol. apud Octavianum Scotum, 1485. in fol. apud Bartholomaeum Alexandrinum et Andream Asulanum, 1490. in fol. apud Zanem, denique 1493. apud Zovanum. Hunc versionem, quidam dicunt, non tam esse a Ruggerio Ferrario factam, quam descriptam. Alii contra auctorem Donatum Acciaiolum perhibent. Auctor noster eam primum Aretino, postea vero maiore cum verisimilitudine Bocaccio tribuit. Seculum proxime sequens sextum decimum fuit et ipsum editionibus Livii Italicis fertile. Editus est Italice a. 1502. in fol. a Zano de Portes, et repetitus ab eodem novem annis post in fol. Alia editio eaque emendatior, et Decadis quintae accessione aucta, prodiit a. 1535. in 4. apud Vettorem di Ravani. Huic versioni successit alia Jacobi Nardi Florentini, quae elegantiae aliarumque virtutum nomine magis est commendabilis, quam superior. Ea edita est ab haeredibus Juntae, Venetiis a. 1540. in fol. et repetita postea dupliciter, a. 1544. et 1547. in fol. In posteriore insunt aliquot emendationes. Nardi versio tertium emendata prodiit a. 1554. in fol, quae editio omnium praestantissima putatur. Posthaec bis iterata est, annis 1559 et 1562. Idem scriptor cum supplemento Decadis secundae, quod addidit P. Franciscus Turchius, Ordinis a S. Carmelo presbyter ex urbe Tarvisio, editus est Venetiis a. 1575. Editionem anni 1554. Rubinus imitatus est Venetiis a. 1574. in 4. duobus voluminibus. Alia editio, locupletata Curtii Marinelli summariis, et comparationibus Livii cum aliis scriptoribus, prodiit Venetiis apud Franceschinum a. 1581. in 4. Quae a. 1586. edita est, ea quamvis propter diversitatem annorum videri possit nova editio, tamen plane est eadem cum superiore. Novissima omnium prodiit a. 1734. in fol. apud Baglionum. Extat quidem alia Francisci Sansovini versio, edita Venetiis a. 1567.

duobus

duobus voluminibus in 4. apud Comam; verum, qui de utraque lingua recte eleganterque iudicare possunt, ii etiamnum translationem Nardinam huic praeferunt.

Nicetae historiam a Josepho Horologgio translatam Valgrisius edidit Venetiis a. 1562. in 4. Eodem anno et loco Franciscus Sansovinus quoque hunc scriptorem iuris publici fecit, quae editio et ipsa perquam est utilis. Optima autem est alia Dolcei, et, qui post mortem eius coeptum laborem continuavit, Ferentilli, quae duobus voluminibus in 4. Venetiis a. 1569. apud Giolitum excusa, et duobus annis post iterata est. In priore editione inest etiam Nicephorus Gregoras, e versione horum duumvirorum.

Cornelium Nepotem primus omnium vertit Remigius Florentinus, atque edidit Venetiis a. 1550. in 8. apud Giolitum. Hanc sequuta est alia editio, aucta vitis Marci Porciae, Catonis, et Titi Pomponii Attici, Veronae a. 1732. apud Ramanzinum, quam Bartolus male imitatus est Venetiis a. 1740. in 8. Idem Cornelium Nepotem latine atque italice simul edidit ibidem a. 1750. in 12. Denique recentissima cuiusdam ex ordine Servitarum, Bandierae, Senensis, versio, apud Thomam Bettinellum a. 1543. in 8. quae in primis propterea apud omnes eruditos in magno est pretio, quoniam praefatione satis longa continetur utilissima theoria, qua docetur optima auctorum classicorum vertendorum ratio.

E tertio volumine nostri operis repetimus *Orosium*, cuius habemus duas versiones. Altera est Giovanni Guerini, quae ter edita est, primum Tuscolis ad lacum di Garda ab Alexandro Paganino a. 1540. in 8. deinde Venetiis a. 1539. in 8. et ibidem 1564. in 4. Altera versio est Marcantonii Bonaccioli, quae Venetiis a. 1528. prodiit.

Paulus Diaconus saepenumero in Italicam linguam conversus extat. Editio Veneta, quam Cominus da Trino

a. 1544.

a. 1544. in 8. vulgavit, continet primum Aurelii Victoris vitas Imperatorum Romanorum, deinde Eutropium de rebus gestis Romanorum, denique libro XI. sequitur Paulus Diaconus, qui est quasi Continuator Eutropii. Eadem reperiuntur in editione Veneta anni 1554. in 8. Aliam versionem, a Benedicto Egio Spoletano factam, edidit Tramezzinus Venetiis a. 1548. in 8. Pauli Diaconi historia de origine et rebus gestis regum Longobardicorum, a Ludovico Domenicho translata, Venetiis a. 1548. in 8. apud Giolitum prodiit. Haec editio postea ibidem a. 1558. in 8. et Mediolani a. 1631. in 12. apud Bidellum repetita est.

Pausanias ex versione Alfonsi Bonaccioli, nobilis Ferrariensis, editus est Mantuae a. 1593. in 4. quae editio rarissime obvia est.

Petronium a Cyriaco Basilico eleganter translatum, vulgavit Bulironius Neapoli a. 1678. in 12.

Plinii historia naturalis dupliciter est in linguam Italicam translata. Tanto saepius eam typis descripsere Itali. Primus omnium versionem molitus est Christophorus Landinus, cuius prima editio, quam Zeno ad annum 1471. commemorat, an unquam extiterit, sane dubium est. Tanto certior est ea, quae sub hoc titulo prodiit: *Storia di Cajo Plinio Secondo delle cose naturali, tradotta da Cristoforo Landino. Romae in aedibus Maximi. MCCCCLXXIII. in fol.* Haec editio non modo est antiquissima, verum etiam tum raritatis, tum pulcritudinis et praestantiae, tantam habet commendationem, ut iure optimo bibliothecarum verissimum ornamentum videri possit. Aliam, quae et ipsa rarissima est, multisque splendet ornamentis, edidit Nicolaus Jensonius Venetiis a. 1476. in folio regali. Huius exemplar reperitur in domo Marcellorum nobili, Venetiis. Praeter has praeclaras editiones prodiere eodem seculo

binae aliae Venetae, altera apud Magiſtrum Venetum anno 1481. altera apud Zanum a. 1489. utraque in fol. Seculo proxime ſequent multo adhuc frequentiuse Plinius Venetiis typis deſcriptus extat. Unus Seſſa, typographus Venetus, quinquies ipſum edidit, annis nimirum 1511. 1516. 1524. 1528. 1534. quae editiones omnes ſunt in forma maiore. Poſtea Balarinus Landini verſionem emendandam curavit, atque praeſtantiſſime edidit Venetiis a. 1534. in 8. quam ſequuta eſt alia aeque pulcra editio anni 1543. in 4. In hac poſteriore inſunt aliquot emendationes Antonii Brucioli. Ceterum, quanquam haec Landini translatio ſeptingentis amplius vitiis ſcateret, tamen deficiente meliore per longum temporis tractum in Italia valuit. Anno 1548. idem Bruciolus eam verſionem ſecunda vice emendatam in 4. edidit. Denique Ludovicus Domenichus, ſocio laborum adſcito Pompeio della Barba da Peſcia, archiatro pontificis, novam plane translationem molitus eſt. Quae cum eſſet ab ipſo ſolo facta, non potuit profecto omnibus numeris abſoluta eſſe. Eſt tamen et ipſa multis nominibus commendabilis, certe longe melior ſuperiore verſione. Primum omnium prodiit Venetiis a. 1561. in 4. apud Giolitum, poſtea frequenter repetita eſt, primum apud eundem anno 1562. in 4. deinde 1573. apud Vidalium, 1580. apud fratres Zoppinos, et 1589. omnes in forma quarta. Vilioris pretii ſunt editiones, quae a. 1603. et 1613. prodierunt. Quanquam autem in bibliothecis Italicis multi ac praeſtantiſſimi Plinii codices reperiantur, unde, ſi nihil aliud, lectiones certe falſae poſſint facillime emendari: tamen inde ab illo tempore in hoc genere nihil eſt amplius ab Italis praeſtitum.

Plinii iunioris epiſtolae, anno demum 1717. a Tedeſchio Canonico translatae, editae ſunt Romae in 4. apud Salvionum. Eaedem epiſtolae coniunctae cum Petrarcae et Pici epiſtolis, e verſione Ludovici Dolce, Venetiis a. 1548. in 8.

in 8. vulgatae ſunt. Plinii Panegyricum primus vertit Petrus Conon Ranconus, atque edidit Senis a. 1506. in 8. Melior eſt ea, quae auctore Girolamo Ubaldino Malavolto, Romae apud Zanettum 1638. in 4. prodiit. Raritatis nomine inſignis eſt ea, quam P. Lengueglia Valentiae Hiſpanorum a. 1657. in 4. edidit. Haec poſtea bis a Pinello iterata eſt Venetiis, primum a. 1670. dein 1686. utraque in 12. Omnium optima atque utiliſſima verſio eſt Laurentii Pataroli, quam ſub hoc titulo edidit: *Panegyricae orationes veterum oratorum. Notis ac numismatibus illuſtravit et Italicam interpretationem adiecit, Laurentius Patarol. Venetiis 1708. in 8.* et 1719. in 8. Recentiſſima Marcellotti verſio, Ludovico Rezzonico dedicata, nullius eſt pretii.

Plutarchi antiquiſſima ſimul et pretioſiſſima editio hunc habet titulum: *Vite di Plutarcho traducte de Latino in vulgare in Aquila al magnifico Ludovico Torto, per Baptiſta Alexandro Jaconello de Riete. — in Aquila MCCCCLXXXII. per maeſtro Adam de Botwil, in-fol.* Hanc ſequutae ſunt tres aliae Venetae, a. 1516. duobus voluminibus in 4. 1518. in 4. et 2525. in 4. quae tanquam novum opus conſiderari poteſt propterea, quod nova Julii Bordoni, medici Patavini, verſio, ipſius eſt baſis. Sequuntur editiones aliae, veluti a. 1529. in 8. 1537. et 1538. in 8. Deinceps Ludovicus Domenichus novam, atque adeo praeſtantem Venetiis a. 1555. in 4. apud Giolitum edidit verſionem, ut noſtris etiam temporibus, tum bonitatis, tum raritatis cauſſa, ſtudioſe quaeratur. Eadem verſio a Ghinio e textu Graeco emendata, reperitur etiam in Gioliti catena ſcriptorum Graecorum a. 1566. Quae a. 1567. et 1568. prodiit editio, ea a ſuperiore non niſi titulo differt. Franciſci Sanſovini editio, quae Venetiis a. 1570. in 4. publicata eſt, magnam habet utilitatis commendationem ex eo, quod Sanſovinus multis praeſtantiſſimis codicibus Graecis et Latinis uſus eſt, qui antea plane ignoti fuerant. Alia

editio additis quibusdam figuris ligno incisis, prodiit duobus voluminibus in 4. a. 1582. apud Vaugrisium, quam idem quinque annis post, et a. 1607. Albertus iteravit. Vilioris pretii est ea, quae a Ginamio a. 1620. edita est. Denique Plutarchus Veronae a. 1744. in 4. typis Ramanzini descriptus est.

Opera *Polybii* historica, Italice a Dominicho translata prodiere Venetiis a. 1545. 1546. 1553. et Ferrarae 1536. semper in forma octava. Ultima editio non habet quicquam praecipui. In Poreacchi catena historicorum Graecorum; quam Giolitus a. 1562. edidit, huius quoque scriptoris historia reperitur. Eadem Dominichi versio, a Julio Lando in melius mutata, Veronae a Ramanzino a. 1741. in 4. edita est. Eius quoque libri de Romanorum militia a Philippo Strozzio translati extant.

Polyaeni stratagematum duas habemus versiones Italicas, alteram Nicolai Mutoni, quae Venetiis a 1551. in 8. et ibidem anno sequente pariter in 8. edita est; alteram, eamque praestantiorem, quam Laelius Carranus ibidem anno 1552. in 8. apud Giolitum evulgavit.

Procopii etiam quaedam in linguam Italicam translata extant, veluti eius Gothica e versione Egii Spoletani, Venetiis a. 2544. in 8. 1547. in 8. Ab eodem translata habemus Procopii κτίσματα, f. libros VI. de aedificiis conditis vel restauratis auspicio Justiniani Imperat. Venet. anno 1547. in 8. Haec tria volumina vel in amplissimis Italiae bibliothecis vix reperiuntur.

Roberti monachi historia belli ab Imperatoribus christianis adversus Turcas gesti, secundum Baldelli interpretationem Italicam, typis descripta est Florentiae a. 1552. in 8. a Torrentino, qui liber et ipse rarissime occurrit.

E quarto

E quarto nostri operis tomo *Sallustium* repetemus, cuius habemus quinque diversas interpretationes Italicas. Prima est Augustini Orticae della Porta Genuensis, quae septies prodiit, Venetiis 1518. in 4. 1518. in 8. 1523. in 8. apud Sessam, et eodem anno apud Gregorium; 1531. in 8. et bis 1545. in 8. Secundae versionis auctor est Lelius Caranus, eaque pulcherrime et praestantissime edita est primum Florentiae apud Torrentinum a. 1550. in 8. et deinde 1556. in 8. Tertia, interprete Paulo Spinola, nitidissime prodiit Venetiis a. 1563. in 8. Quartus, qui Sallustio vertendo operam navavit, est Carolus Corsinus, cuius editio Florentiae a. 1664. in 4. publicata est. Quinta denique, eaque recentissima versio, quae D. Johannem Baptistam Bianchium, Senensem, auctorem habet, edita est Venetiis anno nostri seculi 61. in 8.

Xenophontis opera historica quater sunt ab Italis in linguam suam translata. Prima omnium versio est Marci Antonii Gandini, quae Venetiis a. 1588. in 4. edita est, atque inde etiam repetita in recentissima Ramanzini editione Veronensi anni 1736. in 4. reperitur. Postea Poggius Florentinus Cyropaediae interpretationem Italicam edidit, Florentiae a. 1521. et Tusculi 1527. in 8. Tertius Xenophontis interpres est Ludovicus Dominichus, cuius habemus duas editiones, Venetiis 1549. et 1558. utramque in 8. Haec posterior plane non differt a priore, nisi quod per fraudem typographi quatuor priores paginae recens sunt typis descriptae. Ab eodem etiam translata extant Xenophontis Ελληνικὰ Venetiis a. 1548. 1558. 1561. et 1567. edita in forma octava. Idem opus etiam ex interpretatione Francisci di Soldo Strozzi editum est Venetiis a. 1550. et 1562. in 4. atque haec postrema versio vulgo optima putatur.

Sexti Rufi binas habemus interpretationes, alteram Johannis Vincentii Velprati Comitis Auersani, quae

Florentiae a. 1550. in 8. alteram Ludovici Dolcei, quae Venetiis 1561. in 4. prodiit.

Xiphilinus, Franciſcum Baldellum interpretem nactus, editus eſt Venetiis a. 1562. in 4.

Suetonius bis translatus eſt, primum a Paulo del Roſſo Florentino, Romae 1544. in 8. Venetiis 1550. in 8. 1554. in 8. 1556. in 8. Florentiae 1611. Venetiis a. 1738. in 4. cum figuris, deinde a Mambrino Roſeo Fabriano, Venetiis 1544. in 8. apud Tramezzinum, quae editio rariſſime obvia eſt.

Taciti legendi tanto ſtudio incenſi fuerunt Itali, ut nullius ſcriptoris antiqui tantam vel verſionum copiam, vel editionum multitudinem habeamus, quanta libror. Taciti nobis contigit. Prima omnium Scriptoris verſio prodiit Venetiis a. 1544. in 8. ſine interpretis nomine, quam editionem ſequutae ſunt multae aliae, veluti a. 1582. 1589. 1598. 1607. et Francofurti 1612. omnes in 4. Secunda Georgii Dati verſio annalium atque hiſtoriarum, pulcherrime edita eſt a. 1563. in 4. qui liber hodienum tum venuſtatis, tum raritatis nomine ſtudioſe quaeritur. Tertius Taciti interpres fuit Bernhardus Davanzatus, qui cum preſſam Taciti dictionem feliciſſime imitatus eſſet, virilem tamen eiusdem ſcriptoris gravitatem aſſequi nullo modo potuit. Praeterea etiam verſioni ſuae ſaepenumero immiſcuit idiotiſmos quosdam, quibus ſcriptoris ſenſus interdum valde obſcuratus eſt. Ex eius verſione prodiit primum annalium liber primus Florentiae a. 1596. in 4. poſtea Tiberii vita ſeparatim, ibidem a. 1600. in 4. denique omnia Taciti opera ibidem 1637. Tum annales ſeparatim editi ſunt ibidem 1641. Editiones Venetae annorum 1658. et 1677. in 4. nullius ſunt pretii. Omnium autem praeſtantiſſima, et Etruſcae etiam iudicio probata verſio eſt Volpii, quam Cominus Patavii a. 1735. in 4. edidit.

Eadem

Eadem translatio Lutetiae Parisiorum a. 1760. pulcherrime prodiit. Tertius post Davanzatum Taciti interpres fuit Adrianus Politus, qui annales et historias Italice edidit Romae a. 1603. in 8. Venetiis 1604. in 12. Romae 1611. in 4. et Venetiis 1616. in 8. Hunc sequutus est Hieronymus Canini, qui facta versionum, quas huc usque commemoravimus, omnium emendatione denuo Tacitum edidit Venetiis a. 1618. in 4. quae editio saepius ibidem repetita est, veluti 1620. in 4. 1628. in 4. 1644. in 4. et 1665. in 4. Vita Agricolae, a Johanne Maria Manello translata, prodiit Londini 1585. in 4. Christophori Rosarii interpretatio edita est Romae 1625. in 4.

Ptolomaei geographia a Francisco Berlinghierio, Florentino, in linguam Toscanam versa, prodiit Florentiae circa, a. 1481. cuius editionis historia a Paitonio nostro paullo uberius describitur. Idem liber e versione Italica Petri Andreae Mattioli, cum adiectis mappis geographicis Jacobi Gastaldi, editus est Venetiis a. 1548. in 8. Ibidem apud Valgrisium prodiit a. 1561. in 4. nova Hieronymi Ruscelli versio, quae quinque annis post eadem in forma iterata est. Eandem translationem multis in locis emendavit Johannes Malombra, et Venetiis apud Zilettum a. 1573. et 1598. in 4. edidit. Aliae editiones, auctae additionibus Cernoti, et figuris Porri, prodiere a. 1597. in fol. 1598. in 4. et 1620. in folio.

Thucydidis una tantum extat interpretatio Italica, quae est Francisci Soldi Strozzi, Florentini. Ea publicata est Venetiis a. 1545. in 8. et iterum apud Constantinum, sine anno impressionis, a. 1563. in 4. denique Veronae nostri seculi anno 35. in 4. a Ramanzino.

Valerii Maximi binae extant versiones, altera anonymi, altera Georgii Dati. Illa, pulcherrimis descripta typis, prodiit Venetiis apud Albertinum da Lissona, Vercellensem,

a. 1504.

a. 1504. in fol. quae editio rarissime occurrit. Deinceps ter repetita est ibidem 1509. in fol. 1526. in 8. et 1537. in 8. Haec (Dati interpretatio,) multo frequentius est edita, v. c. Venetiis 1539. 1547. 1551. 1563. 1573. 1586. 1605. quae omnes editt. sunt in forma octava.

Vegetii librum de re militari unus Tizzone Gaetano di Posi Italice interpretatus est, et edidit primum omnium Venetiis a. 1524. in 8. apud Vitalium. Hoc exemplum est e genere praestantissimorum simul et rarissimorum. Sequutae sunt aliquot aliae editiones a. 1525. 1528. 1540. et 1551. omnes in 8.

Zonaras bis translatus est, primum a Marco Emilio Florentino, postea melius a Dolceo. Prior versio Venetiis 1560. et 1564. in 4. posterior ibidem 1570. in 4. edita est.

Quinto nostri operis tomo comprehenduntur versiones Bibliorum, Missalis, Brevium, &c. In primis copiose differitur de bibliis Malermi, Brucioli, Marmochini, Diodati &c. Ne vero nimis longi simus in excerpendis huius operis capitibus, faciemus hic finem, adspergendis aliquot animadversionibus. Scriptores classici multo maiore cum studio et diligentia ab Italis translati sunt, quam a nostris, quorum versiones pleraeque nimis multis archaismis scatent, qui sunt a consuetudine loquendi nostra aetate usitata longe alienissimi. Italorum contra versiones multae ante bina ipsa secula factae, etiamnum Cruscae probantur, atque usu hominum nostri quoque seculi valent. Quemadmodum linguae Italicae fines hisce talibus versionibus multo subinde latioren accepere ambitum, ita nos quoque si modo velimus, vernaculam, arctis adhuc limitibus circumscriptam eodem modo adiuvare atque amplificare facillime possemus. Est tamen linguae Italicae etiam alio modo melius, quam nostrae, prospectum. Nam Itali, quemadmodum homines

Franco-

Franco-Gallici, habent Lexicon, in quo minutatim enumerantur omnes voces et loquendi formulae, usu atque auctoritate totius nationis comprobatae et firmatae. Nos contra Germani, destituti hoc praesidio, et incerti quo pedem figamus, de singulis voculis et phrasibus perpetuo rixamur et bella movemus, ante non desitura, quam academia aliqua, qualis est Italorum Etrusca, (*Cruscam* dicunt,) constituatur, quae litigantium partes e legibus philosophicis atque grammaticis invicem componat. Habent etiam Itali, qua vertendos auctores Latinos, in hoc aliquid praecipui, quod inter linguam ipsorum et latinam maxima similitudo et concordia intercedit, cum contra nostra vernacula, aliis innixa legibus, nulli facile alii linguae, quam Romanae, tam difficulter accommodari posse videatur.

DE JOANNE RIVIO, RECTORE QUONDAM Annabergensi, bene de re Scholastica in Misnia merito.

Auctore

M. *JO. CHRISTOPHORO GOTTLEBER,*

Scholae Provincialis Misnensis Rectore.

Contigit profecto humano generi felicitas maior, quam vulgo putatur, sexti decimi seculi principio, quum Dei singulari providentia et cura, latinae et graecae litterae, earumque monumenta, quae in monachalium bibliothecarum, quin turrium tenebris, situ obducta, tamdiu contemta iacuerant, scholis iterum inferrentur, et caput quasi extollere inciperent Liberata enim his litteris veniente in auxilium divina numinis clementia universa fere Europa, et aliae regiones exterae superstitionibus, quae omnium animos, a longo inde tempore, invaserant. Satis constat inter omnes, qui rem paullo altius repetere operae pretium duxerunt, tam foedam barbariem, ab ignorantia monachorum et ineptis Scholasticorum nugis profectam, in scholis regnasse, easque tam diu occupasse, ut hominum mentes, stupore oppressae,

ſecure quieſcerent, nec verum viderent: unde omnis mali origo, quo verae religioni tam gravia vulnera inflicta, ut ſine praeſentiſſimo remedio haud ſanari poſſe viderentur. Sed pietas, quum ſatis diu, malitia hominum ſuperſtitiones pro veritate venditantium, ſolum mutaſſet, et hominum oculis ſubducta fuiſſet, repente redux eſt facta. Ex tantis enim tenebris opportune lux Scholis Academiisque emicuit, quum bonae litterae, et bona mens, auctoritate virorum quorundam, divinitus quaſi miſſorum, in honore haberentur, et ignorantiae craſſae tenebras diſpellerent. Non male hos humaniorum litterarum inſtauratores, purioris religionis vocare poſſis praecurſores aut praeſules: in confeſſo enim eſt, haec ſtudia viam veri inveſtigandi indagandique muniiſſe; ſine quibus, niſi rem tam gravem miraculis ſummis confici velis, nihil, quod ad felicitatem hominum facit, tentari, nedum effici poterat. Excitavit itaque cura Dei provida homines, qui, inſtructi ſollertia, induſtria, et aſſiduitate pertinaci, graeca et latina exemplaria diurna nocturnaque manu verſarent, et diligenter alios, praecipiendo, monendo, hortando, docerent, nihil ſine iis, in doctrina vera comparanda, rectum eſſe, nullam ſine his ſubſidiis viam, od reſtituendam puriorem religionem, poſſe iniri. Huic providentiae divinae tribuimus, exſules Graecos in Italia humaniter exceptos; unde non modo in Franciam, ſed et in Germaniam et praecipue in Saxoniam noſtram haec ſtudia migraverunt, quae paullo liberalius educatos et bene a natura informatos, alerent, et ad virtutem humanitatemque fingerent. Feliciſſima fuit Lipſia, nacta humanitatis magiſtros magnos, Herrmannum Buſchium, Rhagium Aeſticampianum, quos invidia et ignobilibus artibus victos, et ex nobiliſſima urbe pulſos, ſecuti ſunt Petrus Moſellanus, et poſtea Camerarius, auctoritate Melanchthonis, Caſparis Borneri, Fachſii, et Camiciani, ad hanc bonarum artium mercaturam allectus. Eadem felicitas quoque contigit Univerſitati bonarum litterarum Vitembergenſi, quam Philippus Melanchthon, vir de inſtauranda humanitate meritiſſimus, illuſtravit, qui iuventutem Vitembergenſem, horum ſtudiorum diſcendorum avidiſſimam,

pulchri-

pulchritudinis et elegantiae veteris gustu imbuit. Adiuverunt hi viri summi scholas, quas opportune interdum inviserunt, consilio institutisque bonis, libellis in usum iuventutis scholasticae scribendis: constituere adeo eas agressi sunt, quin eorum aliquot in iis docuerunt, veluti Rhagius Aesticampianus, qui scholae Fribergensi leges et docendi rationem praescripsit, Petrus Mosellanus, eiusdem scholae magister, et alii, quos hic commemorare omnes nihil attinet. Prae aliis autem eminet *Joanes Rivius*, Atthendoriensis Westphalus, Rector quondam scholae Annaemontanae longe celeberrimus; cuius merita de re scholastica in Misnia bene constituenda iam commemorabimus.

Fruebatur tum Annaberga singulari felicitate, quum viri clarissimi, et doctrina egregia florentes, eo se conferrent. *Rivius* quidem, peragratis ad superiorem Rheni ripam urbibus claris, Lipsiae honorifice exceptus a Bornero, Camiciano, et Ioanne Weisenstadiensi, Cygneaeque, auctore Bornero, docendi munere aliquot annos functus, suasore in primis Valentino Hertelio, scholam Annaemontanam aperuit, eamque, profligatis monachorum nugis ineptisque tricis, longe florentissimam effecit *). Adductum secum *Matthiam Marcum Dabercusium*, ex Westphalia familiarem, eo perduxit, ut gratis, more illorum temporum, privatas explicaret scholas; quo tempore quoque *Ioannes Sturnus*, poeta valde probabilis, et Rhagii Aesticampiani amicus a condiscipulatu haud vulgaris, *Adamus Risius*, Arithmeticae peritissimus, *Ioannes Naevius*, medicus clarus, *Eringius*, multae lectionis Theologus, et *Antonius Beutherus*, Senator disertus, Annabergam illustrarunt; cum quibus omnibus Rivius familiarissime vixit, non sine magna litterarum et studiosorum utilitate. In tanta urbis celebritate, quae viros tunc temporis habuit eiusmodi, ut Lipsiae tanto numero non essent, nemini mirum videri debet, iuvenes paullo liberalioris et erectioris indolis, propter summam

 et

*) v. Fabricii vit. Rivii apud Wilisch. in Incun. Schol. Annaeb. p. 40. et Menken. Diss. de Graec. et lat. litterarum in Misnia instaur. §. 30.

et doctorum auctoritatem, et docendi praeclaram rationem, undequaque eo confluxisse. Rivius enim et Dabercusius non persequebantur vulgaris viae vestigia; non fallebant tempus explicandis dialogis Paulli Niavis, idiomate Laurentii Corvini, et Poematis Hieronymi Paduani, ut ante vulgo factum erat in scholis: ducebant disciplinae suae alumnos ad interiora Musarum sacraria, enarrandis poetis graecis et latinis, veluti Home o, Hesiodo, Virgilio, Ovidio, Terentio, et doctrinae veteris fonte limpidissimo, Cicerone. Rivii ratio interpretandi veteres Scriptores, vel ex eius notis in Sallustium mihi patere videtur. Peritissimus linguae latinae, ex usu loquendi enarrat suum scriptorem, adhibita crisi brevi, adscitisque veteribus libris Msct. et editis, nec pro more quorundam evagatur in locos communes, et dispositiones locorum logicas, quas mediocris ingenii homo facile conficere potest. Eiusmodi sententias uberius sine dubio, inter docendum, breviter illustrabat, easque ad usum iuventutis studiosae accommodabat, imitatione praesertim prudenter instituenda, ne has dicendi artes soli umbrae, sed et vitae aliquando liberaliter degendae didicissent: imprimendos vero eiusmodi locos non curabat, ne magistrorum sollertiae doctrinaeque diffidere videretur. Non sine voluptate legi illam eximiam laudem, qua Josephus Wassius, editor doct. Sallustii, nostrum nobilitat, eumque melioribus auspiciis, quam superiores editores, ad idem opus paratum accessisse dicit: hunc primum Interpretum ὦτα πεπαιδευμένα habuisse, neque animi secus, quam aurium iudicium, in scriptis ostendisse: testari hoc sententias antea male tornatas, et sine arte fluentes, quas novato verborum ordine, incisis membrisque permutatis, pristinis numerorum legibus obedire coegerit: usum quoque codicibus Msct. et libris veteribus, Aldino, Beroaldino, Badiano, et Argentoratensi, item Grammaticorum citationibus: adeo, ut quodcunque huic ad perfectissimum commentarium defuerit, aut aetati id, qua floruerit, aut ingenii humani imbecillitati tribui debeat. Vides hic imaginem docti et perfecti interpretis, qualem nostra tempora, quae clariori quam superiora luce splendent, esse volunt et optant. Similem artem

tem tractandi veteres ſcriptores, oſtenderat iam in caſtigationibus in Terentium editis. At non modo libris ſcribendis egregiis, quos Fabricius Chemnicenſis in eius vita diligenter recenſuit, nomen ſuum poſteritati commendavit; ſed et quod longe maximum videtur, fingendis animis doctrina et praeclaris inſtitutis. Rivio valde honorificum eſt, quod ab Henrico Duce, cui nomen eſt Pio, Fribergam arceſſitus, dignus habitus ſit, qui ingenium et praeclaram indolem Principum iuventutis, Mauritii, Principis illius fortiſſimi, et, ni fallor tunc temporis maximi et Auguſti, ſapientiſſimi purioris religionis ſtatoris, formaret. Quodſi Rivius operam in nullo alio animo ad virtutem et doctrinam fingendo impendiſſet, vel collocare potuiſſet; haec tamen gloria, quam ſibi in conformandis ſua diſciplina his Principibus ſummis peperit longe maxima et ſtabilis eſt, et digna, quae ab omni poſteritate cognoſcatur. Quodnam enim monumentum hoc illuſtrius et perennius eſt, quod ſibi exegit? Et quam inſigniter eiusmodi opere diſciplinae delectari poterat? Quam gratioſus deinde fuerit apud hos magnos principes, vel inde apparet, quod Mauritius eius auctoritatem, in ſcholis illis provincialibus conſtituendis, ſecutus eſſe dicitur. Diſciplinae Rivianae bonitas et praeſtantia inde intelligitur, quod hos Principes non modo doctrina auxit et ornavit, ſed et, quod ad laudem maximum eſt, iis amorem litterarum et hominum doctorum inſtillavit, ut ex inſtitutis praeclaris non modo Mauritii, ſed et Auguſti, quibus ſcholas atque Academias clariores reddidere, perſpici poteſt.

Ut igitur cum Rivio meo Annabergam, unde paulliſper deflexi, revertar; rexit eius urbis ſcholam non diu quidem, non enim duos annos integros ibi docuit: ſed tanta induſtria et ſedulitate, ut, contemtis adverſariorum, in primis pontificiorum calumniis, ipſi diſcipuli, optimi teſtes et integerrimi, quando ad iudicandi maturitatem pervenerunt, teſtati ſint, quanta fuerit in omni re ſuſcipienda et abſolvenda religione et dexteritate. Præter primarium hac in re, Fabricium *), popularem meum, laudabo neminem. Diſcipulos ibi non modo multos habuit,

 etſi

*) v. Fabricii vit. Riv. apud Wilſch. l. c. p. 33.

(etſi multitudo diſcentium non famae ſtabili ſervit,) ſed in primis bonos, quorum fama non modo in Saxonia, ſed etiam apud exteras nationes, valde clara fuit. Liceat mihi hoc loco honoris gratia modo nominare *Georg. Fabricium*, Chemnicenſem, virum de re ſcholaſtica, in primis de illuſtri Afraneo, quod rexit prudenter 26. annos, egregie promeritum, *Adam. Siberum*, *Job. Magdeburgum*, qui cum Fabricio humaniores litteras Miſenae docuit, *Chriſtoph. Scheibam*, *Carcheſium*, *Legerum*, *Ambroſium Schurerum*, *Nicol. Reinholdum*, Juris conſultos, *Georg. Pylandrum*, *Caſp. Naevium*, *Schollerum*, medicos doctos et claros, ut alios taceam. Omnes diſciplinae alumni, qui ab eius ore pependerunt, eum maximo opere obſervarunt, et aſſiduitatem docendi, diſciplinae gravitatem, vitae integritatem, modeſtiam in omnibus rebus prudentiamque laudarunt, et hactenus, ut non ſolum praeceptionibus viam ad virtutem ſterneret, ſed multo brevius et tutius iter ad illam perveniendi, exemplo ſuo et vitae inſtitutis praeclaris, monſtraret, adeoque non ſuae aetatis iuventuti, ſed et ſeris poſteris diſciplina ſua prodeſſet. Quorum meritorum magnitudine et valde amatus eſt a ſuis, ut ex epitaphio, quod Præceptori ſuo incomparabili ſcripſit Fabricius, intelligitur, in quo eum virum optimum, et magiſtrum morum ſeveriſſimum, præclare de præſentibus poſterisque meritum, ornatum a principibus, cultumque ab eruditis, vocat *). Etſi tantus vir Annabergam ornavit, eique præ ceteris Saxoniæ urbibus, in quibus tum Muſæ non tam amoenum ſeceſſum et domicilium habebant, quam hic, auctoritatem conciliavit: invidia tamen ſacrificulorum, quos ſtupor inſignis notabat, et in primis *Zeidleri* cuiusdam, Paſtoris pontificii ultimi, eo deductus eſt, ut, quam regendae ſcholae provinciam tam laudabiliter adminiſtraſſet, eam ultro, non ſine bonorum dolore, deponeret. Fuit tunc ea doctiſſimorum hominum fortuna, ut, cum ſua doctrina, qua litteris ſuum ſplendorem redderent, iuvenibusque diſcendi cupiditatem iniicerent, imperitos homines, rerum ſcientiam iactantes, artes dicendi vero, propter ſtuporem, periculoſas, vel ſaltem inutilem verborum pompam habentes, obſcurarent, malis adverſariorum artibus de ſtatu ſuo deiicerentur:

*) v. Fabric. Annal. urbis Miſniae, p. 104.

tur: qualem fortem fuiffe fcimus *Bufchii* et *Rhagii* in Academia Lipfienfi *). Sed Rivius nofter, qui non fibi, fed iuventuti ftudiofæ iuvandæ natus fibi videbatur mox, Annaberga relicta, Mariæbergam feceffit, quam urbem, tanquam Mufarum fedem, et fuae quietis domicilium, valde amavit, in eiusque laudem peculiarem quoque libellum fcripfit Etfi ibi publicis laboribus non functus eft, quod vellet omnem moleftiae fenfum quem in pulvere fcholaftico collegerat, deponere, et in otio honefto aliquamdiu vivere: tamen non otiofus fuit, cum effet otiofus, fed, quos paullo erectioris indolis difcipulos fecum adduxerat Mariaebergam, eos doctrina et bonis moribus politiores et humaniores reddidit. Sed non diu hoc otio ibi fruitus eft. Quum enim eum Gafp. Crucigerus fecum Schneebergam deduceret, et Weifenbachio, praefecto urbi, Senatuique haud vulgariter commendaret, qui, quod fibi talis viri videndi copia data effet, et ifte fpem inieciffet fore, ut iuventuti ftudiofae publice prodeffet, in finu gaudebant: tandem perfuaderi fibi paffus eft, ut ibi ludum literarium prudenter regeret Quibus praeclare factis fama viri, fortuna longe maior, fic enituit, vt plures urbes fibi tam idoneum magiftrum exoptarent, qui fcholas ordinaret, easque fua praefentia nobilitaret. Unde Regiomontem in Borufſiam, et Budiffinam venire eft invitatus. Sed in excelfiorem locum fortuna eum evexit, cum Henricus Pius, Dux Saxoniae, eum, ob tantam nominis celebritatem, Fribergam vocaret, ut Mauritium et Auguftum celfiffimos principes, pietate et bonis artibus erudiret. Ibi fcholam aperuit, collegis in focietatem laboris venientibus digniffimis, Adamo Sibero, Iobo Magdeburgo, et Fabricio Chemnicenfi, qui tanta laude et exiftimatione peritorum bonas litteras docuerunt, ut, cum Principes auguftiffimi fcholae umbram fplendore colluftrarent, Riviumque interpretantem Livii Decades audirent, Gymnafium Fribergenfe, omnibus Scholis, celebritate et frequentia tunc temporis antecelleret. Exceperat Friberga, tanquam alma ftudiorum mater, præter Rivium et Siberum, Rhagium quem invidia exfulem et extorrem Lipfia fecerat, Petrum Mofellanum, et Sobium, quod Fabri-

*) v. Erneftii Opp. orat. p. 61.

Fabricius merito in praefatione (p. 4.) ad Virgilium suum prædicat. Sed haec urbs non diu in oculis suis ferre potuit Rivium. Quum enim ex omnibus eius rebus, eius fidei concreditis, fides et industria plane singularis eluceret; Henricus ille Pius eum iussit in contubernio Augusti, in Academia Lipsica, esse, ut studiorum Principis esset quasi rector et comes Cognita atque perspecta eius prudentia, in regundis studiis principis; inde ad altiorem honoris gradum ascendit. Constituto tum Misenae, iussu Mauritii Ducis, Senatu ecclesiastico; noster Rivius huius sanctioris concilii Senator sive assessor fuit designatus. Quo in munere amplissimo, non modo de gravissimis rebus consultus, sapienter respondit, de doctrinis religionis falsis aut suspectis diligenter cognovit, et, doctrina ministrorum ecclesiæ explorata, acer censor morum, si quos pravos cognosset, exstitit; sed et inspectio illustris Scholæ Afranæ ei fuit delata, ut nunquam, usque ad vitae finem, scholarum salutem promovere desineret. Tantus vir itaque fuit Rivius, ut ex his disputatis non dubium esse possit, eum de re scholastica in Saxonia, et præcipue in tractu Misniae montano, meritissimum fuisse. Auctorem huius rei quoque haud spernendum Menkenium, cui cognomen fuit Burcardo, laudare possum, qui in dissertatione, supra laudata, ipsi inter instauratores graecarum et latinarum litterarum, in Misnia, non infimum locum adsignat. Mirum quidem alicui videri possit, quod non diu in uno manserit loco; et fuerunt sane, qui hoc levitati cuidam animi tribuerent: sed, nisi me fallunt omnia, hac sedis alicuius fixae stabilisque constituendae inconstantia, plurimis scholis factus est utilissimus, cum iis prudenter ordinatis simul rationem rite docendae humanitatis inferret, atque in discipulis ipsius disciplina formatis, exempla, ad quae alii se conformare possent in erudienda iuventute, posteritati relinqueret. Eo magis, reculturi memoriam tanti viri, aequis et doctis lectoribus rem iuventuti studiosae non inutilem suscepisse videbimur.

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Novembris Anno MDCCLXXI.

IO. GERHARDI, THEOLOGI QUONDAM JEnensis celeberrimi, Locorum Theolog. TOM. *V. VI. VII. VIII. Denuo edidit, variisque obſervationibus ac diſſertationibus auxit et illuſtravit, IO. FRIDERICUS COTTA, Theologus Tubingenſis.*

Tubingae, ſumtu Johannis Georgii Cottae, MDCCLXVI. ſqq.

Pergimus in recenſendo utiliſſimo labore, et antiqui *Gerhardi*, et ſoſpitatoris eius *Cottae*, atque id ita agemus, ut uterque ſua laude ornetur, multisque, vel aliquibus ſaltem, deſiderium oriatur, non ex rivulis neſcio quibus, ſed ex ipſo fonte ubertatem petendi.

Agit ergo Tom. V. primum de peccato, in quo pertinax et diuturna nobis controverſia eſt, non cum haereticis ſolum his illisve, ſed cum ea, unde omnes haereſes deduci poſſunt, philoſophia veteris Adami, cui rationi ſuae dum nimis indulſerunt homines, in diverſas partes religiones abiverunt. Et eſt ſane doctrina de peccatis, multis praeiudiciis

tam theoreticis, quam practicis involuta; non apud alienos solum, sed et nostrae partis homines. Atque uti morborum infinitus est numerus, ita etiam peccatorum, et uterque difficulter ad tres quatuorve species redigi potest, cum virtus sit una, errores vero innumerabiles. Agit ergo Gerhardus, de natura, appellatione, caussis, et effectibus delictorum, variisque speciebus, commissionis, omissionis, aversionis a Deo, conversionisque ad creatorem, in quo subtilius quidem, sed recte, fontem omnium malorum mystici ponunt; de peccatis, quae caussae poenaeque sunt aliorum peccatorum, quod valde caute est tractandum, nam etsi res ipsa sit vera, Deum peccata peccatis punire, tamen permittendo id potius fieri statuendum est, ne auctorem Deum faciamus. De peccatis internis et externis, cordis, oris, operis, ubi praecipue subtilis inest disputatio cum Pontificiis, an concupiscentia, quae evitari non potest, sit revera peccatum; quo in loco acutissimi utriusque partis Theologi dimicaverunt, utrique, ut solet, sua defendentes. Minus controversa sunt, quae notantur de peccatis contra Deum, se, vitaeque socios, in corpus vel extra corpus commissis, ubi de Carne et Spiritu acuta est dissertatio; de peccatis manifestis et occultis, clamantibus et non clamantibus, capitalibus, et comparative saltem minoribus; de alienis peccatis, quae societate quadam nostra fiunt; de venia vel morte dignis, in quibus prolixa dissensio est inter nos et Romanos, qui valde sibi in hac distinctione placent, cum in se omnia peccata sint poenarum digna, licet quaedam veniam consequantur, non tamen mereantur. Denique de peccatis quae imperium obtinent vel minus, de iis quae in se peccata sunt, vel ob accedens aliquid aliud peccata fiunt; de mortuo vel vivente adhuc peccato. Sed et, quod nunquam satis tractari explicarive potest, de Peccato in Spiritum Sanctum, vexato tot sententiis atque interpretationibus, quot fere sunt libri Theologici, multosque scimus clam his curis torqueri, an forte et ipsi tale peccatum expers remissionis commiserint, quod aegris, sive corpore, sive animo hominibus,

bus,

bus, miras ſolet turbas ciere. Qua in re philologicas atque theologicas obſervationes addidit acutiſſimus Cotta, et rem in ſe ſatis obſcuram, induſtria atque ordine egregio reddidit clariorem.

Sequitur impedita illa et tot agitata rixis Philoſophorum atque Theologorum quaeſtio, de libero arbitrio ſ. libertate, quae iam in Philoſophia ſit profundior, quam ut humana libertas humano ab ingenio poſſit unquam ſatis intelligi. Sed apud Theologos eo difficilior eſt, quo minus valemus in res ipſas arcaniores penetrare. Eraſmum certe ſcimus, cum compulſus ut creditur, ab adverſariis Lutheri, de libero arbitrio librum edidiſſet, eoque apud Lutherum et Evangelicos parum gratiae iniiſſet, ſuſpectus dudum ſuis, ſolitum eſſe dicere: *equidem dum liberum arbitrium defendo, paene perdidi meum*, id quod forſan in plures dici queat. Sed Gerhardus in ea re ita verſabatur, ut, poſtquam de libertate in genere dixiſſet, eamque in libertatem a coactione et neceſſitate, in externam internamque diviſiſſet, libertatem iuris et facti, deinde pro diverſa conditione hominum diverſam ſtatuiſſet, aliam innocentis, aliam lapſi, aliam ſanctificati per gratiam Dei, aliam denique alterius vitae aſſeruit. Sed, ut nos quidem arbitramur, poterat id adhuc accuratius agi. Magna eſt enim nobis ſuſpicio, lites illas contumaces Theologorum et Philoſophorum, aut oriri, aut ali ſaltem ex eo, quod quisque genus humanum, totasque vires aliorum, ex ſe ſolo metitur. Forſan tu liberior es, nos reliqui adſtrictiores, vel tu minus eligis, nobis hoc arbitrium eſt, ſed perperam agis, ſi omnia haec ex te iudicas. Extant ea de quaeſtione tot acria volumina, ut nuperrimo exemplo utamur, Wolfianorum et Antiwolfianorum, de quibus utrisque vere dici poſſet,

— — — *ſi Pergama dextra*
Defendi poſſent, certe hac defenſa fuiſſent.

At quid iis actum est, quid decisum; nisi ut quisque Lectorum suum ad sensum usumque, fallacem fortasse referat, et sic pro libertate, vel contra eam pronunciet; id est de se ipso qualis forte sit. Namque uti facierum, ita ingeniorum et voluntatum mirifica est diversitas, ut vix duos invenias sibi omnino compares. Gerhardus igitur ad controversias flectens, alios ponit inter peccantes in excessu, Pontificios praecipue, speciose de libero arbitrio disserentes, sive illud in naturalibus, sive moralibus, sive spiritualibus demum collocent, et latus est contra Bellarminum, nimis liberalem in libertate concedenda, disputans. Alteros in defectu ponit, qui ex homine nervis alienis mobile lignum faciunt, Stoicos, Manichaeos, Reformatos; et quos ἐνθέους vocant. Quorum hominum classes, per omnem fere aetatem, deduxit in notis ingeniosissimus Cotta, sexque recentiorum philosophorum nomina recitat, iure vel iniuria, quis enim scit? hoc crimine notatorum, auditoremque potius ad alienos labores ablegat, quam ut, quae summa eius viri modestia est, ad suam sententiam alliciat. Legimus ergo hanc partem Gerhardiani operis summo cum fructu, et suavitatis et doctrinae. Succurrebat etiam, quod de Augustino olim iudicatum est, eum contra Manichaeos disputantem Pelagianum fere esse, contra Pelagianos Manichaeum. Adeo difficile est medium invenire, nedum tenere. Tertia Pars huius voluminis de Lege agit, quam cum divisisset in divinam et humanam, moralem, cerimonialem, forensem, scripti vel consuetudinis, ecclesiasticam atque politicam, eiusque species, naturae, gentium, et civitatis, inde accuratissime agit de Decalogo eiusque capitibus. Quae tota tractatio cum ad mores spectet latius excerpi hic non potest, eoque libentius Lectorem ad ipsum volumen transmittimus, quo magis ei spondere possumus usum et delectationem. Nam egregium quoddam compendium morum exhibet, et in dubiis quaestionibus, quas *casus conscientiae* appellant, quales permulti eo in genere reperiuntur, copiosus et valde subtilis auctor fuit. Ac licet

licet infinita sit in hoc quaestionum copia, poterunt tamen vel breviter inde discere iuniores Theologi, quomodo sit versandum in explicandis definiendisque officiis. Colophon additur per disputationem, an satisfieri legi ab hominibus queat et de usu legis triplici, cui Cotta noster de legibus positivis erudita quaedam attexuit.

Explicat Tomus VI. uberrimum illum locum de cerimoniis Judaeorum, legeque quam cerimonialem dicunt, derivatum ex antiquitatibus sacris; de sacerdotibus, sacramentis, sacrificiorum varietate et in Christum significatione; de rebus, temporibus, locis, ritibusque aliis. Adiuvit hic valde antiquum Gerhardum recentiorum Philologorum observationibus, Editor, nec minus in altero tractatu de legibus forensibus, et ex egregiae lectionis copia substravit auctori notas, quasi novum fundamentum, ut alius fere Gerhardus emergere videatur. Atque nunquam satis excoli hic campus poterit, et ad arcendos profanos, et adcoercendum nimis abundans nonnullorum ingenium. Alia est disputatio de Evangelio, eiusque praecipue a lege omni diversitate. Quam arcem religionis nostrae ita tractat, ut de argumento, de auctore caussisque, de tempore, natura, effectis, et fine Evangelii, eiusque a lege discrimine, plurima optime moneantur, additis dein controversiis, an novarum perfectiorumque legum auctor, aut consiliorum saltem Evangelicorum Christus fuerit? an Evangelium vere concio poenitentiae, quove sensu dici possit? Magnae olim concertationes, et mira animorum acerbitate gestae, nunc vero sopitae, sed quasi sub favillis, ut solent omnia male extincta incendia.

Descenditur ad poenitentiam, nimis liberali connexione, in quo Gerhardianum systema nobis non omnino placet. Ast ubi plura nitent — — De poenitentia igitur, cuius, onomatologia explicata, ipsa notio uberius exponitur. An ad Sacramentum revocari queat, et qua significatione? de divisionibus, caussis, et vera partitione peccatorum. Nobis

bis tamen maxime placuerunt Polemica illa, contra partes quas pontificii poenitentiae ponunt. Sic de Contritione et Attritione, quorſum utraque pertineat, quid valeat coram Deo, unde oriatur, quid efficiat, multa proferuntur hauſta ex ipſis adverſariorum libris. Poſtulat ea pars attentum Lectorem, et interna experientia ſubactum iudicium, quae non ſunt omnium, ne Theologorum quidem. Confeſſionem exponit, quo ſenſu et modo Pontificii urgeant, enumerationem videlicet; quo nos, et publicam et privatam. Ipſam arcem Romae invadit diſſertatio de ſatisfactionibus, tum et qualem neceſſariam iudicemus declarat, et ſalvo tamen Servatoris merito, et quomodo ludant adverſarii, aulaeque et culinae ſubſerviant ſaepe ſatisfactionibus, indulgentiis, et iubilaeis ſuis quorum iam ipſos pigere occipit. Multum lucis ex notis Gerhardi ipſius adiectum videmus. Accedunt ethica quaedam ſalutariter monata, de poenitentia, quam celerrime ſuſcipienda, et quos illa fructus ferat. Addidit verſatiſſimus in recentiorum librorum notitia Editor, copioſam diſſertationem de varietate ſententiarum, multoque certamine inter Romanos, Gallicanos praecipue, ſuper contritione et attritione. Diu nobis noſtras digladiationes illi obiecerant, donec proelia, ſuper bulla Unigenitus inter ipſos tanto animorum motu edita, oſtenderent, ſatis etiam illorum concordiam diſcordem eſſe. Et ubi non?

Septimus tomus de uno, ſed grauiſſimo argumento eſt, in quo ſaepe cum adverſariis, non de imperio, ſed de ipſa ſalute decertavimus. Eſt haec iuſtificatio peccatoris coram Deo, et cui illa fundamento innitatur. In quo ſubtiliſſima utriusque partis ingenia multum ac diu ſeſe exercuerunt, tam Pontificiorum, quam etiam Socinianorum, atque noſtrorum. Gerhardus autem eo ordine procedit, ut poſteaquam de voce atque praeſtantia huius ſalutaris articuli egiſſet, ageret etiam de cauſſa efficiente iuſtificationis, eamque poneret in ſola gratia Dei, non vero donis divinis, ut pontificii,

ficii, quae gratia gratum faciens apud eos appellatur; sed in solo favore, quem gratiam gratum declarantem nostri appellant. Cumque negari non possit, sacros scriptores variis significationibus vocem gratiae usurpare, debet eo magis sollicitus Evangelii doctor ipsas formas loquendi indagare, ex quibus omnis controversia enata est, dum quisque Scripturam ad suum sensum rapit trahitque. Postea in caussam meritoriam iustificationis inquiritur, quae in solo merito Servatoris nostri est, partim contra Socinianos, qui omnem satisfactionem ad exemplum piae vitae redigunt, quorum argumenta interdum satis acuta, interdum viliora, fuse refutantur; dein Pontificios, qui libenter merita Sanctorum suorum, Mariae, Monachorum, quin uniuscuiusque ipsius attexerent: quae sententia ex Christo valde imperfectum mediatorem facit. Lata hanc excipit disputatio de fide, ut instrumentali caussa iustificationis et illud *Sola fide*, quas turbas non dedit? Quare Gerhardus notionem ac partes ipsius fidei constituit, notitiam veram vivamque, adsensum salutarem, fiduciam plenam: ac praecipue hic tanguntur Romani, qui meram notitiam litteralem, assensum magis Ecclesiae quam Deo praestitum, fiduciam satis de euentu dubitantem, fidem dicunt, inducti quibusdam locis biblicis, nobisque libenter hanc significationem suam obtruderent: qualem fidem iustificare posse nemo nostrum dixerit. Quae ut ambiguitas tollatur, magna industria collectae sunt divisiones fidei, partim ex nostra, partim ex Scholasticorum ratione, quae a nostra verbis potius, quam re abhorret. Postea de obiecto fidei, promissionibus gratuitis Evangelii, de Servatore exclusa Pontificiorum legalitate, quae ad generalem fidem pertinet. Breviter haec indicamus, compendii, non controversiae caussa. Atque utinam haec vel nostrorum multi intelligerent, qui saepe pingui Minerva in hoc negotio utuntur. Et ut aperte dicamus, nunquam plebs illiterata vel litterata, nec Catholicorum nec Acatholicorum, iudex hic esse potest. Felix oportet esse ingenium, quod tam ardua assequatur. Reliqui rudiores melius

lius tacuissent utrinque. Vide, mi Lector, ultra centena millia hominum in Polonia hoc solo bello, quod aegre nunc deflagrat, ex utraque Secta sunt inferiae huic discrimini missae, quorum vix centum fortasse statum controversiae sciverunt, Lutherani sine fide, Catholici sine caritate, quibus se tantopere iactant. Effectus fidei proximus iustificatio, isque solus integro capite absolvitur. Ubi adversarios, nimis late in voce fidei et iustificationis evagantes, et Luthero propter voculam explicationis caussa insitam, *allein*, atrociter insultantes, erudite represserunt auctor et editor magna copia lectionis, atque curae. Nam necessaria esse opera, accurate defenditur, modo ne ad iustificationem; removeturque antiqua illa calumnia, quasi caritatem a fide dirimamus, cum distinguamus tantum. Manet ergo caussa formalis iustificationis sola Christi mediatoris iustitia, quae fide nostra esse declaratur, cum in sequente sanctificatione incipiat demum inhaerere, sed in iustificatione nondum. Mediatoriam dicimus iustitiam, adversus Osiandrum, qui essentialem allegabat, quae tamen contra peccatorem potius militat. Sola igitur hic censenda est gratuita, nullo respectu habito ullius dignitatis, nisi obiectivae, quod et ipsum hic et ille adversariorum iam incipit concedere. Hoc varias per classes ex scriptura est demonstratum, et dein subtilissime disputatur cum Bellarmino, qui, ut omnes sui a iustificatione sanctificationem discernere non potest. De fine iustificationis, usuque huius doctrinae tandem explicat, in quo haud scio an ulla sit religio et Deo dignior, et sanandis animis aptior, quam haec Evangelicorum est, adeo vere, ut ipsi pastores Pontificii, ultimum spiritum ducentes, non alia quam Evangelica ratione, omisso omnium humanorum meritorum nomine, consolentur. Locupletavit hunc tomum sollertissimus Cotta dissertatione, qua controversias Socinianorum in hoc doctrinae capite ad quatuor haec redegit: primum male Socinianos cum Catholicis nudum assensum fidem appellare; dein negat, nostram obedientiam saltem ut aliquid accipi a Deo, nosque inde iu-

stos

ſtos putari; poſt reprehendit dicentes non alienam ergo Servatoris O. M. ſed noſtram obedientiam nobis huc prodeſſe; tandem et eos ipſos dum dicunt, alia ratione patres V. T. quam nos conſecutos eſſe iuſtificationem. Nobis praecipue tertium placebat, in quo obiectiones, fieri contra meriti Servatoris imputationem fieri ſolitas, et indicat aperte, et feliciter tollit. Opera noſtro potiſſimum ſaeculo neceſſaria, cui ni ſuccurratur brevi, totum fiet Socinianum, cui eventui non male iam praelucetur.

Sed veniamus ad octavum tomum, reliquos quatuor, ne taedium ſuboriatur lectoribus, in aliud volumen reſervaturi, qui in bonis operibus et ſacramentis totus abſolvitur. Cumque mirus luſus in verbo hoc boni operis fuerit, non ſolum uſus vocis, verum etiam ſpecies vere bonorum operum indicantur, de forma eorum, quae e diviuis praeceptis ſola pendet, quamque neceſſaria illa ſint ſi non ſaluti, ſalvandis tamen, contra Georgium. Maiorem ex noſtris, incautiorem in verbis, et Bellarminum, cuius argumenta bona, ſed noſtram ſententiam minime ferientia, preſſe retunduntur. De perfectione dein bonorum operum, quam adverſarii potius diſputandi ſtudio urgent, quod tot eorum ſententiae docent, putantes ſegniores homines futuros, ſi perfectionem huic vitae impoſſibilem eſſe cognoſcerent. Alia eſt quaeſtio, eaque non minor, de meritis bonorum operum, in quo facile in initio convenire potuiſſemus, ſi utraque pars illico meriti vim definiviſſet, ſitne praemii, an dignitatis ſenſu accepta. Infinita hic utrinque dicta allegantur, et κατ' ἀκρίβειαν merito locus nullus eſt, niſi ex lenitate Dei, cui placet, quicquid boni ſit. Suademus ergo iunioribus, quin et ſenioribus e noſtris, quid enim ad nos alieni? ut congreſſuri cum adverſariis, mutua declaratione ac definitionibus velint et intelligi et intelligere: quo vitio ſaepe peccatur, et Andabatarum more digladiantur, qui ſe mirificos propugnatores religionis vel ſapientiae putant. Et ſeptem illae claſſes argumen-

Qq q

gumentorum Bellarmini facile ruent, si teneamus, pretium et praemium esse bonis operibus, non meritum vel dignitatem, severe si haec verba capiantur, adversus Deum. Alia inserta est quaestio, an propter praemia debeamus Deo servire: in quo suspendimus iudicium, ne affirmantes hoc, purae virtuti, puro amori detrahamus, vel negantes, humanae naturae videamur immemores esse. Concludit egregia disputatio, de amissione fidei totalis per peccata, quae rationibus et biblicis, et theologicis confirmatur, contra Reformatorum nonnullos, qui regenitos cum electis confundentes, negant id fieri posse, quorum rationes solide vidimus refutari. Sed difficulter lector satis vim utriusque sententiae assequetur, nisi subactae intelligentiae, et multa cognitione animorum huc instructus accesserit. Doceri talia atque animadverti facilius, quam evinci queunt.

Desinamus nunc in loco de Sacramentis, fertili litium Theologicarum, cum de pacis signis caussisque, parum pacifice agunt. Satis constat inter omnes, nec textum hebraicum, nec graecum, ullum verbum habere, quod notioni Sacramenti exacte conveniat, nec unquam definiri in Scripturis, quid proprie sit sacramentum, quae requisita, quas species habeat, quot denique, vel quae res habendae sint in sacramentorum numero. Debebamus ergo, in caussa quae nec appellatione, nec definitione, *κατὰ τὸ ῥητὸν* in scripturis deprehenditur, quanquam alias sit verissima, tamen minus *αὐθάδεις* esse. Viam egregie sternit Gerhardus, ubi de voce hac sacramenti disputat, quae voci *μυστηρίου* utcunque respondet, et in Vulgato, ac Patribus, promiscue usurpatur, et populariter etiam de rebus usurpatur, quas adversarii in sacramentorum numerum neutiquam referrent. Id magna copia lectionis et eruditionis ostenditur. Qua diversitate significationis efficitur, ut unaquaeque factio, alia requisita, aliam definitionem sibi formet, in quo multa sunt arbitraria. In caussis efficientibus, facile convenitur de principali, Deo nempe

nempe et Chriſto; intricatior vero eſt quaeſtio, clerici ne ſoli, an laici quoque, quorum ſacramentorum, quibusque temporibus et conditionibus, poſſint adminiſtri tantarum rerum haberi. Praecipue ubi aſcenditur ad captioſiſſimam litem, an intentio adminiſtri ſit de eſſentia ſacramenti; et acuti ſunt doctores in diſtinguenda hac intentione. Difficile eſt hic moderamen invenire. Si intentio requiritur proh quantum pendet e miniſtro; ſi non, quomodo vox recitantis differat a conſecrante? Haec nunc ita poſuimus, ut lectori impetum cieremus auctorem adeundi. Quomodo ergo dispenſanda ſint ſacramenta, quibus ſint exhibenda, quae res ſint ſacramentales, natura et forma ipſius ſacramenti, in quonam verſetur, ſitne in mera σχέσει et ſignificatione, an μεταδόσει, et coniunctione rerum coeleſtium cum terrenis οὐσιωδῶς, quae magna eſt inter nos et Calvinianos, Scholaſticis nonnullis inhaerentes, contentio, id dein apte et dilucide anquiritur. Neceſſitas vero quae ſit ſacramentis, abſoluta nec ne? quibus ſacramentis minor, quibusve maior inſit, id multa cum utilitate legetur. Novimus exercitatos fidelesque paſtores, qui confitentur, multa ſibi in munere quotannis occurrere dubia ac periculoſa in ea re, uſuque eccleſiaſtico, ut vix ſibi ſatis proſpicere queant. Caveant ergo, qui quae non intelligunt negligunt, neglectum ſuum tunc demum intellecturi, cum ad rem, curam animarum et adminiſtrationem pervenerint, id eſt ſero nimium. Finis eſt in finibus ſacramenti, tam primario, qui eſt, ut Deus actu nobis aliquid conferat, aut ſecundario, ut ſint ſigna quaedam rerum coeleſtium; quod confirmatur atque defenditur contra magnum eorum numerum, qui mera ſigna inde efficiunt. Magna dein et anceps eſt quaeſtio, an etiam V. T. ſacramentis haec vis fuerit conferendi gratiam, ubi in diverſa abeunt non Pontificii ſolum, ſed haud pauci etiam de noſtris. Sequitur, an ex opere operato ſacramenta gratiam conferant, quod placet pontificiis: qui ſi hoc intelligunt, dignitatem ſacramenti non pendere ab utentibus, recte dicunt;

sin putant prodesse posse ei, qui sine bono motu est, falsissime. De significandi efficacia facile omnes consentiunt. Intricata est quaestio, an sacramenta imprimant characterem indelebilem, quod Pontificii de tribus affirmant, baptismo, confirmatione, et ordine, quae negant ideo iterari debere semel facta, quia eam sive qualitatem, sive notam tamen, imprimant mentibus, quae nec in aeternum tolli plane ex ea possit. Satis ingeniose, ut solent, atque utinam paullo certius! Nos vero ne baptismum repetamus semel admissum, aliis rationibus adducimur. Quae universa, tam suppleta, quam illustrata sunt passim, doctissimi editoris annotationibus, quae eo maius pretium accipiunt, quia ad nostra tempora historiam Theologicam deducunt, et qui fontes adeundi sint indicant. Inveniant multi antiquitate iam fere sepulti libri boni, tales editores, optamus. Utinam induci diligentissimus editor possit, ut Gerhardum in compendium redactum, iuventuti proponat. Reliqua alio tempore.

GLOSSARIUM SUIO - GOTHICUM, IN QUO tam hodierno usu frequentata vocabula, quam in legum patriarum tabulis, aliisque aevi medii scriptis obvia, explicantur, et ex dialectis cognatis, Moesogothica, Anglo - Saxonica, Alemannica, Islandica, ceterisque Gothicae et Celticae originis illustrantur. Auctore JOHANNE IHRE.

Upsaliae, typis Edmannianis, a. 1769. Vol. I. II. in Folio major.

Inter praestantissimos seculi nostri proventus, iure quodam suo, referri potest, hoc opus doctissimi atque laboriosissimi *Ihrii*, de quo universa Europa litterata gratulari sibi vehementer etiam atque etiam debet. Ipsi Glossario praeposi-

tum

tum eſt prooemium utiliſſimum, atque doctis, ex parte etiam nondum cognitis, obſervatio ibus pleniſſimum. Quod cum auctor doctiſſimus nobis ſatis ſuperque probaverit, in eo excerpendo tanto nobis licebit eſſe copioſioribus, quanto lectoribus noſtris gratius facturos nos commemorandis rebus, quae ibi tractantur, utilibus, exiſtimamus. Quibus cognitis, lectores adeo bene de ipſius gloſſarii natura atque indole iudicaturos eſſe ſperamus, imo confidimus, ut noſtra quidem commendatione egere plane non videatur. Dolendum tamen eſt, libri utilitatem apud multos homines hiſtoriarum non ſatis gnaros impediri inſigni aliquo errore, in quem doctiſſimus *Ihrius*, praeter noſtram opinionem, incidit, quique per totum opus dominatur. Nimirum, iuſtam atque accuratam nominis Scythici notionem non habuit, idque latioribus, quam lege hiſtoriae fieri debebat, finibus circumſcripſit. Igitur ille Scytharum nomine comprehendit Germanos, Gothos, Graecos, Romanos, Celtas, Slavos, Hibernos; horumque populorum omnium linguas dicit eſſe quaſi ſorores, quae ab aliqua lingua Scythica, veluti matre, communes habeant origines. Verum eſt, linguam Graecorum, Latinorum, Germanorum, Perſarum, dialectosque Celtarum, atque incolarum Walliae, uſitatas, arctiſſime invicem coniunctas eſſe, et antiquiſſimis temporibus unam eandemque linguam effeciſſe: ſed quod *Ihrius* contendit, huius coniunctionis cauſſam eſſe hanc, quod omnes hae linguae proveniant e lingua Scythica, id vero cum hiſtoria priſca conciliari nullo modo poteſt. Nos quidem eam opinionem, quantum fieri poteſt, breviſſimis refellemus.

Jam primum omnium ſatis conſtat, atque a viris eruditis copioſe expoſitum eſt, Geneſ. X. ſub Gomero Cimbrios, ſ. Celtas, ſub Magogo Scythas, ſub Madai Medos et Slavos, ſeros ipſorum poſteros, ſub Javano Graecos, ſub Tirade antiquiſſimos Thraciae incolas intelligi. Hos autem viros Moſes fratres appellat, i. e. cognatos, qui ſimiles ori-

gines habeant. Hinc igitur sequitur, Celtas, Scythas, Slavos, Graecos, Thraces, a primis initiis una eademque lingua usos esse, quae lingua deinceps degeneravit in varias dialectos, e quibus tamen hodienum apparet communis ipsarum origo. Quemadmodum Persae ab Scythis Asiaticis, ita omnes omnino ad Germanicam stirpem pertinentes nationes, originem a Scythis Europaeis ducunt. Gothi aut Getae videntur iidem esse cum Kithimis s. Ketimis, qui ad stirpem Javanicam pertinebant. Germani, non minus quam Gothi, paullatim sese cum aliis populis, quamquam et ipsis arcte invicem cognatis, commiscuerunt; nimirum illorum alii cum reliquiis Celtarum, qui ante ipsos Germaniam incoluere, alii cum Slavis, qui et ipsi antiquissimis temporibus illius aliquot loca habitaverunt; hi (Gothi) cum Thracibus, Graecis, et Slavis. Haec tot populorum commixtio, dialectorum etiam magnas immutationes fecit necessarias. Romani, atque omnino Itali, originem deducunt a Celtis primis et antiquissimis ac Scotorum agnatis, cum quibus postea magnae Graecorum atque etiam Slavorum Asiaticorum coloniae commixtae sunt. His fundamentis, non communi aliqua lingua Scythica, niti arbitramur coniunctionem linguarum Graecae, Latinae, Germanicae, Slavicae, Celticae et Persicae. Est enim lingua Scythica, Graecae, Latinae, Slavicae, et Celticae soror potius, quam mater habenda. Solae Germanorum dialecti, et lingua Persica, a lingua Scythica proveniunt. Hinc intelligitur, nos, qua coniunctionem harum linguarum in genere cum auctore consentire, in gradibus vero huius coniunctionis definiendis ab illo discrepare.

His praemissis, ad prooemium ipsum progrediamur, cuius consilium est hoc, ut auctor rationem reddat de modo, quo usus sit in demonstranda vocabulorum Sueo-Gothicorum origine et significatione. Admonet statim ab initio, atque usus glossarii ipsius hoc confirmat, ipsum, qua etymo-

etymologium ſingulorum verborum longe alia via inceſſiſſe, quam eos, qui ante illum in hoc genere laboraverunt. Fundamenti loco ponit linguam vetuſtiſſimam patriam, quae cum ipſi non ſatisfacit, tum conſulit Islandicam. Haec enim nec tantum puritatis priſtinae, quantum aliae linguae, per peregrinos populos amiſit; nec fuit ante nongentos annos diverſa ab antiquiſſima patria. Tum comparat linguam Alemannicam et Anglo-Saxonicam, quae arctiſſime inter ſe cohaerent, in primis autem Moeſogothicam, certiſſimam reliquarum linguarum matrem; nos quidem malimus illam appellare ſororem antiquiſſimam. Eius tam paucas hodie extare reliquias, ſane eruditionis cauſſa dolendum eſt. Quoniam Gothorum et Celtarum magna quaedam coniunctio antiquiſſimis temporibus intelligitur, Celticae vero linguae duae dialecti hodienum uſu hominum in regionibus ſeptentrionalibus adhuc viventium valent, has quoque linguas doctiſſimus *Ihrius* diligenter inter ſe contulit. Linguae quoque Graecae et Latinae hac ex parte ſatisfactum eſt: illi propterea, quoniam Scythae, a quibus Germani originem trahunt, vicini Graecis fuerunt, et quoniam Pelaſgi, populus Scythicus, ante Hellenum aduentum Graeciam inhabitarant; (immo potius contrarium verum eſt; nam quemadmodum Pelaſgi et reliqui antiquiſſimi Graeciae incolae e ſtirpe Javani, ita Hellenes e ſtirpe Magogi oriundi erant; Prometheum enim, Hellenis patrem, Graeci commemorant fuiſſe Scytham;) hanc contra, (Latinam linguam,) comparavit auctor propterea, quod orta eſt e Pelaſgico et Graeco, ſive potius e Celtico, Graeco, et ex parte etiam Slavico. Europaeos conſtat e regionibus orientalibus eſſe profectos. Hinc auctor linguam Hebraicam, (quae utrum ſit omnium antiquiſſima, ut h. l. dicitur, nondum eſt huc uſque ab ullo demonſtratum,) cum Sueo-Gothica contulit. Denique nec Perſica lingua hic omiſſa eſt. Cauſſam auctor reddit hanc, quia Gothi, (qua ſcilicet ſunt Scythae,) et vicini erant Perſis, et cum iis multum conversa-

versabantur. Nos quidem aliam addamus, quia scilicet Gothi, Germani, et Persae, e stirpibus proxime cognatis orti sunt. Ad extremum, linguae Gothicae etiam e Slavonica multum lucis affundi posse, *Ihrius* noster tribus de caussis rectissime affirmat. Primum quia populi Slavici et Gothici sunt Scytharum posteri; (Slavi vero non sunt posteri, sed fratres Scytharum quippe oriundi e stirpe Madai, qui, ut supra diximus, cum Magogo, cuius posteri sunt Scythae, communes habebat origines.) Deinde, quia Slavi coniuncticum Getis vivebant; denique quod hodienum eas regiones tenent, e quibus olim antiquissimi populorum septentrionalium patres profecti sunt. Quoniam igitur lingua Slavonica ad cognoscendam Sueo-Gothicam tam multum prosit, dolet auctor atque cum ipso multi alii dolebunt, se propter ignorationem eius hoc praesidio destitutum esse. Haec est veluti summa prioris partis prooemii, quae inde a pag. 3. usque ad 41. progreditur. In posteriore sectione exponitur de linguae Suecicae immutationibus, et quibus legibus singulae litterae verborum vel patriorum, vel exterorum, paullatim in alias abierint. Jam vestigia auctoris nostri paullo pressius sequuturi, exponemus sigillatim de linguis iis, quae cum Suio-Gothica habent aliquam coniunctionem.

Primum igitur A. disputat pag. 3. et 4. de lingua Hebraica, quam, ut supra iam admonuimus, falso, saltem cum nulla veri specie, omnium primam et antiquissimam existimat. Eodem modo nec Scythicae linguae primus post Hebraicam locus assignari videtur posse; est enim, si non antiquior Hebraica, certe eiusdem antiquitatis. Si autem vel maxime lingua aliqua prima sit dicenda, potiore fortasse iure haec praerogativa Indicae ultra Gangem, aut Chinesicae tribuatur. Ceterum hae duae coniecturae admodum incertae, per totum auctoris nostri opus dominantur. Nam cum v. c. verbum aliquod Sueo-Gothicum ex Hebraico aut Scythico interpretatur, tum, ad ultimam verbi originem adscen-

adſcendiſſe ſibi firmiter perſuadet. In quos autem errores Bochartus, aut Thomaſſinus, quibus omnia Arabica aut Hebraica videbantur, olim inciderunt, eos, fatendum eſt, eſſe a doctiſſimo *Ihrio* ſtudioſe evitatos. Eius autem ratio eſt haec, ut, ſi occurrat aliquod vocabulum Hebraicum, quo voces Sueo-Gothicae explicari veris etymologiae legibus poſſint, illud apponat. In fine huius diſputatiunculae commemoratur Olai Rudbeckii iunioris Theſaurus Linguarum harmonicus, qui in bibliotheca Upſalienſi publica hodie manu ſcriptus aſſeruatur, quemque typis deſcribi eruditionis cauſſa optandum eſt.

Pag. 4 – 9. loquitur auctor de lingua Scythica, ita tamen, ut hanc diſputationem nobis omnium minime probet. Nam ſtatim a principio fluctuat, utrum Scythae, unde lingua Scythica dicitur, a Japheto, an a Gomero ſint deducendi. Prius eſt verum; ſunt enim e ſtirpe Magogi, quemadmodum Cimbri ſ. Celtae ſunt a Gomero. Hoc quoque eſt falſum, quod Ihrius e quibusdam recentioris aetatis ſcriptoribus Graecis et Latinis repetiit, Scythas maximam non modo Europae, verum etiam Aſiae partem tenuiſſe, adeoque hoc (Scytharum) nomine plurimas comprehendi nationes, quae diverſo ſermone ſint uſae. Longe aliter haec Herodotus, qui Scythas ab aliis populis accuratiſſime ſolet diſtinguere. Quomodo enim poteſt unus idemque populus, uno eodemque tempore, plures atque inter ſe diverſas linguas uſurpare? Verſari quidem uno loco plurium nationum homines, uſu variarum linguarum maxime diſcreti, poſſunt, veluti Franco-Galli, Itali, &c. in Germania; hos vero quis unquam communi Germanorum nomine uſurpavit? Nonne ſingulis ſuum manet nomen? Verum ut ſuam opinionem uberius confirmaret auctor, provocavit in ſequentibus ad teſtimonium Herodoti, qui diſerte dicat, profecturo per Scythiam opus eſſe ſubſidio ſeptem interpretum, ſeptemque linguarum. Hoc autem Herodo-

tus non de Scythia commemorat; iſtud tantum dicit, praeter ſtirpem, a regiis Scythis diſruptam, nullos omnino Scythas ultra Tanaim uſque ad Phalacrenum reperiri. Has regiones ſi quis peragrare velit, eum, dicit, debere aut ipſum callere ſeptem linguas, aut ſeptem interpretes ſecum ducere. Affert auctor noſter praeter Herodotum, multa alia loca e Plinio, Strabone, et aliis, unde intelligi poſſe putat, Scytharum varias fuiſſe linguas. Verum paullo accuratius illa loca conſideranti apparebit, auctores ibi non de uno populo, ſed de regionibus, pluribus diverſis populis plenis, loqui.

Verum poterant haec omnia plane ab hoc loco abeſſe, vel, ſi tamen nonnihil horum adſpergere auctor volebat, meliora e Bayeri et Beerii libris, vel potius ex Herodoto, Plinio, aliisque ſcriptoribus antiquioribus repeti.

Quemadmodum autem Ihrius nomen Scythicum latioribus, quam fieri debebat, finibus circumſcripſit, ita in ſequentibus nimis arcte Scythas concludit intra Cherſoneſum Tauricam, et regiones circa laeum Moeotidem. Argumentum, quo haec opinio nititur, ſumtum eſt ex Ammiano et Aeſchylo, tragoediarum ſcriptore. Prius vero, quam auctor hoc uberius explicet, incipit exponere de nominis origine, quod Herodotus a Scytha, alii a verbo Gothico Skjuta, quod eſt iaculator, deducunt. Neutrum ipſi placet. Scythae ſemet ipſos Σκολότυς, atque aliis etiam nominibus appellabant, nunquam Scythas, quod nomen accepere demum a Graecis, qui aliter erprimere iaculatorem non poſſunt. Hinc vocabuli origo e Graeco repeti non poteſt. Scythas in Cherſoneſo Taurica et circa Moeotidem habitaviſſe, conſtat ex antiquis ſcriptoribus. Atqui eadem loca Gothos incoluiſſe, alii e veteribus tradunt. Hinc auctor noſter colligit una cum Salmaſio, (de lingua Helleniſtica p. 368. ſeq.) Σκύθας, Γέτας, et Γοτθυς, eſſe unum eundemque populum. Adiuvat hoc argumentum hac obſervatione, ibidem repetita, Graecos, in primis autem Aeo-

les,

les, vocabulis tum appellativis, tum propriis, plerumque praepofuiſſe Σ, veluti pro μῦς, σμῦς, pro Κίμβροι dixiſſe Σκίμβροι. Poterat tamen auctor noſter cum Salmaſio tranſitum ad originem verbi explicandam pauſſo faciliorem feciſſe, ſi appoſuiſſet nomina Jutorum ſ. Gutorum, populorum Thraciae. Hos enim Aeoles Σγύθας vel Σκύθας vocarunt, et Stephanus diſerte in Thraciam ponit: Σκύθαι, ἔθνος Θρᾴκιον. Verum, quanquam haec omnia ſatis ſpecioſe diſputentur, tamen multa adhuc dubia remanent. Nam quibus Ihrius hic nititur ſcriptoribus, ii cum ſint nimis recentioris aetatis, propterea non ita multum fidei merentur. Deinde ſi vel maxime, quibus in locis Scythae fuiſſe a quibusdam ſcriptoribus dicuntur, ibidem et Gothi ſecundum alios ſcriptores habitaverunt: tamen inde non ſtatim colligi poteſt, Scythas et Gothos fuiſſe unum eundemque populum. Nam quas ſedes Gothi olim habuerunt, eas ipſas hodie Tartari Europaei tenent; nemo tamen dixerit, Gothos et Tartaros unum efficere populum. Non igitur Scythae, Geti, et Gothi, unius populi nomine comprehendi videntur poſſe. Verum his miſſis, pergamus ad alia. Narrat Busbequius in epiſtola aliqua, legatos e Taurica Cherſoneſo Conſtantinopolim miſſos, quos vidit ipſe et alloquutus eſt, uſos eſſe lingua Germanica, paucis verbis exceptis. Comparandis invicem verbis Procopicis et Ulphilaneis auctor oſtendit, verba Procopi, quae Busbequius modo Germanica, modo non Germanica putavit, pure Ulphilana, i. e. e lingua Gothica antiquiſſima eſſe repetita. Hinc cum magna veri ſpecie colligit, illos homines in media Tartaria habitantes, non eſſe Slavorum Germanicorum poſteros, ſed potius Gothorum priſcorum, quorum aliqui in Cherſoneſo Taurica habitarint, reliquias. Hoc quoque ex comparatione vocum Procopicarum et Ulphilanarum elici poteſt, codicem Argenteum, qui Upſaliae aſſervatur, non eſſe lingua Francica, ſed Gothica ſcriptum. In ſequentibus

bus enumerantur minutatim ii, qui lingua Scythica, sive, ut auctor noster vult, Getica aut Gothica usi dicuntur.

I. Geti, qui Pontum incoluerunt, a quibus Ovidius linguam Geticam didicit. Verum cum poeta *Getice Sarmaticeque* coniungat, clare patet, praeter Getas ibi quoque Sarmatas, i. e. Slavos habitavisse.

II. Daci, qui et Daae, it. Daui dicuntur. Hos Strabo aperte cum Getis coniungit, quanquam finibus disterminet. Idem etiam testatur, Dacos a Getis ortos, eadem cum illis lingua uti. Denique in Transylvania, quae fuit Daciae antiquissimae pars, hodienum, praeter colonias Saxonicas et Germanicas, quae recentioribus demum temporibus illuc immigraverunt, sunt homines, apud quos lingua Germanica usu valet.

III. Thraces. Getos vero non solos, verum etiam alios populos, in primis Slavos Thraciam incoluisse, constat ex Herodoto. Hinc, quanquam Geti et Thraces una sint eademque lingua usi, tamen non sunt unus populus.

IV. Moesii. Nam Strabo diserte dicit, Getos olim dictos Moesios, atque hos loquutos esse eandem linguam, quam Thraces. Scythas porro, una cum multis aliis populis, a se invicem discretis, in Moesia habitavisse, scimus ex Plinio. Denique tum ex Jornande et aliis, tum ex versione scripturae sacrae ab Ulphila in Moesia facta, constat, Gothorum magnam partem post tempora Constantini M. in Moesia sedes cepisse. Inde tamen nihil colligi potest, nisi hoc, praeter multos populos, quorum nomina a Plinio enumerantur, quique fortasse maximam partem fuerunt Slavi, Getos quoque et Gothos in Moesia sedes habuisse. Cum igitur Moesii nobis videantur Slavi fuisse, intelligi

simul

ſimul poteſt, quare iis Strabo communem cum Thracibus linguam tribuerit.

V. Gepidi, quos nomen accepiſſe a vocabulo *gepanta*, quod ſignificat pigrum ſ. inertem, refert Jornandes; quae etymologia nobis quidem non probatur. Ceterum hos et ipſos ad ſtirpem Scytharum pertinere, qui neget, exiſtimamus fore neminem.

VI. Alani. Hos populos Scythice ſive Gothice loquutos eſſe, auctor noſter ex Sheringhamo, atque hic ex Luciano repetiit. Addit Ihrius, Jornandem, natione Alanum, non fieri potuiſſe epiſcopum Gothorum, niſi Gothi et Alani una eademque lingua fuiſſent uſi. Quo argumento quam parum efficiatur, nemo non intelligit. Nobis quidem nondum certo conſtat, ad quam ſint populorum ſtirpem Alani referendi.

VII. Amazones. Quarum mulierum bellicoſarum hiſtoria adeo multis involuta eſt fabulis, ut difficillimum ſit, verum a fabulis diſcernere. Ceterum tamen auctor noſter hoc ſaltem vult certum eſſe, quod Jornandes refert, Amazones Gothis matrimonio iunctas, ſine dubio maritorum lingua fuiſſe uſas. Quod nobis quidem non ſic videtur; nam talis coniunctio etiam ſine linguarum uſu communi intelligi poteſt.

VIII. Langobardi, quos, profecto dubio caret, in Gothis eſſe ponendos.

IX. Cimmerii. Quos cum Plutarchus, Strabo, et Diodorus, dicant poſtea Cimbrios vocatos eſſe, inde auctor noſter colligit, linguam Gothicam apud ipſos uſu valuiſſe. Nobis contra Cimmerii plane non videntur huc pertinere.

X. Oſtrogothi, et

XI. Viſigothi.

XII. Maſſagetae, Europaei ſcilicet, qui, etſi ab Aſiaticis Maſſagetis diverſi, tamen ad unam ſtirpem pertinebant. Maſſagetae proprie ſunt Geti maiores, atque opponuntur Getis minoribus, quorum epiſcopus, Jornande auctore, fuit Ulphilas. Nomen enim ducitur a *maiza*, vocabulo Getico, quod eſt maior. A Procopio Maſſagetae diſerte Getis et Gothis annumerantur, et a Graecis iunioribus horum ipſorum populorum agnati dicuntur. Alii Maſſagetarum et Alanorum nomina ſynonyma putant. Quae de Maſſagetis dicta ſunt, ea et ipſa valent de Thuſſagetis, ſ. Thyrſagetis et Thyragetis.

XIII. Burgundii, qui pariter pertinent ad Gothos et Vandalos. Nam praeterquam quod Wachterus magnam ipſorum et Celticae linguae ſimilitudinem deprehendit, fuere quoque Burgundii populis Celticis cincti, qui et ipſi ſunt ejusdem cum Gothis originis.

XIV. Hyperborei. Hoc nomen eſt appellativum, nec modo Getis, ſed etiam Finnis et Samoiedis convenit. Diodorus aliquo loco dicit, Hyperboreos ſua quidem ipſorum uſos eſſe lingua, quae tamen et ipſa proxime acceſſerit ad linguam Atticorum et Deliorum, quos inter et Hyperboreos maxima familiaritas et amicitia interceſſit. Quam duarum linguarum ſimilitudinem auctor noſter inde putat intelligi poſſe, quod Attici Pelaſgice, i. e. Getice ſint loquuti. Veriſſime haec dicuntur. Nobis quidem res ſic videtur probabilis. Macedonia apud Graecos aliquo tempore Boreae nomen habuit. Homines igitur, qui ultra Boream habitavere, i. e. Graecorum Hyperborei, quaerendi ſunt vel in Thracia aut Moeſia, vel ad ſummum in Dacia. In illis regionibus communes ſedes habuere Scythae, Geti, Germani, Slavi, Celtae, immo adeo ipſi tempore Herodoti Graeci. Qui populi cum eſſent arctiſſime cum Atticis et Deliis coniuncti, neceſſario etiam linguarum aliqua ſimilitudo intelligi poteſt.

XV. Ba-

XV. Baſtarnae ſ. Baſternae ſ. Peucini. Quidam veterum eos ad Germanos referunt, quidam ad Celtas, Plinius denique diſerte eos, tanquam Germanicorum populorum ſpeciem, a Vandalis, i. e. Gothis, diſtinguit. Hinc igitur intelligitur, Baſtarnas proprie non eſſe Gothos, adeoque nec huc pertinere.

His ita diſputatis, in ſequentibus eodem modo de ſingulis linguis exponitur ab auctore noſtro, cuius veſtigia nos quoque preſſe ſequemur.

Lingua Celtica.

Explicat A. primum omnium latiſſimam Celtarum ſignificationem, eosque deinde veluti concludit intra fines partis Galliarum eius, quae Celtica dicitur. Linguae Celticae duae dialecti hodienum ſunt in Britannia Galliae, et in Walliae Principatu: nimirum lingua Armonica in Britannia Gallica, et Kimrica in Wallia. Has eſſe originis Scythicae, Ihrius probare nititur partim locis veterum ſcriptorum, partim Celticae linguae cum Scythicae dialectis convenientia. Verum haec duo argumenta redeunt tandem ad unum, et nil quidquam faciunt ad intelligendum id, quod auctor voluit. Nam illi veteres ſcriptores nihil afferunt, niſi hoc, tenue eſſe inter linguas Celtarum et Germanorum diſcrimen. Propter iſtam vero duarum linguarum ſimilitudinem, quis tandem dicat, alteram alterius eſſe originem? In ſequentibus auctor comparat inter ſe verba Gothica, Cimbrica, et Armorica, unde perſpicue intelligitur, inter haſce linguas intercedere omnino aliquam cognationem. Hoc tamen, quod auctor ſumit, tres iſtas linguas e Celtica proveniſſe, nondum eſt confectum. Poſtea bene refutantur ii, qui ſimilitudinem harum linguarum negant. In fine huius diſputationis adſperguntur paucula de lingua Hibernica, quam et ipſam auctor a Scythica deducit. Hinc dicit, comparationem huius cum lingua Celtica, vel etiam Gothica, non ſine fructu

fructu instituti a peritis posse. Verum cum haec quaestio egeat copiosa disputatione, non possumus hic multa in contrarium afferre. Hoc tamen certo certius est, non posse hanc linguam a Scythis repeti.

Lingua Persica.

Huius cum lingua Germanica similitudo seculo demum proxime superiore est a viris doctis animadversa. Haec tamen coniunctio non temere, nec e bellis Persarum in Europa gestis, nec e Scytharum in Asia superiore imperio, sed inde enata est, quod Scythae, Germani, et Persae, communes Magogo origines debent, quodque Gothi et Geti sine dubio iidem sunt, atque ii, qui apud Mosen Kithimi s. Ketimi vocantur, adeoque a stirpe Javani oriundi, qui auctore eodem Mose Magogi frater fuit. Est apud auctorem nostrum index satis locuples vocabulorum Persicorum et Gothicorum, unde harum linguarum convenientia intelligi perspicue potest. Quod de lingua Persica est ab Ihrio nostro expositum, id referri eodem modo ad Turcicam potest. De qua re cum habeamus Bringii libellum praestantissimum, ante aliquot demum annos editum, noluit auctor argumenti loco plura addere.

Lingua Graeca.

Auctor hic multa argumenta cumulat, quibus omnibus perspicue efficitur, linguam Graecam Suio-Gothicae, in primis vero Moeso-Gothicae, esse simillimam. Hoc apparet omnium clarissime ex indiculo, quem primo loco posuit, vocabulorum Gothicorum, quae et ipsa in lingua Graeca et Latina reperiuntur, item ex verbis numeralibus. Habet porro lingua Gothica multa vocabula, ad certum rerum genus, veluti ad consanguinitatem, rem navalem, &c. pertinentia, quae in Graeca etiam lingua reperiuntur. Eadem utriusque linguae coniunctio apparet item ex uni-

formibus

formibus quorundam verborum homonymiis, et particulis ac pronominibus, ex anomalis et idiotiſmis utrique linguae communibus. Denique et lingua Moeſogothica habet numerum dualem in verbis et quibusdam pronominibus. Unde autem iſta tam arcta utriusque linguae affinitas oriatur, auctor in ſequentibus uberius explicat. Nimirum, cauſſa partim in communi Graecorum Gothorumque origine, partim in coloniis Graecorum ad Gothos miſſis, quaerenda eſt. Ad Graecorum originem quod attinet, conſtat ex antiquis ſcriptoribus, ante Hellenum adventum, Thraces, quos ipſi Hellenes barbaros, i. e. non Hellenes, appellarunt, (in quibus inprimis Pelaſgi et Attici fuerant) Graeciam antiquiſſimis temporibus incoluiſſe. Praeter Getos vero multi etiam alii populi inter ſeſe commiſti in Thracia habitarant. Antiquiſſimi tamen Graeciae incolae ſine dubio Geti fuerant. Qui cum videantur iidem eſſe atque Kithimi ſ. Ketimi Moſis, non poſſunt cum auctore noſtro ad Scythas, ſed potius ad Javani ſtirpem referri. Eos igitur et Dodanimos, qui pariter apud Moſen commemorantur, exiſtimamus fuiſſe primos Graeciae incolas. Poſtquam autem Helles, Deucalionis filius, et Promethei nepos, adeoque natione Scytha, novam Hellenum coloniam in Graeciam adduxerat, illi primi Graeciae incolae, relictis ſedibus priſtinis, alias aliis in locis, in primis in Italia, ſedes ſibi fecerunt. Sive igitur quis noſtram, ſive auctoris celeb. ſententiam ſequi velit, intelligitur tamen ad extremum, quare lingua Graeca et Gothica, in primis Moeſogothica, tam arcte invicem cohaereant. Haec igitur utriusque linguae coniunctio neceſſario efficit, ut altera ex altera illuſtrari commode poſſit. Cuiusmodi exempla plurima et perſpicua in ipſo gloſſario reperiuntur.

Lingua Latina.

Argumenta, quibus huius cum Gothica lingua arctiſſima affinitas probatur, primo loco ponuntur, unde effici-

tur, alteri ex altera lucem affundi posse. Utriusque generis exempla multa reperiuntur, tum in aliis auctoris nostri libris, tum in hoc quoque opere pag. 26 – 28. unde intelligitur, multorum vocabulorum Latinorum radices non nisi ex lingua Gothica repeti posse. In sequentibus enumerantur caussae huius coniunctionis, quae sunt in coloniis Pelasgicis e Graecia in Italiam deductis quaerendae. Prima et antiquissima colonia sub Oenotrio ex Arcadia in Italiam migravit, unde Aborigines Italiae enati sunt. Hanc sequuta est ea, quae pulso ex Thessalia Graeco, ultimo rege Pelasgico, primum in Epirum ad Dodonaeos, (Dodanim a Mose dicuntur,) deinde in Italiam pervenit. Tertia denique colonia ab Evandro ex Arcadia in Italiam deducta est. Cum igitur similis sit Pelasgorum et Gothorum origo, facile intelligitur, similitudinem utriusque linguae veluti necessariam esse. Adduntur adhuc coloniae Germanorum, i. e. Celtarum, et Gallorum f. Celtarum qui in superiore Italia habitaverant, unde enata est similitudo utriusque linguae.

Lingua Moesogothica.

Huius reliquiae hodie extant in codice argenteo versionis scripturae sacrae ab Ulphila, sive potius Wulphila factae, qui hodie Upsaliae asservatur. Ex hoc codice intelligitur, qualis ante secula quatuordecim lingua Gothica fuerit. Quae quoniam tum quoque temporis exculta iam fuerat, Gothi ante haec tempora videntur iam rempublicam certis legibus stabilitam habuisse.

Fecit nobis Ihrius gratissimum, quod hic nonnihil de lingua Moesogothica inseruit. Habet autem tres coniugationes regulares, praeter unum verbum *Gaggan*, i. e. loqui, et in his duo tantum tempora, praesens et imperfectum, unde intelligitur linguae antiquitas. Habet porro numerum dualem, quemadmodum lingua Graeca, qui in aliis ipsius sororibus vel interiit, vel plane nunquam in usu fuit.

Declina-

Declinationum tot ſunt flexiones, quot terminationes, omniaque ita ſunt regularia, ut ex quovis caſu nominativi terminatio elici certiſſime poſſit. Adiectivorum Gothicorum terminationes ſunt duae, altera indefinita, altera definita, veluti *gods* eſt, qui Graece *ἀγαθὸς* dicitur (*gut*,) *goda, ὁ ἀγαθὸς*, (*der gute.*) Gothi porro, quemadmodum et Latini ſolent nominibus articulum praeponere, atque omnino Graeca et Gothica lingua pleraque habent inter ſe communia.

Haec de forma linguae Gothicae. Ad materiam quod attinet, lingua Gothica conſtat vocabulis Graecis, Latinis, et Slavonicis. Nam inter Gothos erant variae coloniae Graecorum. Deinde Romanorum imperium in Moeſia, ubi Gothi dialecto Moeſogothica uſi habitarant, pariter effecit aliquam linguarum commixtionem, unde interdum magna difficultas oritur, ſitne aliqua vox Graecae, aut Latinae aut Gothicae originis. Denique Gothorum magna pars inter Slavos vivebat, cum iis verſabatur, atque fortaſſe etiam bella gerebat. Nec hoc negligendum eſt, Gothos e Javani, Slavos e Madai ſtirpe ortos eſſe, quos Moſes diſerte appellat fratres. Hinc auctor noſter optat, ut vir Slavonicae linguae peritus exiſtat, qui eam cum Moeſogothica comparet, in quo genere multum praeſtitit Wachterus in diſſ. de lingua codicis argentei. Monuit tamen Ihrius in Analectis Ulphilanis, multa verba mere Gothica a Wachtero male eſſe e lingua Slavonica repetita. Pleraque tamen vocabula Gothica ſunt ipſorum, poſſuntque ope linguae Anglo Saxonicae, Alemannicae, Islandicae, aliarumque recentiorum, commode ab alienis diſcerni.

Lingua Anglo - Saxonica.

Quam Germaniae partem Gothi tenuere, in ea lingua Gothica uſu valuit. In reliquis homines vel Germanice, vel Slavonice loquebantur. Falſum igitur eſt, quod auctor

 dicit,

dicit, linguam Gothicam fuiſſe maioris Germaniae partis vernaculam. Nec hoc videtur verum, linguam Anglo-Saxonum eſſe Moeſogothicae ſororem; ſunt enim potius binae dialecti proxime inter ſe coniunctae. Comparatio linguarum Moeſogothicae, Anglo-Saxonicae, Alemannicae, Islandicaeque ſynoptica, cuius ſpecimen exhibuit Hickeſius in grammatica Anglo-Saxonica, magnae profecto utilitatis foret. Eiusmodi ſpecimen dedit etiam auctor noſter, qui duo commata Matthaei e verſione Moeſogothica et Anglo-Saxonica repetita inter ſe comparavit. Lingua Anglo-Saxonica eſt omnium reliquarum ſororum prima et antiquiſſima, multaque continet, quae in ceteris periere. Deinde primi religionis Chriſtianae doctores in regionibus ſeptentrionalibus, maximam partem ex Anglia illuc venerunt. Denique plerique epiſcopi fuere ſimul perſonae iudiciales. Hinc igitur intelligitur, quam bene conſultum eruditioni foret comparatione linguae Anglo-Saxonicae cum Sueo-Gothica, a viro harum linguarum perito inſtituenda, et quam multa verba, in primis iudicialia, atque ipſae adeo Suecorum leges, illuſtrari inde poſſent.

Lingua Alemannica, Germanica et Batava.

Quos hodie habemus libros hac lingua conſcriptos, ii ſunt e Seculo XI. et X. repetiti. Hac occaſione auctor commemorat formulam iurisiurandi inter Ludovicum et Carolum reges facti. Verum ille Carolus, qui vulgo dicitur Calvus, et Ludovicus, (Germanicus) non ſunt Caroli M. ſed Ludovici pii filii. Ceterum lingua Alemannica adeo omnibus obnititur grammatices legibus, ut Otfridus vehementer ea de re queratur. Eius rei quaedam ſpecimina etiam hic ab auctore exhibentur. Quae linguae inconſtantia utrum fit e coniunctione Germanorum cum aliis populis, an e ſedibus ipſorum ſaepius mutatis deducenda, Ihrius non audet decernere. Quanquam autem lingua

Aleman-

Alemannica non ſinat ſe intra praeceptorum grammaticorum fines concludi, tamen ope eius lingua Gothica multis modis poteſt illuſtrari. Nam proxima inter utramque linguam intercedit coniunctio. Deinde cum primos conſtet religionis Chriſtianae doctores in Suecia, veniſſe illuc partim e Britannia, partim e Germania, hinc quoque intelligi poteſt, multa vocabula Germanica in linguam Suecicam illata eſſe. Praeterea circa haec tempora lingua Germanica, quemadmodum Anglo-Saxonica et ceterae, multis et magnis obnoxia fuit immutationibus. Etenim verſionibus ſcriptorum Latinorum ad verbum factis, et textui originali ſuperimpoſitis illae linguae paullatim in formam Latinam abierunt. Hinc uſus verborum auxiliarium, ad exprimendum perfectum, plusquamperfectum, futurum, &c. quae antiquiſſimi Germani et Gothi plane ignoraverant, originem ducunt. Hinc multis vocabulis novae, atque ex linguae Latinae verbis, quae illis reſpondent, repetitae ſignificationes acceſſerunt, quas antea non habuerant. Huiusmodi vocabula aliquot ab ipſo auctore ſunt hoc loco exhibita. Immo adeo hac ipſa linguarum miſcela factum eſt, ut multa vocabula peregrina in linguam Latinam irreperent, aut priſcis vocabulis novae accederent ſignificationes, cuius generis multa exempla reperiuntur in *Cangii* Gloſſario Latinitatis medii aevi. Exemplum illuſtre ſimilitudinis, quae inter linguas Alemannicam et Suecicam intercedit, Ihrius poſuit e Lucae cap. I, v. 27 – 29. ſecundum verſionem Tatiani et Suecicam. Haec de lingua Alemannica, ſive Germanica antiquiore.

Ad recentiorem quod attinet, ea olim Suecicae ita ſimilis erat, ut altera natio ab altera intelligi commode poſſet. Quanquam autem hodie longe maius eſt inter haſce linguas diſcrimen, tamen altera ad alteram ſimilitudine proxime accedit. Auctor hanc reddit rationem, quia Seculo XIV. reges aliquot Suecici natione Germani fuerant, qui magnum

ſecum Germanorum comitatum adduxerint. Ad hominum igitur in aula viventium, linguam uſitatam compoſuiſſe ſe, magna Suecorum pars videtur. Deinde multi milites Germanici in Suecia ſtipendia meruerant, ac poſtea ibi ſedes fixerant. Denique cauſſa primaria coniunctionis utriusque linguae eſt in commercio quaerenda, quod Sueci cum civitatibus Hanſeaticis, in primis cum urbe Hamburgenſi et Lubecenſi habuerunt. His igitur de cauſſis lingua Suecica partim priſtinam puritatem amiſit, partim peregrina vocabula aſſumſit, quorum in numero auctor ponit omnia ea, quae ab *er*, *de* et *bi*, incipiunt, veluti *erſatta* (*erſetzen*,) *ertappa* (*ertappen*,) *befrynda* (*befreunden*,) *bidraga* (*beytragen*,) &c. In Idiotico Hamburgenſi, a *Richeio* edito, perpauca ſunt verba et phraſes, quae non eodem plane modo in lingua Suecica reperiantur. Quod attinet ad diſcrimen linguae Suecicae antiquiſſimae, et eius, quae hodie multum depravata uſu invaluit, illud facillime intelligi poteſt comparandis priſcis Suecorum legibus, (*Konunga Styrelſen* dicuntur, aliisque ſcriptis cum hodierna Suecorum lingua. Quam qui bene et accurate addiſcere cupiat, ei commendatur ab Ihrio ſtudium linguarum tum Alemannicae, tum Anglo-Saxonicae, de quibus praeclare meriti ſunt *Wachterus* in Gloſſario, et magnum illud totius Europae lumen et ornamentum, *Leibnitius*.

Quae huc uſque ſunt de lingua Germanica diſputata, ea poſſunt et ad Batavam commode referri. Hinc auctor noſter hoc loco eſt breviſſimus. In fine commemorat cum laude *Cornelii Kiliani Duflaei* Etymologicon linguae Teutonicae, quod tamen proprie non eſt etymologicon, ſed potius vocabularium.

Lingua Islandica.

Islandia, nono demum ſeculo reperta, maximam partem ab Norwegis culta eſt. Cumque rariſſime illuc peregrini

grini venissent, puritas linguae Norwegicae antiquioris in illis regionibus magis, quam in ipsa Norwegia, conservata est, quanquam et ipsa paullatim obnoxia aliquot mutationibus facta est. Parum tamen vel hodie lingua Islandica a Sueo - Gothica differt. Hinc colligi verosimiliter potest, quam similis altera alteri ante novem secula fuerit. Collatis inter se lingua Islandica et ea, qua codex argenteus scriptus est, animadvertit auctor arctissimam illius et huius, i. e. Moesogothicae, coniunctionem, non modo qua materiam, sed etiam qua formam. Est igitur lingua Islandica instrumentum investigandae Sueo – Gothicae paratissimum, quod auctor noster in glossario ipso multis exemplis docuit. Adspergitur hic observatio bellissima, quae nobis vehementer placuit. Poetae Islandici et Anglo Saxonici etiam utuntur genere scribendi ipsis veluti proprio, multis allegoriis ad tumorem orientalium populorum assurgentibus, verbisque nec in prosa facile obviis, nec cum ceteris dialectis linguae Gothicae coniunctis; admiscent denique carminibus suis mythologiam patriam, ex antiquissimis temporibus repetitam. Cum vero auctor ill. existimet, hoc peculiare scribendi genus poeticum, iam ab Horsa et Hengisto fuisse in Angliam delatum; nobis contra origines illius e Seculo XI. aut XII. repetendae videntur.

Finitur hic locus cum voto eruditioni utilissimo, ut vir accurata linguae Islandicae cognitione instructus, edat lexicon plenius, quam quo nunc utimur, simul quae hodie extent huius linguae praesidia, breviter commemorantur.

Lingua Franco – Gallica, Hispanica, et Italica.

Primi Franciae incolae Galli sive Celtae erant, atque in Belgio Germani sedes suas capiebant. Occasione nobilis illius populorum migrationis, Franci, Alemanni, populique stirpis Gothicae, Burgundi et Visigothi, in Franciam venerunt. Huc accedit, quod Normanni Neustriam, quae hodienum

dienum ab ipsis Normannia dicitur, invaserunt et occu paverunt. In quibusdam adeo locis lingua Danisca (sic enim appelletur interdum lingua Scandinaviorum antiquioribus annalibus Francicis,) usu invaluit. Hic diligenter tenendum est, Ulphilam evangelia Visigothice vertisse. Hinc Francorum orthographia, longissime illa a modo scribendi reliquorum Europaeorum remota, originem traxit. Hinc Franci litteras *g* et *j* cum sibilo, *ai* ut *ae*, *ou* ut *u* simplex, *au* ut *o*, pronunciare solent. Ex eodem fonte hausere articulos, verba auxiliaria, &c. Ducitur quidem verbum Francicum *avoir* ab Latino *habere*, sed personae *j' ai*, *tu as*, *il a*, quemadmodum Hispanorum *yo he*, *tu has*, *aquel ha*, sunt originis Moesogothicae, ducunturque a verbo *aigan*, cuius tres personae singularis numeri praesentis temporis ita efferuntur: *Aih*, *aihs*, *aih*. In fine ponuntur exempla vocabulorum Francicorum, quae ex Gothico explicari aut illustrari possunt. Plura huius generis vocabula in ipso glossario reperiuntur.

Ad linguam Hispanicam quod attinet, ea, quanquam similitudine propius ad linguam Latinam accedit, qnam Italica et Francica, tamen multa habet vocabula Gothicae originis, qualia ipse auctor noster hoc loco collegit. Optandum esset, ut, qui utriusque linguae peritiam habet, is per omnia vocabula eiusmodi comparationem instituat.

Lingua Italica. Primos Italiae incolas Pelasgos, i. e. Scythas fuisse, auctor celeb. existimat, quos deinde sequuti sint Celtae s. Galli. Nobis contra Celtae primi s. Galli antiquissimis temporibus, postea Pelasgi, qui tamen non sunt originis Scythicae, sed Javanicae, denique iuniores Celtae, e Gallia profecti Italiam incoluisse videntur. Ex utraque sententia efficitur, Italiam primis temporibus constitisse e nationibus proxime cum Gothis cognatis. Postea, cum multi populi sedes quaesituri, ubique terrarum vagarentur, non modo Germani, sed etiam Gothi, in primis Ostrogothi et

Lango-

Langobardi, in Italiam pervenere. Ceterum, quae hodie extant linguae Gothicae in Italica reliquiae, eae ab utriusquae linguae perito cognosci poterunt ex Originibus Italicis Ferrarii, qui tamen et ipse parum intellexit linguam Gothicam

Cur autem sit lingua *Walachica* ab auctore nostro hoc loco omissa, id quidem fatemur nos non intelligere. Est enim et ipsa cognoscendae linguae Gothicae instrumentum valde necessarium. Nam in parte Daciae antiquioris ea, quae hodie Walachia dicitur, priscis temporibus Getae habitaverunt, cum quibus postea coloniae Romanae commixtae sunt.

Lingua Finnica et Lapponica.

Hae quanquam sint unius linguae binae dialecti, tamen adeo sunt linguae Sueo-Gothicae dissimiles, ut lingua Hispanica differt ab Arabica. Possit igitur non nemo iure quodam suo quaerere, quomodo tandem fiat, ut lingua Sueo-Gothica illustrari e Finnica et Lapponica possit, cum constet, has esse ab illa plane diversas. Quemadmodum autem Arabicum cum Hispanico comparari commode potest propterea, quod Arabes per aliquod tempus imperium in Hispaniam habuerunt, ita etiam Sueo-Gothica lingua multum lucis accipit a Finnico et Lapponico, quoniam ante Odini adventum Suecia, non minus quam Russia ante Slavorum invasionem, a Finnis et Lappis, primis et antiquissimis illarum regionum incolis, tenebatur. Finni vero non sunt originis Sarmaticae aut Hunnicae, quod auctor noster statuit, nec Hunnorum nomine intelligi Hungari possunt, saltem hoc posterius nondum est plane confectum. Finnos tamen Hungarosque esse ex eadem populorum stirpe deducendos, patet e similitudine utriusque linguae, exemplisque multorum vocabulorum ab auctore collectis. Reperiuntur in lingua Finnica multa etiam vocabula Moesogothica.

Cauſſam auctor in vicinitate Hungariae et Moeſiae poſuit. Verum non eſt neceſſe, ut tam alte aſſurgamus. Dixit enim auctor ipſe in ſuperioribus, Finnos antiquiſſimis temporibus fuiſſe Sueciae incolas poſteaque ab Odino ſedibus ſuis pulſos eſſe. Hinc igitur propius quam e vicinia Hungariae et Moeſiae, intelligi aliqua linguae Finnicae et Moeſo-Gothicae ſimilitudo videtur poſſe. Ceterum, in quibusdam vocabulis ſuboritur aliqua difficultas definiendi, utrum ſint originis Finnicae, an Moeſo-Gothicae. Utrumque interdum locum habere poteſt. Cauſſa eſt in eo, quod Suecia primum omnium a Finnis incolebatur. Reperiuntur vero etiam vocabula Gothica in lingua Finnica, quod apparet inde, quia eadem verba Islandica etiam lingua habet. Hoc clare intelligitur ex indiculo vocabulorum Finnicorum, et Islandicorum, ab auctore noſtro iuxta ſe poſitorum quae eiusdem ſunt et ſoni et ſignificationis. Verum poſſint fortaſſe etiam tales linguarum ſimilitudines referri ad primam humani generis linguam. Circa finem auctor dicit, multa nomina pagorum, lacuum, fluminum, montiumque Suecica, non poſſe, niſi ex lingua Finnica et Lapponica, explicari. Quod veriſſimum eſſe intelliget, qui inquirere in eiusmodi vocabula aut poſſit, aut velit. Denique adſpergit Ihrius votum omni attentione digniſſimum, ut prodeat aliquando gloſſarium Fennonicum, profuturum illud ſine dubio linguarum illarum ſtudioſis. Nam ita intelligi ſaepe numero poſſet, quaenam verba non modo Finni a Suecis, verum etiam hi ab illis, in ſuam linguam veluti adoptarint. Haec eſt prior prooemii pars. In poſteriore auctor exponit de modo vocabulorum Sueo Gothicorum, ex aliis vel dialectis, vel linguis formatorum, in eaque re litterarum ordini inhaeret. Praemittitur ſemper certa aliqua regula, ſecundum quam litterae praeponuntur, immutantur, demuntur, vel transponuntur. Sequitur deinde magna copia vocabulorum ex hac lege factorum, quae exempli loco eſſe poterunt. Verum haec omnia tanto commdius hoc loco poſſunt omitti,

omitti, quanto fuimus in commemoranda priori parte copiosiores. Ceterum ex his, quae de prooemio sunt exposita, lectores eruditi tam bene fortasse poterunt de glossarii ipsius bonitate iudicare, ut nostra quidem commendatione egere nullo modo videatur.

ANIMADVERSIONUM AD L. I. PLATOnis de legibus. Specimen I.

Auctore

M. JO. CRRISTOPHORO GOTTLEBER,

illustris Afranei Rectore.

Etsi Platonis dialogi omnes, ob rerum gravitatem, ad cognoscendum apprime utiles sunt; e diligenti tamen eorum lectione apparet, alios aliis esse multo praestantiores. Quidam enim, disputationibus paullo abstrusioribus similiores, ad contemplativam philosophiae partem pertinent, veluti Parmenides, Timaeus, Theaetetus, Sophista, et praeclaras quidem res, naturae rerum cognoscendae accommodatas, eleganter, nec sine copia orationis, subinde illustrant, et cognitionis nostrae principia egregie investigant, veluti fit in Timaeo: at paucis, opinor, lectoribus ob rerum difficultatem, et rationem Socraticam paullo intricatiorem, probantur. Utiliores ad cognitionem sine dubio sunt dialogi, qui ad philosophiam vitae referuntur, hoc est, unde, quae prosint ad vitam sapienter instituendam, cognoscas: unde mores hominum, tanquam ipse consuetudinem et familiaritatem aliquam cum dialogorum personis contraxeris, veluti in vitae humanae speculo intueri possis; unde tibi, quod imitere, capias, et turpe factu, quod vites: ut exposuimus alio tempore de hac re, institutione peculiari, de dialogo Platonico, quam animadversionibus nostris ad Phaedonem et Alcibiadem adiunximus. Ad hoc genus igitur sine dubio re-

ferendi sunt dialogi de legibhs, quos antiquitas valde probavit, Cicero ipse imitatus est; et recentiori aetate fuerunt, etsi non admodum multi, qui rerum praestantia, differendi subtilitate et suavitate delectarentur. Quis enim non libenter audiat virum sapientem, absoluto opere de optimo reipublicae statu, disputantem de legibus? earum auctoritatem repetendam esse a Deo, earum vim referri eo, ut homines non modo formam honestatis videant, sed etiam eius sectandae mirabiles amores capiant, vitamque ad virtutis normam exigant, nec a voluptatibus vinci se patiantur? verbo, ut verae felicitatis rationes non in rebus externis, sed in se, in honestae vitae suspensas habeant. Quas disputationes excipiunt utilissimae, quo tempore, et quibus de caussis homines coeperint condere leges: quibus in locis multa e traditione veterum videntur translata in hos libros, veluti de diluvio, de morum simplicitate renascente mundo, in hominibus insigni, de crescente in dies pravitate; unde legum ferendarum necessitatem impositam esse hominibus. Non alienum erat ab instituto, differere de situ civitatis opportuno; de Dei parentumque cultu; de vi atque auctoritate legum; de animi cultu; non indulgendum esse libidinibus, abstrahendum esse animum ab iis, ne se peccatis maculet, culpamque a se in alios conferat, subeundos esse labores et pericula vitae; non consequi hanc vitam finem bonorum et votorum, sed futuram; eos vero, qui secus faciant, non colere animum. Non monendi sunt lectores, quam opportune de his rebus, ante ipsam νομοθεσίαν, hic disputaverit Plato: quid enim efficiunt leges, quamvis praestantissimae nisi animus bene sit informatus, ut obtemperet iis, et quasi facilem et patientem praebeat aurem? Leges ipsae, quae vitae humanae sapienter instituendae serviunt, post prooemium illud longe pulcherrimum, sequuntur. Exponitur deinde de magistratibus, iudicibus, legumlatoribus, earumque custodibus creandis. Pergit de rei domesticae ratione praecipere: de prima societate, quae est in con-

coniugio, et de proxima, in liberis, quorum educandorum et inſtituendorum rationem tradit. Quod ſocietatis arctiſſimum vinculum eſt religio, qua ſublata, fundamenta reipublicae et felicitatis privatae labefactantur, et ſenſim ſenſimque corruunt, adverſus impietatem graviter diſputat et poenis eam vult coerceri; quo in loco de caerimoniis et ritibus ſacris diſſerit. Non praetermittit quoque, de iudiciis, poenis, et ſuppliciis agere; in optimo quoque enim reipublicae ſtatu, eſſe qui migrent leges; item de pactis, quae latiſſime in omni vita patent. In Epinomide tandem de ſapientia diſputat, cuius conſequendae rationem atque viam eleganter monſtrat. Haec eſt forma adumbrata operis praeclari de legibus, cuius capita ſatis, opinor, demonſtrant, quanta ſit illius praeſtantia et utilitas inde ad lectores redundans. Nonne operae pretium facturi videamur, enarrandis utcunque his libris de legibus?

Antequam verba ipſa Platonis animadverſionibue noſtris, adiecta lectionis varietate, illuſtremus, breviter de ſumma et οἰκονομίας primi libri videamus. Plato, abſoluta Republica ſua, praeclare de legibus eius, ſub perſona Athenienſis hoſpitis, diſſerit, earumque ſtatim ab initio auctorem facit Deum, ut iam monui, quod principium valde ſublime eſt. Solet enim in aliis dialogis praemittere quaeſtioni propoſitae fabulam, quam vocant, dialogi, quae hic ſubſequitur. Ambulant inter proceras cupreſſos, quibus apte partes diſputantium tributae, Athenienſis hoſpes, Clinias, Cretenſis, et Megillus Lacedaemonius: in horum enim civitatibus vigebant praeſtantiſſimae Graecorum leges. Quieſcunt in pratis amoenis homines a patria celeberrimi: ob urbis auctoritatem, omnibus in rebus primas tenet Athenienſis hoſpes, ſub quo Plato latet: locus colloquii valde accommodatus, Gnoſſus, a qua urbe uſque ad templum et antrum Jovis, auctoris ſummi legum Cretenſium, diſputantes procedunt. Aetas provectior diſſerentium valde convenit rei tra-

ctandae, quo pertinet usus, rerum peritia, doctrinae severitas. Haec elegantia Platonicorum dialogorum tenenda est iuuenibus, si velint eorum pulchritudinem nosse. Disputationem orditur Atheniensis a quaestione, ad Cliniam Cretensem directa: cur leges apud Cretenses instituerint convivia, exercitationes, rationem armorum, quam causam docet legum Cretensium esse: has non omnes referendas esse ad bellicam rationem, sed, quod unicuique secum pugnandum sit, de hoc certamine, de hac victoria, unicuique esse ante omnia cogitandum: maximam victoriam esse, se ipsum vincere, a vitiis autem superari, omnium turpissimum esse. Qua praeclara disputatione docet, legislatoris consilium, et praecipuam curam hanc esse debere, ut rationem atque normam suppeditet, qua pravitas coerceri, et virtus hominibus ingenerari possit: hoc condendarum legum consilium esse debere, ne cives res novas moliantur in civitatibus, his obviam eundum esse legibus: animum legislatoris autem non dirigendum ad externa bella. Seditiones atque tumultus, ad bellorum genus periculosissimum pertinere. Demonstrata itaque hac sententia, legum latori respiciendum esse ad virtutem solam, praeclare docet Plato: leges non ad aliquam virtutis partem, veluti fortitudinem, referendas esse, sed ad virtutem, quam latissime eius pateat ratio; quod egregie dictum Platonis quoque laudat Aristoteles (de Rep. II, 9. p. m. 198. Casaub) Quibus recte disputatis, obiter duobus bonorum generibus, divinis atque humanis, constitutis, demonstrat: quatuor virtutum, prudentiae, modestiae, et iustitiae, fortitudinem esse minimam. Debent hanc virtutis descriptionem Graeci Persis, ut hoc in transitu moneam, apud quos omnis honestae liberalisque institutionis fundamentum; fuere hae quatuor virtutes ut docet Plato in Alcibiade priori (p. 222. Bas. 2.) quas et Cicero, secutus Platonem, principia omnium officiorum esse voluit, ut satis notum est. Haec dicta, ut, unde deflexit paullisper oratio, revertatur, transferuntur, ad Lacedaemoniorum et Cretensium

leges

leges, et praeclare de vera fortitudinis vi atque potestate differitur, quam contineri ait, non tam in dolorum perpeſſionibus, quam in voluptatibus deprimendis. Qua re explicata, urbane admodum reprehendit quaedam Lacedaemoniorum instituta. Quid enim elegantius est illo sermone: „Si quis in patriis domesticisque legibus aliquid reprehenderit, investigandae veritatis, atque rei optimae inveniendae studio, hoc aequo animo esse ferendum? Honesta sane oratio, et digna, quam nostra aetas praefixam sibi animo habeat. Legislatorem igitur Lacedaemoniorum imperasse quidem, ut homines abstinerent a voluptatibus et ludicris factis, sed ne permisisse quidem eum, ut eas gustarent: hoc longe secus fuisse in doloribus perferendis, hos subeundos praecepisse, ut consuescerent, maximis se obiicere periculis, ne iis succumberent. Rudes itaque voluptatum, iis contemnendis impares futuros: hoc enim accidere iis, qui perferendis laboribus, doloribusque, minime sint exercitati. Quid consequatur ex conviviis, et exercitationibus communibus, subtiliter deinde docet. Συσσίτια quidem non plane improbanda, sed cautiones multas adhibendas esse; seditionibus enim, et turpissimam παιδεραστίαν inde nasci. Quibus rebus expositis, Megillus quidem Lycurgum suum defendit, viam ad voluptates legibus esse praeclusam: ebrios homines gravissime, nulla temporis ratione habita puniri, nec rempublicam suam similem Atheniensi, quae interdum tota sit ebria. Hac opportunitate usus Plato, de ebrietate multa egregie disputat, qua homines, ad res perficiendas ineptos reddi, pronunciat. Fieri tamen posse si compotationes recte instituantur, et certis limitibus circumscribantur, bona educatione antegressa, ut disciplina honesta accedente, voluptatum lenae debellari possint. Inde viros bonos evadere, qui legibus, virtutis viam monstrantibus obtemperent. Legislatoris autem esse, ut, investigata popularium suorum, et omnino hominum natura, leges suas illi accommodet: quod pulchre quoque repetit Aristoteles Lib. II. de Rep. pag. 192.

192. et Montesquieu, in libro illo praeclaro, de caussis legum, v. c. Lib. XIX. 21. pag. 533. et aliis locis Vini usu, addit Plato, operta recludi, et mores cuiusque explorari posse: omnino autem ebrietatem reipublicae noxiam esse. Haec est fere summa, et totius dialogi tenor.

Praemissa legum Platonicarum summa, nunc quibus usi simus, in animadversionibus his scribendis, subsidiis, paucis indicabimus. Consuluimus veteres editiones omnes, veluti Aldinam, quae prodiit Venetiis 1513. Basileensem priorem, Joannis Valderi 1534. et alteram Basileensem, Joannis Petri 1556. Stephanianam, cuius recensionem secuti sumus, Parisiis 1578. impressam, et cuius usuram nobis dedit liberalitas summa *Perillustris FRITSCHII, Electoris Saxoniae*, in Consilio Sanctiori, quo suam regit Saxoniam, Amici. Non neglexinus quoque inspicere Laemarianam, Lugduni 1590. editam, nec non Francofurtanam, impensis Marnii adornatam A. 1602. utramque cum Ficiniana versione, multis locis emendata, instructam. Sed et ipsam versionem Ficini, quae prodiit Venetiis 1541. oculis usurpavimus, e codd. MSt. confectam, cuius usus est aliquis in crisi. Excerpsimus quoque loca plurima ad hunc Lib. I. ex Eusebii Praeparatione Evangelica, a Fr. Vigero, Colon. 1586. cum animadversionibus publicata, et ex Eclogis Stobaeanis. Ex his libris omnibus varietatem lectionis concinnavimus.

Πλάτωνος νόμων,] sic laudat hos de legibus, dialogos, Aristotel. de Rep. II, 9. p. 198. Casaub. *Πλάτων ἐν τοῖς νόμοις.* Ita quoque Strab. Lib. X. p. 459. Bas. Laert. III. 35. *νόμοι ἢ περὶ νομοθεσίας.* v. ib. p. 78. Menag. Euseb. Praep. Eu. Lib. XII, 16. *ἀπὸ τȣ πρώτȣ τῶν νόμων Πλάτωνος*, et alibi. Moeris s. v. *συγγενητεαιν. Πλάτων ἐν νόμοις.* Cic. de legg. I, 5. „ut ille Cretensis Clinias cum Lacedaemonio Megillo — de institutis rerum publicarum, ac *de optimis legibus* disputat. Id. Lib. II, 6. „Plato, qui princeps, de

de Rep. conscripsit, idemque separatim *de legibus* eius. Lib. II, 27. video Platonem idem fecisse, ' omnemque rationem *de legibus* peroratam esse uno aestivo die. Quod tam breve tempus, his dialogis impensum dicitur; in eo reprehendit Platonem Castelvetrius, v. Fabr. B. G. Lib. III. pag. 25. Platonis libros de legibus examinat Aristotel. Lib. II. Reip. c. 6. p. 191. „Libri de legibus maxima ex parte leges sunt. Plutarch. Tom. II. p. 328. „pauci leges Platonis legunt. Athenaeus (Lib. VI. p. 508.) Platonem carpit, quod leges hominibus, quales mente et cogitatione sit complexus, scripserit. Senec. ep. XCIV. non probat, quod Platonis legibus adiecta principia sunt.

Θεὸς,] ter hic repetitur nomen Dei. Festive Ficinus suo more in argumento ad Libr. I. p. 266. „*tres hic disputant fundatores legum, singulique divino indigent patrocinio. Tres quoque imitantur auctores legum, Minoem, Lycurgum, et Solonem. Qui et leges in tria numina retulerunt, Jovem, Apollinem, et Minervam: neque id quidem iniuria. Sol enim planetarum dominus, potentiam, Jupiter clementiam, Minerva sapientiam continet.*" Merae argutiae, quae sapiunt cabbalam Judaeorum. Legem, cum Platone, repetit a Deo Cic. de legg. I. 7. sq. II. 4.

Παρ' ἡμῖν p. 624.] Steph. in not. ad h. l. (pag. 28.) ὑμῖν] *legitur etiam ἡμῖν. Sed rectius ὑμῖν, quod hic sonat vestro iudicio.* Nescio, unde lectionem ὑμῖν hauserit Stephanus, et cur eam vulgatae praeferat, quam tuetur quoque Ficini versio: *apud nos.* Nec deserendam eam putem: exempla addenda fuissent, ubi παρ' ὑμῖν significat, *vestro iudicio.*

παρὰ τὲ Λακεδαιμονίοις] Ald. Bas. 1. et 2. Lugd. et Francof. habent δὲ. Ficinus quoque sic legit in suis libris: apud Lacedaemonios *autem.* Rectius sine dubio.

Φάναι] Steph. vult suppleri ἂν, vel ante, vel post Φάναι, ut significare possit *dicturos esse.*

Uuu 'Απέλ-

'Απόλλωνα] Lycurgum ab Apolline edoctum esse leges, v. Euseb. Praep. Evang. Lib. V. p. 224. ubi Pythiae oraculum, Lycurgo editum:

Tu modo nostra subis in pinguia templa, Lycurge,
Omnibus o superis, superum o carissime Patri.
Te divumne, hominemve vocent oracula nostra,
Ambigimus: divum, ut spes est, dixisse licebit,
Aequa tuis nos iura rogas; damus illa libenter.

Καθ' Ὅμηρον λέγεις] locus exstat Od. V. v. 178. quos versus quoque laudavit Stobaeus in Eclog. p. 292.

— — ἔνθα γε Μίνως, (in Hom. editt est τε)
'Εννέωρος βασίλευε, Διὸς μεγάλε ὀαριστής. — —

Plato explicat ἐννέωρος verbis δι' ἐνάτε ἔτες: cf. Minoem p. 509. Bas. 2. ad quem locum respexit Pseudodidymus ad Hom. l. c. ἡ δὲ ἱστορία παρὰ Πλάτωνι.

Τε Μίνω] eius genus v. apud Hom. Od. V. 450. cf. Stob. eclog. p. 292. Eius mores fuisse dicuntur paullo severiores, et vitia tyrannica: v. Minoem p. 509. ubi Plato vocat eum ἄγριόν τινα καὶ χαλεπὸν καὶ ἄδικον. Unde h. l. Rhadamanthus modo vir iustissimus dicitur: cf. Strab. L. X. 458. Plutarch. in Thes. p. m. 7.

δι' ἐνάτε ἔτες] In interpretatione horum verborum discrepant cum veteres, tum recentiores enarratores. Pseudodidymus ad Hom. Od. T. v. 178. varias explicationes verbi ἐννέωρος laudat; cf. Eustathium ad Od. T. p. 690. Francof. item Strabonem X. 458. ὁ Μίνως δι' ἐννέα ἐτῶν ἀναβαίνων ἐπὶ τὸ τε Διὸς ἄντρον, ad quem locum Strabon. respexit Eust. ad P. T. Od. 690. Francof. cf. Stob p. 292. Casaub. ad Strab. X. p. 730. eos irridet, qui cum veteribus Grammaticis ἐννέωρος per novem annos explicent. Verba Platonis igitur interpretatur: *nono quoque anno.* Ficinus vertit: *per novennium.* Sed accuratior, et linguae legibus convenientior mihi videtur Casaub. interpretatio. Τὸ διὰ enim significat *post*:

Aelian.

Aelian. V. H. L. XIII, 42. δι' ἐτῶν τριάκοντα καὶ τριακοσίων; ubi v. Perizon p. 919. Gron. qui exemplis rem illustravit. Verba, δι' ἔτȢς praeterea notant totum annum. — Hesych. δι' ἔτȢς h. e. δι' ὅλȢ ἔτȢς. Sic enim legendum, non διέτης. Vid. Intt. et inprimis Valkenar. ad Herod. VI. p. 443. Verba δι' ἐννάτȢ ἔτȢς itaque significant, Minoem ad patrem, post exortum nonum annum, secessisse, eumque integrum apud eum egisse. Miror, Ficinum et Serranum non accuratius inspexisse locum in Minoe p. 319. et 509. Bas. 2. ubi variat Plato orationem, ἐννάτῳ ἔτει: quae verba non vertenda, si quid video, *per novem annos*; sed quae consequuntur rem conficere videntur, ἐφοίτα δι' ἐννάτȢ ἔτȢς εἰς τὸ τȢ̃ Διὸς ἄντρον ὁ Μίνως, τὰ μὲν μαθησόμενος, τὰ δὲ ἀποδειξόμενος, ἃ τῇ προτέρᾳ ἐνναετηρίδι παρὰ τȢ̃ Διὸς: ubi supplendum ἔμαθε, aut simile quid; ut iam notavit Steph. in margine. Serranus misere hunc locum vertit: „Frequentabat itaque *per novem annos* Jovis antrum Minos, ut a Jove ea disceret, quae post novenne illud spatium caeteros doceret ipse. Ficinus: „Minos annos novem in Jovis antrum erudiendus accessit. Unde et didicit, et docuit idem caeteros, quae ab Jove *novem* annis acceperat. Omiserunt interpretari v. τῇ προτέρᾳ. Unde liquet Minoem docuisse alios, quae superiore colloquio, nono anno quoque instituto, didicerat a patre. Ἐνναετηρὶς, ex analogia linguae quidem est annorum novem spatium; sed usus fert, ut significet rem nono anno quoque susceptam, ut sit h. l. oolloquium superiori nono anno, scil periodi novenariae illius, habitum cum Jove. Sic apud Plut. in Quaest. Gr. T. II. p. 293. ἐνναετηρὶς significat festum diem, nono quoque anno celebratum. Davisius quidem ad Cic Tusc. II. 13. p. 135. Ficini versionem tuetur, et ad confirmandam eam laudat Herod. II. 62. δι' ἑνδεκάτȢ ἔτȢς — *redierunt undecimo anno exacto*. Qui locus facit potius pro nobis. Nam similis nostro est, δι' ἐννάτȢ ἔτȢς Si autem pro Ficini interpretatione aliquid faceret, vertendus esset, *per undecim annos*, quod est ἀπροσδιόνυσον. Valerius M. Lib. I. c. II. 1. extr. nostrae expl. favet, nam Minoem, ait, *nono quoque anno*, in quod-

Uuu 2 dam

dam praealtum ſpecus ſecedere ſolere. — Strabonis locus, et qui eſt apud Stobaeum, interpretationi noſtrae non adverſatur. Nam δι' ἐννέα ἐτῶν quoque ſignificat nono quoque anno, ut apparet ex Plutarchi loco laudato, qui ἐνναετηρίδα paullo poſt verbis, δι' ἐννέα ἐτῶν, commutavit, quae et Xylander recte vertit, *nono quoque anno.*

Παῤ ἐκείνου Φήμας] h. e. oracula, reſponſa. Sic apud Eurip. in Ion v. 179. cf. Spanh. ad Jul. Cæſ. p. m. 39. Heuſing.

ταῖς πόλεσιν ὑμῖν.] Legendum quis putet ὑμῶν. Sed loquitur ſic Plato hoc ipſo libro p. 634. ὑμῖν ἀμφοτέραις ταῖς πόλεσιν: it. p. 638. ἡμῖν πόλεσι δυοῖν.

Θέντες τοὺς νόμους] activum hic neceſſarium eſt, ex mente Kuſteri, de V. M. p. 85. Ita in Minoe, p 510. Baſ. 2. νόμους τούτους ἔθηκε. Dicitur proprie legislator θεῖναι νόμον. Sed parum conſtantes antiquiſſimi ſcriptores, v. c. Herod. I, 29. Σόλον ἀπεδήμησε — ἵνα δὴ μή τινα τῶν νόμων — ἀναγκασθῇ λῦσαι, τῶν ἔθετο. — Et ſubinde, ut alio loco demonſtravi.

Ἀδελφόν γε αὐτοῦ] vid. Hom. Il. ξ. 311. Jupiter ibi:

— — Φοίνικος κούρης,

ἣ τέκε μοι Μίνω τε καὶ ἀντίθεον Ῥαδάμανθυν: cf. Strab. Lib. X. p. 458. Minoem p 509.

Ἐκ τοῦ τότε διανέμειν — δίκας.] Unde Cicero Lib. I. Off. 5. de iuſtitia: „aut in hominum ſocietate tuenda, tribuendoque ſuum cuique verſatur. —

Ἐπειδὴ δὲ.] Baſ. 2. et Francofurt. τε male.

ἤθεσι τέτραφθε] v. Strab. Lib. X. p. 459. ubi Plato de legg. laudatur.

Ἅμα κατὰ τὴν πορείαν] Stephanus malit: καὶ τὴν πορείαν. Ficinus in libris ſuis vulgatam habuit: ſpero nobis non iniucundum fore, *ſi inter eundum* de conſtituendis civitatibus ac legibus diſſeramus. Non neceſſariam hic correctionem putem.

Πάντως δή γε] Stephanus, Πάντως δ' ἤγε — ὁδός: elegantior et vere.

Διὸς ἄντρον] v. Strab. Lib. X p. 458. 464.

Κυπα-

Κυπαρίττων — ἐν τοῖς ἄλσεσι] v. Cic. Lib. I. de leg. 5. qui totum hunc Platonis locum ante oculos habuit: „Visne igitur, ut ille Crete cum Clinia, et cum Lacedaemonio Megillo, aestivo, quemadmodum describit, die, in cupressetis Gnosiorum, et spatiis sylvestribus, crebro (πυκνὰ) insistens, interdum acquiescens, de institutis rerum publicarum, ac de optimis legibus disputat. — Similis huic elegantia est in Phaedro (p. 196.) ubi est platanus, cum aquula pellucida, et murmure grata, ex Homero (Il. γ. 301.) desumta. Hic variat orationem, et cupressos substituit arbores suavissimas. Cupressus enim est εὐώδης, v. Hom. Odys. E. 64. Cicero vero populos, l. c. *sic nos inter procerissimas populos, in viridi opacaque ripa inambulantes.* — Ex eiusmodi locis petere possunt elegantiae studiosi imitandi rationem.

Ἐν δισιν] merito suspectum Stephano, pro ἐν δὶς, ut paullo post, δρόμοισι, quae ratio poetis relinquenda.

Ἰδόντες δὲ] deest τὸ δὲ in Ald. Bas. 1. et 2. Sed est in Lugdun. atque Francof. Ficini libri quoque habuerunt: verum *haec magis affirmabimus cum viderimus.*

Κρήτης φύσιν] de Creta insula montana, v. Hom Od. T. v. 172. Strabo, X. 457. Laudat hanc insulam Aristot. de Rep. Lib. II. 10 p. 199 cf. Virg. Aen. III. 104. et Meurs. de Creta.

Πεδιὰς] scriptura huius vocis duplex est: in Bas. 1. 2. et Lugd. est πεδιειάς, in Hesychio Albertiano quoque: πεδειάδα γῆν. Analogia linguae proprie postulat πεδιὰς.

δρόμοισι δὲ] Bas. 2. τὲ, quae permutatio saepius occurrit in Bas. 2.

πρὸς τὸν πόλεμον] deest art. in Lugd.

ξυσσίτια] dicebantur etiam φιδίτια et ἄνδρια; v. Arist. de Rep. II p. 198. 199. qui vituperat συσσίτια Lacedaemoniorum, quod non sint publico sumtu facta, ut in Creta: cf. p. 192. et Strabon. Lib. X. 482.

φυλακῆς αὐτῶν] Ald Bas. 1 et 2. αὐτῶν, ut frequenter.

ἦν γὰρ καλῶσιν] Hanc ῥῆσιν habet Stobaeus, Serm. XLVI. pag. 357.

καὶ σχεδὸν ἀνευρήσεις.] Stobaeus: ἂν εὑρήσεις.

συνετάξατο] Stob. ξυνετάξατο, quod est Ἀττικώτερον.

τῶν ἄλλων ἐδενὸς ἐδὲν ὄφελος ὂν] notandi hic sunt Accusativi absoluti, pro Genit. quibus utuntur Attici saepius, ut Graece doctis notum: v. Ven. Ernest. ad Xenoph. Mem. I. 3. et quos laudat.

Πάντα — ἀγαθὰ — γίγνεσθαι] Stephanus malit γίγνεται; sic orationis series certe postulat: aut subaudiri φιλεῖ, εἴωθε. Correctione non opus est, quod apud Platonem plures sunt anacoluthiae, quae non corrigendae, ut Fischerus V. C. exemplis, ad Platonis Eutyphr. 4. Apol. 23. et Theaet. 13. demonstravit: cf. Ven. Ernesti ad Xeneph. I. 4. p. 41. Ficinus vertit, tanquam in suis libris scriptum fuisset, πάντα ἀγαθὰ νικώντων γιγνόμενα, pro ὡς πάντων γιγνομένων, *cum omnia bona eorum, qui victi sint, ad victores illico transeant.* Sic ἀναλύει Stephanus quoque h. locum, tanquam sic scriptum sit; sine dubio ex Ficini versione. Potuisset sic scribere Plato: sed simplicissimum videtur, ut dicamus, Platonem, quasi sui oblitum, duplicem verborum structuram adhibuisse.

Φράζε, ἔτι σαφέστερον] Aldin. et Bas. 1. ἐπισαφέστερον. Reliquae edit. vet consentiunt cum Steph.

εἶμαι τὲ] Ald δὲ.

πότερον ἂν] Ald. Bas. 1. et 2. πότερ' ἂν. Sed Lugd. et Francof. Steph. lectionem habent.

Αὐτῷ δὲ πρὸς αὐτὸν] Ald. Bas. 1. et 2. αὐτὸν. Euseb. Praep. Evan. XII. 27. apud quem hic locus exstat, legit ἑαυτόν.

ὦ ξένε Ἀθηναῖε] Ludit hic Plato in Ἀθηναῖος et Ἀττικός. Maior laus latet in Ἀθηναῖος, ut contexta docent, quod derivatur ab Ἀθηνᾶ, Minerva. Prudentem itaque vult eum observare. Non enim ait, Atticum te velim nuncupare, nam deae appellatione (Minervae) dignus videris. Ἀττικὲς esse eos, qui elegantiam et doctrinam Atheniensium calleant, etiamsi non sint Athenienses, vel Atticus Cornelianus docet.

ῥᾷον ἀνευρήσεις] Eusebius ἂν εὑρήσεις.

καὶ ἰδίᾳ ἑκάστε; αὐτὲς] Stephanus in margine notat: legitur etiam ἰδίᾳ ἑκάστες, καὶ αὐτὲς. — quam lectionem in vett. editt. non inveni. Forte ex Ficini versione: *hostes*

vi-

videlicet omnes omnibus esse, tam publice, quam privatim: et singulos sibi ipsis. Ubi tamen vedetur. Ficinus legisse καὶ αὐτοὺς. Forte τὸ καὶ excidit ante ἑκάστους. Caeterum ad hunc locum respexit Themistius orat. X. p. 229.

ὁ τὲ ἥττων] Baſ. 2. δὲ cum Aldina. Frequens illud, τὰ μὲν, τὰ δὲ. — Praeferendum itaque δὲ putem.

ἐν αὑταῖς] Aldina, Baſ. 1. 2. αὐταῖς. At Lugdun. et Francof. αὑταῖς.

τὴν δ' ἥττω] ita Aldin. Lugd. Baſ. 1. Francof. At Baſ. 2. τὴν δὲ ἥττω.

τὸ μὲν τόνυν.] Eleganter Stephanus coniicit, τὸ μέντοι νῦν. Haud dubie, praeeunte versione Ficini: „Sed utrum, quod peius est, — *ad praesens* praetermittatur.

ὥς ποτε] Steph. malit ex vet. εἴ ποτε — et deleri ante ὅταν, τὸ καὶ.

ἡ πόλις αὐτῆς.] ut sollemne, αὑτῆς, in Ald. Baſ. 1. 2.

τοὺς πλείστους] Steph in margine: legitur etiam πλεῖους. Scilicet ex Ficini versione: „plures eorum iniusti erunt. Sed πλείστους a Platone profectum videtur. Fieri potuit potius, oscitantia librariorum, πλεῖους ex τῷ πλείστους, quam vice versa.

Κείνως] pro ἐκείνως, ut alibi, etsi poetis familiarius τὸ κείνως.

Πολιτικὸς] Stephan. monet, hoc verbum ex vet. exemplari sumtum esse. Respexisse opinor eum ad Ficini versionem, qui locum sic vertit: nec *civilis* revera unquam vir erit. — Aldina vero Baſ. 1. et 2. πολεμικὸς. Cum Stephaniana consentiunt Lugdunensis atque Francofurtana. Sed lectio veterum editionum, praeferenda lectioni Steph. exempli videtur, ut contexta docent. Plato ait: „Si quis de reip. aut privatorum hominum statu bene feliciterque constituendo, rationes hoc modo inierit, neque is militaris rei peritus (πολεμικὸς) rite appelletur, qui solummodo et inprimis rationem habeat bellorum externorum. Unde intelligitur, non πολιτικοῦ esse hoc facere sed potius πολεμικοῦ. Post ὀρθῶς, cum Steph. incisum ponendum puto quod in Steph. post γένοιτο reperitur, in vett. editt. vero plane nullum exstat.

Οὔτ'

Οὔτ' ἂν μνησταίμην] Hic Tyrtaei locus reperitur quoque apud Stob. Serm. XLIX. p. 357. apud quem legitur τιθείην pro τιθείμην; ſic edidit verſum Klotzius, in ſua Tyrtaei editione. Sed melior lectio videtur τιθείμην, quae eſt apud Platonem; Graeci enim dicunt ἐν λόγῳ τίθεσθαι, non τιθέναι, pro quo et dicunt ἄγειν: v. Valken. ad Herod. II. p. 172. οὔτ' ἐν λόγῳ ἄνδρα τιθείμην, h. e. virum deſpicatui haberem, vel, ut Klotzius interpretatur: nullam rationem habuerim — qui multa de hac loquendi forma congeſſit, pag. 69.

οἳ μὴ τολμήσουσιν μὲν ὁρᾶν] hi bini verſus apud Tyrtaeum Klotzii (p. 66.) ſic leguntur:

Εἰ μὴ τετλαίη μὲν ὁρῶν φόνον αἱματόεντα
Καὶ δηίων ὀρέγοιτ' ἐγγύθεν ἱστάμενος.

Ex comparatione verſuum apud Platonem et Stobaeum apparet, Platonem accommodaſſe verſus Tyrtaei ad ſuam orationem, ut facere ſolet cum verſibus Homeri et aliorum, veluti in Alcibiade ſecundo: v. Animadverſ. ad Phaedon. et Alcibiad. p. 124. Particula μὲν redundat ob leges metri, et ὁρῶν legitur in Tyrtaeo, pro ὁρᾶν, noto graeciſmo: v. Klotzium p. 80. Mutabat vero Plato τὸ ὁρῶν in ὁρᾶν, quod participium in ſingulari nunc non locum habere poterat, propter ſuperiora verba, quae orationi ſuae aptaverat. Unde ὀρέγοιντο et ἱστάμενοι apud Platonem, pro ſingulari ſequuntur. Unde liquet, temere facturum illum, qui verba Tyrtaei ad Platonem refingere velit.

οὐκοῦν τὰ μετὰ] Exſtat hic locus apud Euſebium de Praep. Evang. XII. 2. p. 574. Stephanus malit hic οὔκουν. Sed haec hactenus.

NOVA ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiae

Calendis Decembris Anno MDCCLXXI.

DISQUISITIONES DE CALCULO INTEGRALI.

Auctore

LA PLACE.

I.

Omnes cuiusvis aequationis differentialis solutiones in ipsius integrali completo contineri putabantur ante celeberrimum Eulerum determinando nempe certo quodam modo constantes arbitrarias ab integratione natas. Demonstravit autem magnus hic Geometer, saepenumero diversas, et ab his prorsus alienas reperiri solutiones, deditque insuper methodum in Tomo I. sui Calculi integralis, ad secernendum, utrum solutio particularis contineatur nec ne in integrali completo, ignoto etiam hoc integrali; quae methodus etsi ingeniosissima, duo tamen habet incommoda: primo enim, f: $\varphi\ (x,\ y) = o$, sit solutio quaedam particularis, exigit, ut y per x, eruatur, quod saepius est impossibile; secundo, ad aequationes differentiales secundi, et superiorum ordinum, aut quae tres vel plures variabiles involvunt, extendi posse non videtur.

Cum haec analyseos pars maxime sit utilis, eam hic de novo consideravi, et methodum directam adinveni, quaeque ad aequationes differentiales cuiusvis gradus, et quicunque sit variabilium numerus, sese extendit.

Notandum est vero, has solutiones particulares aeque problematibus quae ad aequationes differentiales propositas deducunt, ac eae quae in integrali completo continentur; satisfacere, unde harum non minus, quam integralis completi determinatio necessaria videtur, ita ut materia haec quasi supplementum Calculi integralis spectari possit. Ista consideratio me impulit ad quaerendam methodum has omnes solutiones determinandi, quod semel cognito integrali completo praestari potest. Inveni igitur regulam ad omnes gradus sese extendentem, parum ab haec diversam, quam deinceps traditam esse longe alia via in suo integrali Calculo, ab illustrissimo Marchione de Condercet deprehendi. Ulterius vero de his meditatus, perveni ad methodum generalem, et a cognitione integralis completi prorsus independentem, qua possunt determinari omnes aequationis differentialis solutiones particulares, in integrali completo non contentas. Ecce nunc meas hac de re disquisitiones, quales sese menti obtulerunt.

II.

Solutio particularis est quilibet modus satisfaciendi aequationi differentiali; integrale vero particulare est quaelibet solutio particularis, quae praeterea in integrali completo continetur.


Hic non agemus de solutionibus particularibus, quae proveniunt aequando nihilo factorem, qui aequationem differentialem multiplicat. Sit v. g. $\mu R dx = S \mu dy$, posito $\mu = o$, evanescet aequatio differentialis; sed haec solutionum species, quae aliunde facillime determinari possunt, non erit praesentis disquisitionis obiectum.

III. Sit

III.

Sit aequatio differentialis, $dy\sqrt{aa - xx - yy} = xdx + ydy$ (1), huic satisfacit aequatio $xx + yy = aa$ (2); est vero integrale completum, $Y = C - \sqrt{aa - xx - yy}$ (3); et quocunque modo determinetur constans arbitraria, C, nunquam integrale istud reduci potest ad aequationem $xx + yy = aa$; est igitur postrema haec aequatio solutio particularis aequationis (1), quae non in integrali completo continetur. Hoc posito

Circulus, $ALMB$, centro, C, et radio $= a$, describatur; sit praeterea abscissa $CQ = x$, et ordinata $QL = y$, $Cp = b$ erit $pM = \sqrt{aa - bb}$,



iam determinetur constans arbitraria, C, aequationis (3), ita ut supponendo $x = b$, fit $y = \sqrt{aa - bb}$, ex quo fit $C = \sqrt{aa - bb}$, et describatur curva MH, mediante aequatione $y = \sqrt{aa - bb} - \sqrt{aa - xx - yy}$, posita origine abscissarum in C; haec curva et circulus, AMB, eamdem habent applicatam in puncto p, et applicata sequens infinite proxima pariter eadem est in utraque curva, ac proinde tangentem in isto puncto communem habent ambae curvae, est enim hoc in puncto $dy = \frac{xdx}{\sqrt{aa - xx - yy} - y} = -\frac{xdx}{y}$. Cum ve-

ro aequatio $xx + yy = aa$, non ſit integrale particulare aequationis differentialis (1), curvae MH, et ML, neceſſario ſunt diverſae; ſi ergo ſumatur punctum Q, proximum puncto p, ambae applicatae, QL et QH, erunt diverſae: porro ſi ſupponatur, $QP = ndx$, exiſtente n, numero infinito, et $pQ = y$, erit

$$HQ = y + \frac{n}{1} . dy + \frac{n.\overline{n-1}}{1.2} ddy + \frac{n.\overline{n-1}.\overline{n-2}}{1.2.3} . d^3y + \&c.$$

et ſi reſpective ad curvam, AM, variabilis y, et ipſius differentiae dy, ddy &c. per y', dy' &c. denotentur, erit ſimiliter

$$LQ = y' + \frac{n}{1} dy' + \frac{n.\overline{n-1}}{1.2} ddy' + \frac{n.\overline{n-1}.\overline{n-2}}{1.2.3} . d^3y' + \&c.$$

Cum vero ex hypotheſi, LQ differat ab HQ, vel y differt ab y', vel dy, a dy', vel ddy, a ddy', &c. Sed ex conſtructione eſt $y = y'$, $dy = dy'$; eſt igitur aut ddy, diverſum a ddy', aut d^3y, a d^3y' &c. Differentietur nunc ſucceſſive aequatio (1), quam generaliter per hanc $dy = pdx$, repraeſento, exiſtente p, functione variabilium, x et y, et ſit $ddy = Ldx^2 + Qdxdy$ (ſuppoſito dx conſtante) $= dx^2 [L + Qp]$, vel $ddy = Vdx^2$, ſit pariter $d^3y = V'dx^3$, $d^4y = V''dx^4$ &c. Differentietur etiam aequatio (2), quam generaliter per hanc $\zeta = o$ repraeſento, exiſtente ζ functione x et y ſitque

$ddy = Ndx^2$
$d^3y = N'dx^3$
$d^4y = N''dx^4$
&c.

aequa-

aequatio $\zeta = o$ erit integrale particulare, si hac posita evanescant quantitates, $N - V$, $N' - V'$, $N'' - V''$ &c. quod si non eveniat, $\zeta = o$, solutio erit particularis, quae nullo modo in integrali completo contineri potest.

IV.

En igitur methodum generalem, ad dignoscendum, utrum solutio particularis $\zeta = o$, contineatur nec ne in integrali completo aequationis $dy = p\,dx$, ad quod praestandum, nullo modo necessarium est determinare y per x, in aequatione $\zeta = o$.

Regula a celeberrimo Eulero tradita casus est nostrae duntaxat particularis, et ex ea sic facillime deduci potest. Supponatur, aequationem $y = \chi$. Solutionem esse particularem aequationis $dy = p\,dx$ (4), existente χ functione variabili. Sit $y - \chi = \zeta$, est igitur $dy = d\zeta + d\chi$, et aequatio (4) dat $d\zeta = p'\,dx$, existente p' functione x et ζ: at cum supponendo $\zeta = o$, evanescat $d\zeta - p'\,dx$, erit per seriem ascendentem $d\zeta = dx\,[S\zeta^{\mu} + S'\zeta^{\mu'} + \&c.]$ et μ numerus erit positivus; differentiando igitur obtinebitur


$$dd\zeta = dx^2\,[T\zeta_{\mu} + T'\zeta^{\mu'} + \&c.]$$
$$+ dx\,d\zeta\,[\mu S\zeta^{\mu - 1} + \mu' S'\zeta^{\mu' - 1} + \&c.]$$

vel
$$dd\zeta = dx^2\,[T\zeta^{\mu} + T'\zeta^{\mu'} + \&c.]$$
$$+ \mu\,dx^2\,[S\zeta^{\mu} + S'\zeta^{\mu'} + \&c.]\,.\,S\zeta^{\mu - 1}$$
$$+ \mu'\,dx^2\,[S\zeta^{\mu} + S'\zeta^{\mu'} + \&c.]\,.\,S'\zeta^{\mu' - 1} \quad (6)$$
$$+ \&c.$$

et fic deinceps; fed in hypothefi qua fit $\zeta = o$, eft $d\zeta = o$, $dd\zeta = o$, $d^3\zeta = o$ &c. per noftram ergo methodum, fi aequatio $\zeta = o$ fit integrale particulare, evanefcere debent valores (6), et fequentes differentialium $dd\zeta$, $d^3\zeta$ &c. Porro evidens eft hoc evenire non poffe, nifi fit μ aequalis aut maior unitate: in hoc igitur folo cafu aequatio $\zeta = o$, integrale eft particulare, id ipfum quod ex fua pariter methodo deducit celeberrimus Eulerus.

V.

Confideremus nunc aequationes differentiales fecundi gradus, quas generaliter per hanc repraefento, $ddy = Mdx^2$ (7), exiftente M functione x et y, dx et dy, et fuppofito dx conftante. Integrale completum huius aequationis differentialis duas continet conftantes arbitrarias, fed reperiri poffunt aequationes vel finitae, vel differentiales primi ordinis, quae huic fatisfaciant, etfi in integrali completo non contineantur. Sit $H = o$ (8) aequatio quae fatisfaciat aequationi (7), exiftente H functione x, y, dx et dy, et fit $R = o$ integrale completum aequationis (7), defcribatur curva MN, ita ut ipfius aequatio differentialis fit $H = o$, fupponendo $AQ = x$, et $QN = y$, deinde curva MZ defcribatur mediante aequatione $R = o$, et ambae quas continet arbitrariae conftantes per has conditiones ita determinentur, ut curva MZ, in puncto p, applicatam et tangentem



tem

tem curvae MN communem habeat, id eſt, ita ut quantitates y et dy, ſint eaedem in utraque curva. Hoc poſito, ſi ſumantur ambae applicatae ZQ, et QN, eidem abſciſſae AQ reſpondente, et ſupponente $PQ = ndx$, exiſtente n numero infinito, $Ap = x$, $pM = y$, erit

$$ZQ = y + ndy + \frac{n.\overline{n-1}}{1.2} ddy + \frac{n.\overline{n-1}.\overline{n-2}}{1.2.3} d^3y + \&c.$$

et ſi pro curva MN, quantitate y, dy, &c. ita deſignetur per y', dy' &c. erit ſimiliter,

$$NQ = y' + ndy' + \frac{n.\overline{n-1}}{1.2}.ddy' + \frac{n.\overline{n-1}.\overline{n-2}}{1.2.3} d^3y' + \&c.$$

Cum nunc ambae curvae ſint diverſae, ſit aliunde $y = y'$, $dy = dy'$, $ddy = ddy'$, erit vel d^3y, diverſum a d^3y', vel d^4y, a d^4y' &c. Si ergo differentietur aequatio (7), erit

$$d^3y = Kdx^3$$
$$d^4y = K'dx^4$$
&c.

exiſtentibus K, K' &c. functionibus x, y, dx, dy. Aequationem (8) ſimiliter differentiando, obtinebitur

$$d^3y = Vdx^3$$
$$d^4y = V'dx^4$$
&c.

Si igitur aequatio $H = o$, ſit integrale particulare aequationis $ddy = Mdx^2$, neceſſe eſt ut evaneſcant hoc poſito quantitates $K - V$, $K' - V'$ &c. ſecus $H = o$ eſt ſolutio particularis, quae in integrali completo nullo modo contineri poteſt.

VI. Sup-

VI.

Supponatur in aequatione $ddy = Mdx^2$, M functio x, et y, et aequationem $y = \chi$ huic satisfacere, existente χ functione solius x; ad secernendum utrum haec solutio in integrali completo contineatur nec ne, sit $y - \chi = \zeta$, erit igitur $ddy = dd\zeta + dd\chi$, ac proinde $dd\zeta = M'dx^2$, existente M', functione solius ζ, ex quo concluditur per seriem ascendentem

$$dd\zeta = dx^2 \, [S\zeta^{\mu} + S'\zeta^{\mu'} + \&c.]$$

existente μ numero positivo. Si haec aequatio per $2\,d\zeta$ multiplicetur, et postea integretur, erit

$$d\zeta^2 = 2\zeta^{\mu}\, d\zeta dx \int S dx + 2\zeta^{\mu'} d\zeta dx \int S' dx + \&c.$$
$$+ \frac{2S}{\mu+1}\zeta^{\mu+1} dx^2 + \frac{2S'}{\mu'+1}\zeta^{\mu'+1} dx^2 + \&c.$$

Hic nulla constantis ratio habenda est, cum ex hypothesi ζ, et $d\zeta$, sint nihilo aequales, est igitur

$$d\zeta = \zeta^{\mu} dx \int S dx + \&c.$$
$$\pm\, dx \sqrt{\frac{S\zeta^{\mu+1}}{\mu+1} + \&c. + \tfrac{1}{4}\zeta^{2\mu}\left(\int S dx\right)^2 + \&c.}$$

Porro evidens est, si μ sit aequalis aut maior unitate, differentias successivas $d\zeta$, $dd\zeta$, $d^3\zeta$ &c. evanescere ex hypothesi, quod sit $\zeta = o$; secus non evanescere. In primo igitur casu $\zeta = o$, seu $y = \chi$; integrale est, particulare aequationis $ddy = \mu dx^2$, non vero in secundo.

VII. Exem-

VII.

Exempli cauſa ſumatur aequatio $ddy = adx$ $[(1 - x^3)^4 - (1 - y^3)^4]$, cui ſatisfacit haec $y = x$, ſit $y - x = \zeta$, ex quo facile obtinetur $dd\zeta = dx^2$ $[12 x^2 \zeta (1 - x)^3 + \&c.]$, et cum ſit exponens variabilis ζ, unitati aequalis, aequatio $y = x$ integrale eſt particulare aequationis propoſitae. Si vero ſupponatur, $ddy = adx^2 \sqrt{xx - yy}$, cui pariter ſatisfacit haec $y = x$, ſi fiat $y - x = \zeta$, obtinebitur $dd\zeta = adx^2$ $[\zeta^{\frac{1}{2}} \sqrt{-2x} + \&c.]$; cum hic exponens variabilis ζ minor ſit unitate, aequatio $y = x$, integrale non eſt particulare iſtius $ddy = adx^2 \sqrt{xx - yy}$.

Haec methodus ſeſe manifeſto extendit ad aequationes 3. 4. et ſequentium ordinum, unde hac ulterius perpendere prorſus foret inutile.

VIII.

Aequationes differentiales nunc perpendamus tres variabiles involventes, ad quod praemittatur lemma ſequens:

Sit $y = \varphi\ (x, \zeta)$, et ſupponatur x, fieri $x \mp a$, ζ, $\zeta + \beta$, et y, 7, erit

$$
\begin{aligned}
Y = y + \beta \frac{dy}{d\zeta} &+ \frac{\beta^2}{1.2} \cdot \frac{ddy}{d\zeta . d\zeta} + \frac{\beta^3}{1.2.3} \cdot \frac{dddy}{d\zeta . d\zeta . d\zeta} + \&c. \\
&+ \alpha \frac{dy}{dx} + \alpha\beta \cdot \frac{ddy}{dx\, d\zeta} + \frac{\alpha\beta^2}{1.2} \cdot \frac{dddy}{dx\, d\zeta\, d\zeta} + \&c. \qquad (7) \\
&+ \frac{\alpha^2}{1.2} \cdot \frac{ddy}{dx\, dx} + \frac{\alpha^2\beta}{1.2} \cdot \frac{dddy}{dx\, dx\, d\zeta} + \&c. \\
&+ \frac{\alpha^3}{1.2.3} \cdot \frac{dddy}{dx\, dx\, dx} + \&c. \\
&+ \&c.
\end{aligned}
$$

est enim per theorema cognitum

$$\varphi[x+\alpha, \zeta+\beta] = \varphi[x, \zeta+\beta] + \alpha \frac{d . \varphi(x, \zeta+\beta)}{dx} + \frac{\alpha^2}{1.2} \frac{dd\varphi(x, \zeta+\beta)}{dx\, dx} + \&c.$$

at est $\varphi(x, \zeta+\beta) = \varphi(x, \zeta) + \beta . \frac{d . \varphi(x, \zeta)}{d\zeta} + \frac{\beta^2}{1.2} \frac{dd\varphi(x, \zeta)}{d\zeta\, d\zeta} + \&c.$

$$\frac{d . \varphi(x, \zeta+\beta)}{dx} = \frac{d . \varphi(x, \zeta)}{dx} + \beta . \frac{dd\varphi(x, \zeta)}{dx\, d\zeta} + \&c.$$

&c.

ex quibus facile formula (7) colligitur.

IX.

Sit igitur aequatio differentialis et integrabilis $dy = Q dx + R d\zeta$ (9), cui satisfacit $u = 0$ (10). Differentietur

tietur haec aequatio, et fit $dy = q dx + r d\zeta$ (11), construaturque superficies mediante aequatione $u = o$; sit jam $T = o$, integrale completum aequationis (9), et similiter construatur superficies ope istius integralis, determineturque constans arbitraria, ita ut ambae superficies eandem habeant applicatam, quando x et ζ datos recipiunt valores: supponatur nunc, x augeri quantitate quadam a, et ζ quantitate β; si ambae superficies diversae sint, vel si $\mu = o$ integrale non est particulare, applicatae his variationibus respondentes in utraque superficie, a se invicem differre debent, est autem in prima superficie

$$Y = y + \frac{\beta\, dy}{d\zeta} + \frac{\beta^2}{1.2} \frac{ddy}{d\zeta\, d\zeta} + \&c.$$
$$+ \frac{a\, dy}{dx} + a\beta . \frac{ddy}{dx\, d\zeta} + \&c.$$
$$+ \&c.$$

et pro secunda superficie denotande per Y', y', dy' &c. quantitates Y, y, dy &c. erit

$$Y' = y' + \frac{\beta\, dy'}{d\zeta} + \frac{\beta^2}{1.2} \frac{ddy'}{d\zeta\, d\zeta} + \&c.$$
$$+ \frac{a\, dy'}{dx} + a\beta . \frac{ddy'}{dx\, d\zeta} + \&c.$$
$$+ \&c.$$

Si ergo Y' differt ab Y vel y, differt ab y', vel $\frac{dy}{d\zeta}$ a $\frac{dy'}{d\zeta}$, vel $\frac{dy}{dx}$ a $\frac{dy'}{dx}$, vel $\frac{ddy}{d\zeta d\zeta}$ a $\frac{ddy'}{d\zeta d\zeta}$ &c. est autem

ex hypothesi $y = y'$, $\frac{dy}{d\zeta} = \frac{dy'}{d\zeta}$, $\frac{dy}{dx} = \frac{dy'}{dx}$, vel igitur $\frac{ddy}{d\zeta d\zeta}$ differt a $\frac{ddy'}{d\zeta d\zeta}$, vel $\frac{ddy}{dx d\zeta}$ a $\frac{ddy'}{dx d\zeta}$ &c. At est

$$\frac{ddy}{d\zeta d\zeta} = \frac{dR}{d\zeta} + \frac{dR}{dy}\,\frac{dy}{d\zeta} = \frac{dR}{d\zeta} + R\,\frac{dR}{dy} = V,$$

similiter $\frac{dddy}{d\zeta d\zeta d\zeta} = V'$ &c.

$$\frac{ddy'}{d\zeta d\zeta} = v, \quad \frac{dddy'}{d\zeta d\zeta d\zeta} = v', \text{ \&c.}$$

Sit etiam $\frac{ddy}{dx d\zeta} = T$, $\frac{dddy}{dx d\zeta d\zeta} = T'$ &c.

et $\frac{ddy'}{dx d\zeta} = t$, $\frac{dddy'}{dx d\zeta d\zeta} = t'$ &c.

$$\frac{ddy}{dx dx} = S, \text{ \&c.} \quad \frac{ddy'}{dx dx} = S' \text{ \&c.}$$

&c. &c.

Si $\mu = o$ sit integrale particulare aequationis propositae, hac posita debent evanescere quantitates

$$\begin{matrix} V - v, & V' - v', & V'' - v'', & \text{\&c.} \\ T - t, & T' - t', & T'' - t'', & \text{\&c.} \\ S - s, & S' - s', & S'' - s'', & \text{\&c.} \\ \text{\&c.} & \text{\&c.} & \text{\&c.} & \end{matrix}$$

Quod si non eveniat, aequatio $\mu = o$ solutio duntaxat est particularis, quae nullo modo in integrali completo contineri potest.

Visibile

Visibile est, hanc methodum ad quotcunque variabiles pariter extendi posse.

X.

Nunc igitur determinandae sunt omnes solutiones particulares, quae in integrali completo non continentur, quod ita praestari potest, si semel cognoscatur integrale completum. Sit aequatio $o = R\,dx - S\,dy$, (Γ), quae per factorem μ multiplicata fiat integrabilis, erit ergo $\mu R\,dx - \mu S\,dy = d\,.\,\varphi\,(x, y)$. Praeterea supponatur, aequationem $\zeta = o$, solutionem esse particularem aequationis (Γ), quae non in ipsius integrali completo comprehendatur, ex eo concluditur, $y = \Gamma\,(x, \zeta)$, unde $d\,.\,\varphi\,(x, y) = d\psi\,.\,(x, \zeta)$, ac proinde $\psi\,(x, \zeta) + C = o$, est integrale completum aequationis (Γ). At cum $\zeta = o$ non sit integrale particulare, ad nihilum reducere non potest $\psi\,(x, \zeta)$, nec ergo ipsius differentiale $\mu R\,dx - \mu S\,dy$. Cum ergo posito $\zeta = o$, evanescat $R\,dx = S\,dy$, necesse est ut in eadem hypothesi sit μ, infinitum, et consequenter $\frac{1}{\mu}$, nihilo aequale. Sit $\frac{1}{\mu} = \beta$, erit igitur ζ factor quantitatis β.

Si ergo inter factores quantitatis β, seligantur hi qui aequationi differentiali $R\,dx - S\,dy = o$, satisfaciunt, et distinguantur ii qui sunt integralia particularia, omnes obtinebuntur solutiones particulares aequationis (Γ), quae in ipsius integrali completo non continentur.

Nunc determinanda eſt functio μ, quae facile ex integrali completo aequationis (Γ) concludi poteſt. Sit enim $T = C$, iſtud integrale completum erit differentiando $Ldx - Ody = o$, ſeu $\mu R dx - \mu S dy = o$, et conſequenter $\mu = \frac{L}{R}$, et $\beta = \frac{R}{L}$. μ vero infinitos habet valores, qui generaliter per $\mu \phi'(T)$, repraeſentari poſſunt; ſed inter eos ſimpliciſſimus debet eligi, alii enim darent pro ſolutionibus particularibus, vel $T + q = o$, vel $\frac{1}{T+q} = o$, exiſtente q quantitate conſtante. Porro hae duae ſolutiones in integrali completo $T = C$ continentur, ſupponendo in primo caſu $C + q = o$, et in ſecundo $\frac{1}{C+q} = o$.

XI.

Ad determinandos vero ipſius β factores, qui nihilo aequales, aequationi $R dx - S dy = o$, (Γ), vel $dy = \frac{R}{S} dx$, ſatisfaciunt, ſit ζ, iſte factor, ſi differentietur aequatio $\beta = o$, erit $dy = V dx$, quae aequatio, poſito $\zeta = o$ evaneſcet, evaneſcet ergo eadem ſuppoſitione quantitas $(V - \frac{R}{S})$, ζ conſequenter factor erit communis quantitatibus β, et $(V - \frac{R}{S})$, unde per methodos cognitas facile reperietur. Porro quilibet factor his quantitatibus communis, ſi fiat nihilo aequalis, erit ſolutio particu-

laris

laris aequationis (Γ), ad quod demonſtrandum, ſit α, unus ex his factoribus, ſuppoſito $\alpha = o$, evaneſcet evidenter $dy - Vdx$, et cum evaneſcat etiam $V - \frac{R}{S}$, aut $dy - Vdx - dy + \frac{R}{S} dx$, evaneſcet igitur $dy - \frac{R}{S} dx$, ſeu $Sdy - Rdx$.

Facillime praeterea diſtingui poteſt, utrum aequatio $\alpha = o$, integrale ſit particulare nec ne; en ergo methodum generalem ad determinandas omnes aequationis (Γ) ſolutiones particulares, quae non ſunt integralia particularia.

XII.

Methodus iſta ſimiliter ad aequationes differentiales ſecundi et ſuperiorum ordinum ſeſe extendit. Sit enim aequatio differentialis generaliſſima ſecundi ordinis, $ddy = Mdx^2$, exiſtente M functione x, y, dx et dy. Sitque μ factor ſimpliciſſimus, qui reddat hanc aequationem integrabilem, et $\zeta = o$, ſolutio particularis, quae in integrali completo non contineatur, exiſtente ζ functione x, y, dx et dy, per ratiocinia praecedentia reperietur, poſita aequatione $\zeta = o$, evaneſcere debere quantitatem $\frac{1}{\mu}$; ex quo, pro ſecundo ordine, ſimilia omnino praecedentibus concluduntur, quod amplius evolvere ſupervacaneum foret.

XIII. Prae-

XIII.

Praecedens methodus a cognitione integralis completi quod in poteſtate ſaepius non eſt, pendet; unde utiliſſimum foret ſine dubio has omnes ſolutiones ignoto etiam integrali completo determinare. Sequentem igitur adinveni methodum, qua id facillime praeſtari poteſt.

Sit $dy = pdx$ (12) aequatio quaecunque differentialis, et $\zeta = o$, ſolutio particularis, quae in integrali completo non continetur. Differentiando aequatienem (12) erit, poſito dx conſtante, $ddy = \frac{dP}{dx} dx^2 + \frac{dP}{dy} dx\, dy$ (13), vel $ddy = dx^2 \left\{ \frac{dp}{dx} + P \frac{dP}{dy} \right\}$ (14), aut ſimplicius $ddy = Vdx^2$ (15). Continuo ſic differentiando, erit $d^3y = V' dx^3$ (16), $d^4y = V'' dx^4$ (17) &c. Neceſſe eſt igitur per praecedentia, ut aequatio $\zeta = o$, non ſatisfaciat, vel aequutioni (15), vel aequationi (16), vel aequationi (17) &c. Perpendamus primo caſum, in quo aequationi (15) non ſatisfacit.

Cum poſito $\zeta = o$ evaneſcet $dy - pdx$, evaneſcet pariter $ddy - \frac{dp}{dx} dx^2 - \frac{dp}{dy} dx\, dy$; ſi enim differentietur aequatio $\zeta = o$, erit $dy = \alpha dx$ (18); poſito ergo $\zeta = o$, evaneſcet $dy + \alpha dx + dy - pdx$, ſeu $\alpha - p$, evaneſcet igitur $\frac{d\alpha}{dx} dx^2 + \frac{d\alpha}{dx} dx dy - \frac{dp}{dx} dx^2$

$$- \frac{dp}{dy}$$

$- \frac{dp}{dy} dxdy$; sed posito $\zeta = o$, in nihilum abit evidenter $ddy - \frac{d\alpha}{dx} dx^2 - \frac{d\alpha}{dy} dxdy$, evanescet ergo $ddy = \frac{dp}{dx} dx^2 + \frac{dp}{dy} dxdy$; sed ex hypothesi non abit in nihilum aequatio (14), posito $\zeta = o$, subtrahendo igitur aequationem (14) ab aequatione (13), non posito $\zeta = o$, evanescet $dx^2 . p \frac{dp}{dy} - \frac{dp}{dy} dxdy$. In nihilum autem abit ista suppositione quantitas $pdx - dy$, est igitur $\frac{dp}{dy}$, infinitum, seu $\frac{1}{\frac{dp}{dy}} = o$, Sit $Q = \frac{1}{\frac{dp}{dy}}$, erit ergo ζ factor ipsius quantitatis Q, ad quem reperiendum differentietur Q, ex quo sit $dy = \beta dx$ (19); posito $\zeta = o$, evanescere debet $dy - \beta dx$, in nihilum vero abit eadem suppositione $dy - pdx$, ac proinde $p - \beta$, est igitur ζ factor communis quantitatibus Q et $p - \beta$, unde facile determinabitur. Evidens est etiam, quemlibet factorem his quantitatibus communem, aequationem (12) resolvere.

XIV.

Perpendamus nunc casum, in quo aequatio $\zeta = o$, satisfaciendo aequationibus (12) et (15), aequationi (16) non satisfacit.

Ex praecedente articulo apparet, posito $\zeta = o$, in nihilum abire $\frac{1}{\frac{dV}{dy}}$; ζ igitur factor est istius quantitatis, et facile ex praecedentibus determinabitur: nam si differentiando $\frac{1}{\frac{dV}{dy}}$, fit $dy = \beta dx$, ζ factor erit communis quantitatibus $p - \beta$, et $\frac{1}{\frac{dV}{dy}}$: et praeterea posito $\zeta = o$, in nihilum abire debet aequatio (15).

Per eamdem methodum reperientur solutiones particulares quae aequationibus (12) (15) et (16) satisfaciunt, non vero aequationi (17), et sic deinceps; unde omnes istae solutiones determinabuntur.

XV.

Nunc ad aequationes differentiales secundi gradus devenio, quas sub hac generali forma repraesento: $ddy = Mdx^2$ (20), existente M functione quacunque variabilium x, y, et differentialium dx et dy, posito dx constante, differentiando erit $d^3y = \frac{dM}{dx} dx^3 + \frac{dM}{dy} dx^2 dy + \frac{dM}{d\left(\frac{dy}{dx}\right)} . dxddy$ (21).

vel,

vel $d^3y = dx^3 \left\{ \frac{dM}{dx} + \frac{dM}{dy} \cdot \frac{dy}{dx} + M \cdot \frac{dM}{d\left(\frac{dy}{dx}\right)} \right\}$;

seu $d^3y = V dx^3$ (22), similiter $d^4y = V' dx^4$ (23), $d^5y = V'' dx^5$ (24) &c. Supponatur $\zeta = o$, aequationi (20) satisfacere, et solutionem esse particularem, in integrali completo non contentam, existente ζ functione x, y, dx et dy; supponatur praeterea $\zeta = o$, non resolvere aequationem (22), subtrahatur aequatio (22) ab aequatione (21), residuum non evanescet posito $\zeta = o$, cum ista suppositione evanescat aequatio (21), non evanescit ergo $M \frac{dM}{d\left(\frac{dy}{dx}\right)} \cdot dx^2 - \frac{dM}{d\left(\frac{dy}{dx}\right)} ddy$, evanescit autem $M dx^2 - ddy$; est ergo $\frac{dM}{d\left(\frac{dy}{dx}\right)}$ infinitum, seu in nihilum abit $\frac{1}{\frac{dM}{d\left(\frac{dy}{dx}\right)}}$; est ergo ζ factor istius quantitatis, qui facile per articulum praecedentem determinabitur.

Eodem prorsus modo obtinerentur solutiones particulares, quae aequationibus (20) et (22) satisfacientes, non aequationem (23) resolvunt, et sic deinceps; et evidens est, hanc methodum ad cuiusvis gradus aequationes differentiales sese extendere.

 XVI. No-

XVI.

Notari vero hic omnino meretur, dari aequationes differentiales, quae non nisi integralia particularia pro solutionibus particularibus habent. Tales sunt aequationes lineares, cuiusvis sint ordinis, per hanc formam repraesentatae:

$$o = y + H \frac{dy}{dx} + H' \frac{ddy}{dx^2} + \&c.$$

Posito dx constante, et H, H' &c. existentibus functionibus variabilis x; tales sunt etiam aequationes sub hac forma comprehensae:

$$o = d\zeta \, [p + Q\alpha + R\alpha\alpha] + S d\alpha \quad (i)$$

existentibus p, Q, R, S, functionibus ipsius ζ, dividendo enim per R, et supponendo $d\zeta \,.\, \frac{P}{S} = dx$, in formam sequentem abeunt, $o = dx\,[H' - H\alpha + \alpha\alpha] + H' d\alpha$ (h). Sit nunc $\alpha = \beta$, solutio particularis istius aequationis, ostendi in Tomo quarto commentariorum societatis Taurinensis, integrale completum aequationis

$$o = y + H \frac{dy}{dx} + H' \frac{ddy}{dx^2}$$

fore $y = e^{-\int \frac{dx}{\beta}} \left\{ C + A \int \frac{dx}{\beta} \, e^{-\int \frac{\beta dx}{H'} - \frac{dx}{\beta}} \right\}$

et si $\alpha = r$ integrale completum aequationis (h), erit per demonstrata etiam loco citato,

$r =$

$$r = \frac{\beta + D\beta \int \frac{dx}{\beta} \, e^{-\int \frac{\beta dx}{H'} - \frac{dx}{\beta}}}{1 + D \int \frac{dx}{\beta} \, e^{-\int \frac{\beta dx}{H'} - \frac{dx}{\beta}} + D \, e^{-\int \frac{\beta d}{H'}}}$$

et ſi ſupponatur conſtans $D = o$, erit $r = \beta$, unde aequatio $\alpha = \beta$ integrale eſt particulare aequationis (h), ac proinde aequationis (i). Cum in iſta includatur aequatio Riccatiana, inde patet, hanc aequationem nullas habere ſolutiones particulares, niſi quae in integrali complete continentur.

Aſtronomiſche Abhandlungen ꝛc.

h. e.

DISSERTATIONES ASTRONOMICAE,

in Supplementum elementorum Aſtronomiae;

Sylloge I.

Goettingae, apud Vid. Vandenhoekii 1772. 8.
pagg. 477. tab. aen. 5.

Aſtronomiae Syſtema, numeris omnibus abſolutum, edere difficile eſt, non ſolum ob rerum multitudinem et varietatem, ſed inprimis illam ob cauſſam, quod multa a ſe invicem ita pendeant, ut vix poſſint ordine quo in pura geometria utimur omnia collocari, ſed quaedam in initio ex ſequentibus ſumenda ſint, quorundam, quae iam dicuntur, vis omnis ex iis demum percipiatur, quae multo poſt ſequuntur. Itaque, qui celeberrima Aſtronomiae Syſtemata

ediderunt, Gregorius, Caſſini, de la Caille, a Syſtemate Copernicano ordiuntur; dom. de la Lande vero, eo minus potuit geometrarum ordinem obſervare, quo magis voluit, non ſaltim de omnibus dicere, ſed etiam populariter. Attamen concinnari poſſe uberius Aſtronomiae Syſtema, ordine geometrico, tuetur Kaeſtnerus V. Ill. exemplo elementorum Aſtronomiae latinorum L. B. Wolfii; quibus, ſi quis addere velit recentiores Aſtronomiae acceſſiones, imitari vero in coniungendis omnibus, ſummum illum methodi artificem, proditurum ait noſter novum Almageſtum, quod cum non poſſit niſi labore, quem ſolus Germanus toleret, abſolvi, in Germania tamen bibliopolam, qui ſumtus faciat, non ſit reperturum.

Kaeſtnerus in libro, quo Matheſeos applicatae elementa complexus eſt, Aſtronomiam quoque ſic tradidit, ut a phaenomenis communibus exorſus, eorum quae in hac ſcientia maxime ſubtilia et abſtruſa ſunt, nihil omnino omitteret; ſed haec oportebat ſaepius obiter tantum indicari. Qui vero ſic nexum doctrinarum omnium animo complexus eſt, ille Scriptores, unam alteramve uberius tractantes, cum fructu leget, neque opus erit ut illos eo ordine legat, quo doctrinae in Syſtemate ſunt tradendae, poterit enim quae legit ſingula ipſe ad loca ſua referre.

Ita credit Vir ill. profuturum ſe ſtudioſis Aſtronomiae, ſi, quae ipſi ſe obtulerunt ad doctrinas explicandas et confirmandas, ederet, legem vero ordinis in edendo eum obſervet, ut quae iam maxime abſoluta ſe habere exiſtimat, illa primo prodire ſinat, aliis ut expoliantur adhuc preſſis. Quo in conſilio exſequendo quomodo ſit verſaturus, ſpecimen exhibet, triga diſſertationum, de qua iam dicendum eſt.

Prima, formulas varias trigonometriae analyticae complectitur, quarum in ſequentibus uſus eſt: ut de ſummis aut differentiis angulorum; ſolvitur etiam aequatio quaeſiti anguli

anguli ſinum et coſinum per data definiens, huius formae: Sin. $x = f$. Coſ. $x + g$. Solutio docet, ſi ſit $q =$ A tang. f; $p =$ A ſin. $\left(\frac{g}{\surd(1+ff)}\right) =$ A ſin. (g. coſ. q); fore duorum ipſius x valorum, alterum $= p + q$; alterum $= 180° - (p - q)$. Facile patet, quomodo eadem adhibeantur, ſi data ſit aequatio inter duas alias lineas trigonometricas, eidem arcui quaeſito reſpondentes. Eiusmodi vero aequationes frequenter occurrunt. Porro agitur de variationibus quae ſibi reſpondent exiguis angulorum et laterum trianguli rectilinei, quarum et formulae analyticae, et computus in numeris, ſumma quae locum habet facilitate exhibentur; angulorum variationes in minutis ſecundis expreſſae, quomodo logarithmorum ope computari poſſint, oſtenditur, quod utique multo minus operoſum eſt, quam dividere per arcum radio aequalem, ut alii faciunt. Haec ad errores in geometria practica, ex angulis non ſumma exactitudine cognitis oriundos, applicantur; de quibus erroribus, ſcriptum, ab auctore, ſodale, ſibi miſſum, actis anni 1753. inſeruit Academia Regia Scient. Suecica. Deinde ſolvit noſter problema ſequens: Anguli plani crura ad horizontem obliqua ſunt, datur vero cuiusvis inclinatio; quaeritur, quem angulum contineant inter ſe plana verticalia, per crura angulorum? eundem angulum continebunt planorum quae diximus interſectiones cum horizonte; igitur hoc modo reperitur, angulo qui eſt in plano inclinato reſpondens horizontalis. Quod faciendum eſt iis omnibus qui inſtrumento goniometrico utuntur, cuius tubus gyrari poteſt, in plano inſtrumenti plano parallelo; nullum vero motum habet in plano, quod inſtrumenti plano eſſet rectum. Tali inſtrumento cum Mayerus Goettingenſis in praxi geometrica uteretur, formulas excogitavit, quibus angulus quem diximus, in plano inclinato, ad horizontalem reduceretur, cum crurum inclinationes non

ſunt

ſunt niſi paucorum graduum. Eas formulas, nudas, absque demonſtratione et calculi ſecundum illas ſubducendi methodo, noſter cum in Manuſcriptis Mayeri reperiſſet, utrumque hic addit; fatetur tamen, trigonometria ſphaerica, qua ante uſus erat, angulum, minori opera, magis autem exacte computari, quam quidem Mayeri approximationibus. Alius uſus problematis generalis, de angulorum illorum uno ad alterum reducendo, hic eſt: ſit inſtrumenti goniometrici tubus non parallelus inſtrumenti plano, ſed ad illud dato angulo inclinetur. Igitur, ſi in problemate, horizontis loco intelligatur planum inſtrumenti, cognoſcuntur errores ab hoc tubi poſitu in angulorum menſuras redundantes. Unde problema facit ad uſum quadrantum aſtronomicorum. De planis inclinatis theoremata geometrica, ſcitu non indigna, ex iisdem formulis colliguntur: ut, rectarum in plano inclinato ductarum, nullam maiori ad horizontem angulo inclinari, quam ipſum planum; tres vero rectas in eodem plano, per idem punctum ductas, non poſſe aequaliter ad horizontem inclinari.

Secunda diſſertatio trigonometriae ſphaericae formulas tradit, quas Eulerus in Comm. Acad. Reg. Sc. Pruſſ. 1753. docuit. Illas vero cum Eulerus ex eo deduxiſſet, quod inter duo puncta in ſuperficie ſphaerica via minima ſit arcus circuli maximi, hic ex magis notis principiis eruuntur. Adduntur etiam quaedam calculi compendia: ita, ſi ex trianguli ſphaerici lateribus *b*, *c*, et angulo intercepto *A*, quaeratur illi angulo oppoſitum latus *a*, praebet Euleri formula, Coſ. $a =$ Coſ. *A*. Sin. *b*. Sin. $c +$ Coſ. *b*. Coſ. *c*. Tunc autem eſt Coſ. $a =$ *vel* Coſ. $(b - c) - (1 -$ Coſ. $A)$ Sin. *b*. Sin. *c*. *vel* Coſ. $(b + c) + (1 +$ Coſ. $A)$ Sin. *b*. Sin. *c*. prouti eſt *A* acutus aut obtuſus; utroque caſu, quod ducitur in Sin. *b*. Sin. *c*. eſt unitate minus, ut magna exactitudine habeatur Coſ. *a*. Sequuntur formulae differentiales triangulorum ſphaericorum, ut ante rectilineorum. Facile intelli-

intelligitur, haberi in utrisque propositiones, quas Cotesius in libello de aestimatione errorum docuit. Sed praeterquam quod hic analysis ope inveniantur, non, ut a Cotesio, synthetice demonstrentur, id etiam habent, ut facile ostendant num variationes sint incrementa aut decrementa, de quo nihil habet Cotesius, qui, si eadem methodo, qua principales propositiones tractavit, etiam haec voluisset discutere, librum non exiguae molis scribere debuisset. His formulis differentialibus subiicitur quaestio in Astronomia saepius obveniens: Trianguli sphaerici rectanguli angulus unus parvus est, adeoque parvum etiam crus illi oppositum; quaeritur, quantum hypothenusa excedat crus reliquum, non illud, angulo parvo oppositum? Hic excessus postquam definitus est, monetur, haec duo, quorum differentia investigatur, non ipsa etiam parva esse debere; si vero sint, aliis modis rem esse peragendam, qui etiam docentur. Ut usus trigonometriae sphaericae exemplo pateat, ostenditur, quomodo ex stellae declinatione et adscensione recta, computentur longitudo et latitudo, vel contra. Inexspectatum vero multis geometriae practicis, etiam qui theoriam scire se profitentur, accidet, hos computos ad illorum artem ex astronomia posse transferri. Scilicet, si instrumenti goniometrici planum horizonti sit obliquum, tubus vero, ad ipsum instrumentum etiam dato angulo inclinetur, hocque instrumento captus sit angulus, ei respondentem horizontalem invenire, est, ex stellae longitudine et latitudine, invenire declinationem et adscensionem rectam. Patet, horizontem hic succedere in locum aequatoris, instrumenti planum in locum eclipticae.

Tertia dissertatio, astronomiae sphaericae propositiones continet, inprimis illas, quarum usus maximus est in observando. Orditur a consideratione trianguli sphaerici, inter polum, verticem, et stellam contenti, cuius primo anguli ex lateribus computantur, tum vulgari regula adhibita,

tum etiam formulis, quae cuiusvis anguli cosinum exhibent, theorematibus inde ducendis inprimis aptae. Quale est relatio inter mutationes altitudinis et anguli parallactici, unde pendet, quae altitudo, posita anguli horarii mutatione eadem, maxime mutetur, adeoque, quae altitudo stellae datae aut Solis aptissima sit ad tempus ex illa definiendum. Formulae, ex angulo horario altitudinem computandi, usus aliquot ostenduntur, inprimis gnomonici. Construatur pro elevatione poli medii provinciae alicuius tabula, quae contineat altitudines Solis datis diebus variis horis respondentes. Ita, vel quadrante, non meliori quam quo agrimensores utuntur, poterunt observationes institui quae sufficiant horologiis publicis regendis, et tempori diurno, quantum ad negotia civilia pertinet ordinando. Astronomus vero, quomodo horologii sui motum exacte cognoscere queat, varii modi ostenduntur. Quadrantis muralis, quatenus saltim temporibus transituum per meridianum observandis adhibetur, tria notantur vitia: si quadrantis planum, non perfecte verticale sit, aut meridianae lineae non insistat, et si tubi axis ad planum quadrantis inclinetur. Sumatur primo, quadrantis planum esse verticale, sed angulum paruum continere cum meridiano. Stellae, cuius datur declinatio, observentur altitudines correspondentes quadrante alio mobili. Ita habetur tempus quando transit per meridianum. Observetur vero transitus stellae per quadrantem fixum, et simul altitudo quam habet dum transit. Haec altitudo dicatur η; arcus aequatoris, differentiae temporis inter transitus stellae per meridianum et per quadrantem respondens τ; azimuthum quadrantis fixi ξ; declinatio stellae δ: erit $\text{Sin.}\ \tau = \frac{\text{Cos.}\ \eta \,.\, \text{Sin.}\ \xi}{\text{Cos.}\ \delta}$. Si vero secet planum quadrantis horizontem in linea meridiana, inclinetur autem ad horizontem angulo φ, factis iisdem quae ante erit $\text{tang.}\ \varphi = \frac{\text{Cos.}\ \delta \,.\, \text{Sin.}\ \tau}{\text{Sin.}\ \eta}$; denique si quadrantis planum

sit

ſit in meridiano, tubi vero axis cum illo contineat angulum ψ: erit Sin. $\tau = \frac{\text{Sin.}\ \psi}{\text{Coſ.}\ \delta}$. Et haec vera ſunt, quanticumque ſint anguli ξ, ϕ, ψ. Qui anguli, ſi errores quadrantis fixi ſint, exigui eſſe debent, alias uſum inſtrumenti omnem impedituri. Tunc itaque loco linearum trigonometricarum, qui ad eos pertinent, ipſi poni poſſunt, et ſi ſinguli in quadrante adſint, error ex omnibus coniunctis naſciturus pro ſumma ſingulorum accipitur. Igitur, ipſe τ, (etiam ille exiguus,) ſeu arcus aequatoris, qui reſpondet differentiae temporis, inter ſtellae datae tranſitus per meridianum, et per tubum quadrantis, eſt

$$\frac{\xi\ .\ \text{Coſ.}\ \eta + \phi\ .\ \text{Sin.}\ \eta + \psi}{\text{Coſ.}\ \delta}.$$

In qua formula tres illae exiguae quantitates poſitivae ſumuntur, ſi verſus orientem cadant, praebentque τ poſitivum, ſi ſtella citius per axem tubi inſtrumenti tranſeat, quam per meridianum. Iam igitur quantum differant datae ſtellae tranſitus per tubum, et per meridianum, ſcitur, ſi notae ſint illae tres exiguae quantitates. Si vero ignorentur, ita formulae ope eruuntur: Stellae cuiusdam, nota ſit declinatio B, eadem dum tubum quadrantis fixi tranſit, altitudinem habeat A, appellat vero ad axem huius tubi prius quam ad meridianum, tempore cui reſpondet arcus aequatoris C; igitur pro hac ſtella eſt $C\ .\ \text{Coſ.}\ B = \xi\ .\ \text{Coſ.}\ A + \phi\ .\ \text{Sin.}\ A + \psi$; ubi graecae litterae incognitae ſunt. Quod itaque cum ſtella quam diximus factum eſt, fiat adhuc cum duabus aliis, et habentur tres aequationes, tribus illis incognitis definiendis. Adiiciuntur incognitarum valores, ex tribus illis aequationibus computati. Ceterum facile patet, haec applicari etiam poſſe tubo meridiano abſque quadrante (*lunette meridienne*). Hic vero tubus, ſi circa axem transverſum ita verſatilis ſit, ut ſtellae non multum a polo remotae tranſitus bini per tubum poſſint obſervari,

 ex

ex intervallis tranfituum alia adhuc methodo cognofcitur pofitus plani verticalis, in quo gyratur tubus; aut fi tubus non poffit ad fixas circum polares dirigi, idem definitur ex intervallo inter tranfitus duarum fixarum in plaga coeli auftrali tranfeuntium. Denique, fi axis transverfus circa quem gyratur tubus, non fit exacte horizontalis, defcribet tubus planum circuli, non verticalis, fed tamen maximi, et hoc poteft obfervatis tranfitibus ftellarum definiri. Haec inftrumentorum examina docuerunt, dom. de la Lande, Elvius, Ludiam, Io Bernoulli, plerumque Synthefi; ufi hic analyfis adhibetur ad regulas inveftigandas, et calculo quantum fieri poteft facillimo aptandas. Calendario nautico dom. Mafkelyne (*the nautical Almanac*) pro anno 1774. adiectum habetur problema dom. Lyons, de plani verticalis azimutho ope duorum eiusdem ftellae per illud tranfituum definiendo; cuius folutionem qui cum formulis differt. III. §. 165. 181. contulerit, has multo aptiores reperiet, quae neque logarithmis logifticis, neque altitudinibus ftellae indigeant, quibus dom. Lyons utitur. Aequatio meridiei, ex altitudinibus folis correfpondentibus repertae, accurate traditur; ubi inter alia emendatur regula quam docuit dom. de la Lande, pro tabulis ad plures horas, quam quae in illis continentur, extendendis; leve eft quod magni Aftronomi attentioni fe fubduxit, tangentem anguli horarii, qui cum aliquo in tabulis contento femicirculum efficiat, magnitudine faltim cum huius anguli tangente eamdem effe figno oppofitam. De rectafcenfionum folis veri et ficti, qui motu medio in aequatore progreditur, differentia, in tempus commutanda, recte fentire dom. de la Lande oftenditur, et humani quid paffum effe dom. de la Caille, dum hanc differentiam in tempus medium commutaret. Planetarum per meridianum tranfitibus computandis formulae traduntur breviffimae, item aliae effectibus praeceffionis aequinoctiorum computandis. Animi cauffa inveftigatur, quos fitus ad polum, poft plura faecula, habiturae fint, Stella quae iam eft

polaris, item α ursae maioris, quae post 3400 annos circiter, verticalis erit Bononiae, ut tunc Itali futuri sint

— — — *populi quos despicit Arctos.*

Ubi de variabili eclipticae obliquitate agitur, eius obseruationes hoc saeculo factae recensentur, quarum adducemus duas, desumtas ex celebris mechanici Angli *Ioan. Bird* libello, non ubique obvio, *The method of dividing astronomical instruments.* Erat itaque haec obliquitas, ex obseruationibus *Bradleji,* ann. 50. 51. minutorum secundorum 18 supra 23° 28′; *Mayeri, Goettingensis* init. anni 56. secundorum 16. Sequuntur methodi variae, tempus noctis obiter ex stellis cognoscendi, inprimis ex duabus in eodem verticali positis. Quae postquam theoriae caussa explicavit auctor, vix tamen illa operae pretium facere existimat. Iam considerat triangulum, quod continetur Solis longitudine, declinatione, rectascensione, eiusque trianguli variationes exiguas sibi respondentes. Hinc deducit computum reductionis eclipticae ad aequatorem, quam tabulis suis inseruit dom. de la Caille, eius reductionis correctionem, si paulo alia sit, quam adsumta erat, obliquitas eclipticae, et omnia quae de hac reductione praecipit dom. de la Caille, nihil illorum demonstrans. Astri, latitudinem non magnam habentis, (planetae,) rectascensio et declinatio, quantum differant a rectascensione et declinatione puncti eclipticae, eamdem longitudinem habentis, disquiritur. Methodus, ex sole cum fixa comparato utriusque rectascensiones cognoscendi, qua dom. de la Caille etiam ad catalogum fixarum condendum usus est explicatur.

Tempus computatur, quo Sol opus habet, ut transeat per datum circulum verticalem, aut horizontalem Soluuntur Problemata omnia, quae habet dom. de Maupertuis in Astronomia nautica, etsi non omnia aequalis usus. Astri incogniti declinatio et adscensio recta reperiuntur, si obser-

vetur eius altitudo, in plano verticali fixo, et intervallum temporis inter transitus per id planum, eius astri, et fixae cognitae, cuius etiam in illo plano observatur altitudo. Ea methodo R. P. Mayer, Astronomus Palatinus, Petropoli usus est ad Cometae positum definiendum. Res omnis eo redit, ut inter duos transitus, immotum omnino maneat quadrantis qui adhibetur planum. Quanto tempore astrum declinationis datae opus habeat ad datam altitudinem obtinendam, et quando id tempus fiat brevissimum, disquiritur; unde problema crepusculi minimi reducitur ad aequationem algebraicam, cui cum insint radices, ad id problema non pertinentes, unde insint, et quid significent ostenditur. Evitantur illae radices, si problema solvatur analysi geometrica; sed computi algebraici, cum universaliores sint, et calculo aptiores, illis recte percipiendis et adhibendis utilis opera adhibetur. Qui durationem crepusculi mechanico modo investigare vult, ille uti potest globo, cuius fulcrum gradibus 18 infra horizontem adfixum habeat circulum horizonti parallelum. Ita globos suos construxit *Adams*, Regi M. B. ab instrumentis mathematicis conficiendis, nuper mortuus. Globi ab eo confecti maximi, munificentia Reginae M. B. visuntur in bibliotheca Universitatis litterariae Goettingensis. Idem Adams de usu globorum scripsit: (*A Treatise describing the construction and explaining the use of the new globes — — the second edition Lond. 1769.*) ubi inter alia, quae hic cum epicrisi adducuntur, etiam circulo aeneo in horas diviso aequatorem circumdedit, quo, quae ad tempus pertinent, facilius et exactius cognoscentur, quam circello qui ad polum adfigi solet. Hic vero ostenditur, et eius circuli aenei vices supplere ipsum aequatorem, adhibito levi calculo, qui 15 gradus loco horae ponit. In hoc aequatoris usu, nisi toto gradu erretur, tempus ad 4 minuta prima scitur. Jam agitur de puncto oriente eclipticae, angulo orientis, et altitudine nonagesimi. Huius tractationis severitatem lenit auctor narratione de

imagi-

imaginibus, quas aſtrologi cum ſingulis eclipticae punctis oriri finxerunt, quorum ſpecimina ex aſtrolabio plano Io. Angeli, Venetiis 1494. impreſſo, dedit. Notat, Aſtrologiam vix alia conſiderare, quam quae in horizonte contingunt, indicio, ortum eius ad rudiora illa tempora referendum eſſe, quibus coeli obſervatoribus nullum aliud erat organum praeter illud, quod natura ſtatuit, horizontem. Ad quem, cum etiam in anni partibus dividendis antiquiſſimi Scriptores georgici reſpiciant, pronum eſt, ex uſu oeconomico et chronologico abuſum aſtrologicum eſſe natum. His ducitur auctor ad tempus, quo quodvis Zodiaci ſignum opus habet ut oriatur, vel occidat; nam et illud, teſte Manilio, aſtrologus ſcire debebat:

Ne falſus dubia ratione horoſcopus erret.

Sub aequatore habitantibus, oppoſita ſigna, aequalibus temporibus oriuntur, et occidunt, quod eleganter verſibus expreſſit Lucanus Lib. IX. v. 531. ſeq. Joſeph. Scaliger in ſua Manilii editione, Lucanum adſerit haec dicere de tropico, ſub quem ponit Catonem perveniſſe, imo ſub aequatore recta ſigna oriri, et omnia aequalibus temporibus. Haec ultima duo a poeta dicta non reperiuntur; priori accuſationi ſpeciem aliquam praebet *circulus alti Solſtitii*, quem varie acceperunt interpretes. Noſter, ex Clavii commentario in Sphaeram Io. de Sacro Boſco, adducit, Petrum Iaconum eo ordine verſus Lucani diſpoſuiſſe, ut nihil omnino obſcuri ſuperſit. Scilicet poſt verſum:

Solſtitii medium ſignorum percutit orbem,

ponit Iaconus illos:

At tibi quaecunque es Lybico gens igne diremta
— — — — —
Et fuga ſignorum medio rapit omnia coelo.
Non obliqua meant, &c.

Ita

Ita Lucanus, cum tropicum nominasset, digressione poetica describit, quae appareant sub aequatore ignotis illis gentibus Lybico igne diremtis. Quae emendatio cum nihil nisi transpositionem versuum sumat, utique felix iudicanda est.

His finis imponitur tertiae illi dissertationi, quae quantam rerum copiam contineat, ex adductis patet, cum omnium catalogum texere noluerimus. Quaecunque, tum in Astronomia dom. de la Lande, tum in aliis scriptis, ad scopum dissertationis pertinent, diligenter hic collecta habentur, potueruntque tam multa tam paucis dici, cum ex generalibus analyticis formulis investigentur, quae alii Scriptores, singula ex propriis principiis synthetice operosius demonstrant. Calculorum forma ubique traditur facillima et brevissima, simul exactissima. Proximo volumine agetur de examine et usu instrumentorum.

IO. MICH. HEINSII, GYMN. VINARIENSIS Directoris, Stricturae quaedam Ovidianae.

P. Ovidii Nasonis, poetae inter Latinos venustissimi, Opus *Fastorum*, quod Romae coeptum *), Tomis apud Scythas exulans, ultimo vitae anno absolutum edidit **), reliquos hominis libros, si eruditionem utilitatemque variam spectes, facile vincere, non erit temere inter doctiores qui neget. Praeter enim fabulas complures nobilissimas, et ritus antiquos Graecos, Romanos, barbaros bene multos, quorum in omni Scriptorum genere usus est, licet inde discere veteris astronomiae bonam partem, cum ratione sacrorum Romanorum, et universae pene eorum religio-

*) Trist. 2, 549 – 552.

**) Lege ipsum lib. 4, 79 – 84. et Io. Massoni Vitam Ovidii p. 83. 103. et 132. editionis Lipsiens. 1758.

religionis historia, festorumque maxime caussis, origine, eademque sacrificiis ludisque celebrandi modo, nec non varia de sacerdotum utriusque sexus generibus, officiis, iuribus, de templis, lucis, auguriis, in quibus passim occurrunt quaedam etiam sacrorum librorum nostrorum eruditis lectoribus vel utilia cognitu, vel iucunda; ne de prisca Geographia, gentiumque origine et migrationibus, vetustissimaque historia aliquid dicam: quae omnia tam eleganter narrata, et iis figurarum sententiarumque et picturarum luminibus ab ingeniosissimo poeta distincta sunt, tamque admirabili orationis copia, numerorumque suavitate exposita, ut legentes numquam sine delectatione, plerumque etiam cum utili ad mores admonitione, a se dimittat. Hinc saepe doluerunt viri eruditi, dimidiam tantum horum librorum partem evasisse temporum edacitatem, alteram ante haec tria ferme saecula, si *Conrado* illi *Celtae*, oculato, ut ipse affirmat, testi credimus, sin coniecturae *Nicolai Heinsii* rectius habetur fides, iam ante Lactantii aetatem intercidisse *). Neque immerito solebat singularis Praeceptor noster, b. *Io. Matth. Gesnerus*, optare, ut licuisset istud naufragium, universorum, praeter Metamorphoses, Nasonianorum operum iactura redimere. Horum igitur librorum interpretationem cum haud ita pridem in coetu adolescentum nostrorum absolverim, visum est quaedam in illis observata cum eruditis communicare; si forte genuina eorum lectio, quibusdam in locis rectius constitui vindicarive, aut verus intellectus tali opella nostra adiuvari possit, quam aequos et intelligentes harum rerum arbitros boni consulturos esse speramus.

Ac primo quidem loco mihi occurrit, tironum certe causa, observabile specimen ingenii stilique Nasoniani, cuius hoc fere proprium est, ut amet in verbis ludere haut illepide,

*) vid. huius Commentar. in Ovid. Fast. ad versum lib. 6. ultimum.

pide, atque ea re interdum, ut fit, paulo videatur obſcurior. Tale hoc diſtychon lib. 1, 215. quo avaritiam ſaeculi cum luxuria certantem deſcribit: *Quaere ut abſumant, abſumta requirere certant* (homines), *Atque ipſae vitiis ſunt alimenta vices.* Ubi ſtudioſe poſita vides, per Paregmenon et Paronomaſiam, verba *quaerere* (*erwerben*), *requirere* (*wiedererwerben*), *abſumere*, *abſumta*; *vitiis*, *vices*, ſcil. vitiorum avaritiae et luxuriae. Quod pro *certant* habet quidam *tentant*, merito repudiatur; non modo quod nihil opus, autore *Burmanno*, ſed etiam quod minus elegans. Vernacule ſic declarem ſententiam poetae: *Sie leben in einem beſtändigen Streite des Erwerbens, Verſchwendens, und Wiedererwerbens; und dieſe Abwechſelung der Laſter, des Geitzes, und der Verſchwendung, nehmen beyde immer zu.* Eandem ſtultitiam Cic. vocabat *Certare cum uſuris, et fructibus praediorum*, Catilin. 2, 8. extr.

ibid. v. 219. et 20. nec ſatis declaratos, nec probe diſtinctos video apud *Heinſium* et *Burmannum*. Quaeſiverat ex *Jano* poeta (v. 189.) quare ſtipem ſ. monetam manu teneret? Cui reſpondit deus, boni ominis cauſa id fieri: quod poſtea explicat uſque ad v. 218. Huic cum ſatis feciſſet, praevidit aliam eiusdem interrogationem: Si ergo auſpicium, ſive omen ſtipis utile ſit, curnam aera vetuſta, i. e. numum aeneum, manu teneret potius, quam novum, aureum? Continuoque reſpondet: Aureum ſane meliorem eſſe, ſed retineri illum aeneum antiqui moris cauſſa. Nunc legat mihi aliquis verſiculos, ut ſunt apud *Burmannum*: *Tu tamen auſpicium ſi ſit ſtipis utile, quaeris. Curque iuvent noſtras aera vetuſta manus?* et fatebitur, credo, hanc lectionem minus reſpondere toti orationis ſeriei; ſed copulam in *curque* oppido eſſe alienam. Quod intelligens *Nic. Heinſius*, putabat leg. *ſi cur ſtipis utile quaeris.* Male. Neque enim hoc denuo quaerere poterat poeta, cui iam erat abunde ſatis factum. Taceo, duas quaeſtiones ſic proponi;

poni; quod parum convenit cum ſequentibus, ubi ad unam tantummodo reſpndetur. Ergo vix dubitem, Ovidium ſic dediſſe:

Tu tamen, auſpicium ſi ſit ſtipis utile, quaeris,
Curne iuvent noſtras aera vetuſta manus?

Quo admiſſo, non habebis quod deſideres.

v. 231. et 232. *Noſcere me duplici poſſes in imagine, dixit, Ni vetus ipſa dies extenuaret opus.* Hic 1) *in* male editum pro *ut*, quod, teſte *Heinſio*, multi libri, et editi etiam plurimi agnoſcunt, et ipſa ſententia poſtulat. Praeceſſit enim interrogatio: *Cur navalis in aere Altera ſignata eſt, altera forma biceps?* 2) *Navalis forma* dicitur forma navis, eodem modo, ac forma humana, i. e. hominis. 3) Non video, quo modo ferri poſſit illud *Ni*, quod ſenſu plane caret, et mutandum in *Si*, hac ratione: Ut me in duplici imagine, navis et bicipitis formae, tanto certius agnoſcas, quarum *ſi* forte altera, longinquitate temporis, omnia exedentis, extenuetur, tamen manebit altera. Nempe *duplex imago* non eſt h. l. forma biceps, ſed duplex figura, utroque veteris monetae latere, quam *vetus opus* vocat, expreſſa. (*Nodus in ſcirpo!*) —

Lib. 2, 103. *Ille* (Arion) *metu pavidus, mortem non deprecor, inquit.* *Heinſius* probat *vacuus* pro *pavidus*, licet in unico *Mureti* cod. pro diverſa lectione invenerit notatum: et multa congerit loca, ubi *metu vacuus* legitur, quibus alia ſuperaddit etiam *Burmannus*; quaſi id dubitetur, aut ad rem quidquam faciat. Mihi certe non diſplicet *pavidus*, quod non minus latinum eſt, et melius videtur huc convenire. Ingenioſe enim indicat poeta, Arionem diſſimulaſſe metum, quo re vera paveret. Itaque non erat, cur fides omnium codicum, propter unum illum neſcio quem, incertae autoritatis, repudiaretur a tantis criticis.

v. 277. Video ambigere interpretes, praeftetne legere: Pan numen *equarum*, an *aquarum*? Utrumque enim vere poffe dici ex difciplina mythica, certum. De priori nemo dubitat; de *aquis* vero, multis fcriptorum teftimoniis probant *Neapolis*, *Heinfius*, *Burmannus*. Caeterum, pro *equarum* pugnat tum autoritas plurium codicum, tum, quod hoc quidem loco etiam maius eft, contextus; qui de Pane, *filveftri* numine, et ab Arcadibus mediterraneis hominibus culto, loquitur. Neque diligentiae Ovidii conveniens videtur, medias inter *armenta* et *oves* inferere *aquas*; qui locus potius debebatur *equis*, quos omittere voluiffe vix eft probabile. Denique quod offendebat, *Taubnerum*, virum doctiffimum, ab armentis equas minus commode diftingui, nihil eft. Saepe enim *armenta* funt foli boves, (quorum etiam proprium erat arare, unde dicta armenta,) quemadmodum bona Lexica docent.

v. 280. *Transtulit Euander filveftria numina fecum. Hic ubi nunc urbs eft, tum locus urbis erat.* Quaefo, annon otiofus eft alter verfus, et frigidus, fi quidem fic fcripfit poeta? Sed tolle punctum in fine prioris, et principio fequentis fcribe *huc*, addita minori diftinctione, et conftabit poetae fua laus, fententiaeque concinnitas. Mirum autem, nihil varietatis hic inveniffe in libris viros doctos. (*inepte.*) —

v. 219. Sic vulgo diftinguitur: *Vita ferae fimilis, nullos agitata per ufus: Artis adhuc expers et rude vulgus erat.* Ego vero malim arctius coniungere utrumque verfum, et incidere poft *Artis*. *Noch durch keinen Gebrauch der Kunft geübt, oder gewitziget.* Nempe, non placet illud *nullos ufus* fic fine nomine pofitum, quod certe poffit intelligi, et dubito an patiatur latinitas. In fequentibus contra *expers* et *rudis*, poteft *artis* repeti. *Denn das Volk kannte noch keine Kunft, und war völlig unerfahren und unwiffend darinn.* Simili ratione emendandum duco,

v. 641. *Termine, ſive lapis, ſive es defoſſus in agro Stipes ab antiquis, ſic quoque numen habes.* Nam et hic poſt *Stipes* rectius incidas, quam poſt antiquos. Hoc enim vult dicere poeta, Terminum ab antiquis conſecratum eſſe, id eſt *numen habere*, ſive lapis ſit, ſive ſtipes. Contra vero nihil faciebat ad numen termini, quod ab antiquis in agro defoſſus eſſet. Et miror, hoc non veniſſe in mentem *Cel. Burmanno*, cum ſcriberet: Diſtinctione puto iuvandum locum &c.

v. 711. Mirabar ſaltum poetae, a narratione captorum per fraudem Gabiorum, caeſorumque urbis principum, tanquam enthuſiaſmo, ab tali genere carminis aliquantum alieno, abrepti ſubito ad prodigium ſerpentis ab altaribus Tarquinii prodeuntis, et propemodum ſuſpicabar de lacuna. Ergo conſului interpretes, et cum nihil quicquam ab his annotatum inveniſſem, quo admonerentur lectores, vel res expediretur, coepi totum locum a v. 685. acriori ſtudio perlegere; quo facto tandem intellexi, quae a v. 691. uſque ad 710. legerentur, omnia per parentheſin narrata eſſe, et v. 711. cum v. 684. coniungendum. Eam quare neglexerint facere viri docti, et verbo indicare attentis lectoribus neſcio. Mihi certe obſervare viſum eſt haut indignum, ne poſthac alii mei ſimiles in hoc ſcopulo adhaereſcant.

Lib. 4, 244. de Gallis, Cybeles ſacerdotibus: *Caedunt iactatis vilia membra comis.* Hic pro *vilia* Heinſius malebat *laevia*: male. Nam in *vilia*, i. e. turpia, eſt ἦθος: quia loquitur Muſa, virgo, v. 195. (*Quid autem ſi Muſae meretrices fuerunt?*) —

v. 765. *Neve minus multas redigam, quam mane fuerunt*, ſcil. oves. Sic vulgata. Heinſius vero in aliquot codd. reperit *nimis multo;* quod amplectitur, et probat, *minus multo* ſatis latine dici. Recte: ſed nihil ad rem. Precatur enim paſtor h. l non hoc, ut *non minus*

multo (oves), h. e. multo pauciores, redigat, ſed ut *non minus multas;* quod tam clarum, ut diſputatione non egeat, et eſt olim a doctiſſimo Taubnero obſervatum. Amant nempe interdum magni critici obſcurare nimis clara.

v. 889. Non video, quare dubitetur de lectione: *Nulla mora eſt operae,* ſcil. quam a me commodari vobis vultis, ſiue *auxilio,* quod petitis a me; qua voce v. 887. utebatur Mezentius. Senſ. *An meinen Dienſten ſoll es nicht fehlen. Ihr dörſt nur geben: vor den Sieg laſst mich ſorgen.*

v. 894. *Tyrrheno vota eſt vindemia Regi* (Mezentio.) *Iupiter e Latio palmite multa feres.* Sic vulgo; quod Heinſius mutavit in *feras.* Temere ſane. Nam et fortius eſt liberaliusque *feres;* et melius etiam convenit voventi. *Feras* contra magis optantis eſſe videtur.

v. 923. Sic precatur Flamen Dialis deam Rubiginem: Nec teneras ſegetes, ſed durum *amplectere* ferrum. Quo verbo aliud elegantius, naturaeve rubiginis magis aptum, magisque poeticum, haut facile invenias; ſed quid non critica pectora cogit interdum emendandi libido, cum cupidine iactandae doctrinae! Nam et hanc vocem ſublatam voluerunt magni critici, et permutatam cum *contere.* Et quare? Obverſatus fuit, alter inquit, librario, credo, verſus ex Epiſt. 7, 31. *Parce Venus, nurui, durumque amplectere fratrem.* Valde vero ſuſpicioſum virum immortalis famae, et vel propter honorem nominis, quod participo, carum mihi et colendum! Alter vero, *Contere,* rectum. Graecis enim ſic verbum δαμνάω. An ergo ſtatim corrigendus poeta Latinus, niſi Graeca tibi redoleat eius oratio?

v. 928. *Ruris opes niteant, inquinet arma ſitus.* Quidam ex praeſtantioribus libris, teſte Heinſio, *Ruris opus*

opus, i. e. inſtrumentum ruſticum, quo opus ruſtici faciunt; nota metonymia, quod equidem praeferre, et praeſtantioribus illis accedere non dubitem. Quamvis enim alio reſpectu eaedem res etiam ruris *opes* vocari poſſint, tamen huic loco, precantiſque conſilio, illud eſt aptius. Neque vero locus a viro laudatus Triſt. 3, 10, 59. ſatis huic ſimilis eſt: quippe ubi etiam *oves* nominantur, non ſola *plauſtra* cum aliis machinis ruſticis, unde ad hunc locum conſtituendum advocari non debuit.

GERARDI HOOFT, JUNIORIS, CIVITATI Amſtelaedamenſi ab Actis, Poemata, edita ab HIERONYMO DE BOSCH.

Amſtelaed. ap. Caeſ. Natal. Guerin. MDCCLXX. octonis.

Exquiſitior latinae linguae ſcientia, iuſtumque eius inter eruditos tuendae ac conſervandae ſtudium, cum hodie in dies magis magisque tepeat, mirandum non eſt, ſi etiam Poeſis latina, haud defunctoriam iſtius linguae cognitionem requirens, longe magis tepeat, imo plane frigeſcat. Verſibus quidem vernaculo ſermone fuſis orbis eruditus tamquam diluvio aliquo inundatur, et huiusmodi poetarum plena ſunt omnia; at mira paucitas illorum eſt, qui pedem proferre, et in hoc etiam Poeſeos genere aliquid inſignius praeſtare ſuſtineant. Id quod vero haud levi eſt indicio, egregia poetarum latinorum monimenta admodum negligi, plusque temporis ac ſtudii impendi legendis tantummodo noſtris poetis vernaculis, illis multo inferioribus, et, ſi quam nominis celebritatem conſecuti ſunt, illorum maxime veſtigia ſecutis.

Laudi

Laudi ergo atque honori ducendum est Batavis, quod, poeseos latinae venam inter se non exaruisse, luculentis subinde documentis probant. Missa ex oris istis ad nos sunt Poemata iuvenis, proh dolor, morte immatura abrepti, spemque haud exiguam sui insignioris olim poetae iniicientis, cuius adeoque memoria digna fuit, quae ab oblivione vindicaretur, *Gerardi Hooftii*, adornata et in lucem edita ab *Hieronymo de Bosch*. Qui *Boschius*, ipse poeta elegantissimus, postquam haec poemata, defuncti patri, carmine concinno, illorumque argumentum strictim tangente, nuncupaverat, sistit nobis in praefatione vitam Hooftii, de qua paucis, antequam ad poemata ipsa deveniamus. Natus noster poeta Amstelaedami a. d. XIV. Febr. MDCCL. ex amplissima et in historia Batava celebri gente originem duxit, Patre Gerardo Hooft, Gerardi filio, non minus propter multos in republica Amstelaedamensi honores, quam ob acceptam a Patre et ab Avo Atavisque consularem dignitatem conspicuo, Matre vero ex consulari genere, Witsena domo prognata. Sed ut haec sunt fortunae munera, quae et ignavissimo cuique haud raro eveniunt, praeter haec Hooftius alias habuit et maiores a natura dotes, ingenium vivax, placidum, memoriam tenacem, ita ut celerrime, quae tradebantur, ariperet, et arrepta diligenter contineret. Linguae Gallicae adeo gnarus fuit, ut a multis sit habitus non minus commode Gallice fuisse locutus, quam hi poterant qui in Gallia essent nati. Latinitatis elementa in Gymnasio, quod Amstelaedami floret, moderante *Henrico Verheykio*, didicit, utpote qui iam tum eam venae ubertatem, poeseos elegantias, et pullulantes ingenii facultates, quibus mox effloruit, primus detegeret, ad easque maturandas non parum utilitatis conferret. Poesi autem sub *Petri Burmanni secundi* auspiciis omnem suam operam et studium locavit, in qua longe magis excelluisset,

luiſſet, niſi de improviſo a Patre ceterisque Conſulibus ad munus publicum, quo Reipublicae patriae ab Actis eſſet, fuiſſet avocatus. Neque tamen hic intermiſit literarum ſtudia, nec teneros aetatis annos inertiae ac deſidiae emancipavit, ſed eo acrius horas ſubſecivas brevesque a negotiis ceſſationes arripiebat, et omne otium in legendis quibusvis aureae aetatis ſcriptoribus, et in primis poetis, Horatio, Ovidio, Propertio, et Tibullo conſumebat. Hoc modo poſtquam ingenium ſuum exercere, et ad optimas artes ſe componere incepiſſet, etiam Iurisprudentiae operam ſic dedit, ut de Iure reſpondendi facultas, Senatus Academiae Leidenſis decreto, niſi quid humani interveniſſet, ipſi mox fuiſſet delata. Quemadmodum ingenium eius bonis artibus excultum fuit, ſic etiam animus verae virtutis ac pietatis ſenſu imbutus. Graſſante vero id temporis Amſtelaedami lue epidemica, ex variolis deceſſit ad d. XVIII. Dec. MDCCLXVIII. anno aetatis decimo nono, cui Muſae longiorem vitam optaſſent.

Venimus iam ad Poemata ipſa, quae ſuavitate ſua, numerorum dulcedine, nativae ſimplicitatis copia, ac venuſta ſermonis compoſitione, ſe nobis valde commendant. Conſtant illa duobus libris, quorum *primus* carmina maxime amatoria, Juliae ſuae nuncupata, continet, quae quidem licet adhuc tenera ſint et iuvenilia, tamen clariſſime demonſtrant, qualis hic futurus erat, ſi longior aetas et maior experientia acceſſiſſet. Elegia prima Lectores et de argumento huius libri, et de Naſonis ingenio, imitatione felici ab eo expreſſo docebit. Veneris auxilium implorat, quo *Juliam* rite celebret:

Non libet indomiti cantare pericula belli,
Clara nec heroo dicere facta pede:
Nec nomen celebrare tuum, fortiſſime Mavors,
Vel pia thura tuis, Bacche, cremare focis:

 Non

Non ego Mercurii tentabo dicere laudes,
Aut canere ingenium, diva Minerva, tuum:
Te, Venus alma, precor, tenerorum Mater Amorum,
Digna tibi multa cum prece dona ferens;
Te colo, te veneror, mihi tu iuvenilibus annis,
Perpetuumque viro tu mihi carmen eris. —

— — — —

JULIA vel Paphiis non inficianda choreis
JULIA, deliciae, JULIA sola, meae,
JULIA, quae teneri vatem me fecit Amoris,
JULIA materiem carminis una dabit. —

Ut vero et de Juliae forma, et de concinna perspicuitate, qua illam depingit, iudicare valeamus, lubet haec transscribere:

Formosi crines per eburnea colla fluentes!
O oculi, urentes pectora nostra faces!
O facies Dominae, solis radiantis imago,
Qua Regina fores ipsa superba Deûm!
Mollia quae roseum simulatis labra colorem,
Quae labra Idaliae vincitis ipsa Deae!
Vos quoque, quae niveo turgetis pectore, mammae!
Brachiaque, Eoum quae superatis ebur!
Maxima vos estis misero mihi caussa doloris,
Torquetisque animum nocte dieque meum.
Vos eritis tamen o! quondam mihi sola voluptas,
Cum dabitur carae copia JULIOLAE.

Quam

Quam valde vero poeta noſter Tibullum prae ceteris in deliciis habuerit, geniumque eius tenerum ac mollem ſuum fecerit, teſtatur Elegia IX. ad columbas, *Juliae* a ſe dono datas:

O amor et Dominae gratiſſima cura, Columbae!
Quas nivea tractat JULIA ſaepe manu:
Quas nunc lacteolis ponit mea vita papillis,
Quas nunc humidulis admovet illa labris:
Baſia nectoreo toties quibus ore propinat,
Quas beat alloquio blandula ſaepe ſuo.
Ah quibus illecebris tantos meruiſtis amores!
An quia vos caſti Mater Amoris amat?
Quis non invideat vobis ea fata, Columbae?
Nec cupiat votis eſſe columba ſuis?
Sint Dominae exemplum fidei, mea dona, Columbae,
Atque columbino more perennet amor.
Sic utinam liceat, mea Lux, mea flamma perennis,
Noſtra columbinis ora ligare modis!
Nectere ſic noſtris utinam tua colla lacertis,
Iungitur ut cupido blanda columba mari!

Fatemur tamen occurrere paſſim, quibus lima adhuc admoveri queat. Ita e. c. in Elegia X, ubi ſomnium de Juliae erga ſe amore cantat, hoc diſplicet, quod adhuc ſomnians, et ipſam puellam ſuam conſpiciens, Veneri longo carmine gratias agit; quod quidem officium aptius poſt ſomnium perſolvi potuerat, nec natura ſomnii, in

primis amatori, sinit animum meditari, aut cogitationes ad rem aliam praeter adamtam transferre. Quando denique finis:

Si me mox placida somnus cum nocte reliquit
Dulcis et ex oculis fugit imago meis.
Quas non delicias, quae non ego gaudia sensi,
Hac Tecum specie, Julia, nocte brevi!

Clausula, quam *Utzius* somnio simili imposuit in carminibus lyricis germanice scriptis, nobis quidem longe plus salis ac veneris habere videtur.

Liber *secundus* poemata varii argumenti continet, inter quae Elegia, secunda in funere Ionae Witsen scripta, et propter stilum dramaticum, quo moribundum loquentem inducit, et propter orationis gravitatem tali viro dignam, quae simul animum iuvenilem poetae nostri bene moratum, ac pietatis virtutisque plenum spirat, excellit, itemque elegia V. Poeseos laudes depingens, ex qua patet, quam scite *Noster* immorari suo argumento, eique plenissimam lucem affundere didicerit: quam igitur, uti totum librum, lectoribus commendamus.

Ne quid denique ornamenti hisce Poematis defuncti Hooftii deesset, carmina nonnulla ei inscripta, ut et Epitaphia ei posita, adiecit *de Bosch*, de quibus aliquid dicendum videtur. Debentur haec variis auctoribus, quorum singuli benigna ingenii vena conspicui sunt, *Petro Burmanno Secundo*, *Laurentio van Santen*, *Iano Helvetio*, *Henrico*

Ver-

Verheykio, *Petro Nicolao Arntzenio*, *Antonio de Rooy*, et ipsi *Hieronymo de Bosch.* Longum esset ea omnia recensere, attamen nobis temperare non possumus, quin aliqua ex epistola *Boschii* ad Hooftium nostrum, in Angliam proficiscentem Juliae, nomine conscripta, excerpamus. Cepit illa nos, ac valde retinuit, partim nativa sua simplicitate, partim artificio isto, quo tenerum affectum puellae, discessum amici sui plorantis, ad vivum exprimit. Initium iam prodit eleganter affectum feminae indignabundae, atque spiculo amoris simul sauciatae:

Ergo me sine longinquas discedis ad oras
Anglicaque horrisonum per mare regna petis,
Ergo nulla subit tenerae te cura puellae,
Carior externis quae fuit una bonis;

Postquam Julia iam argumentorum pondere proficiscentem retinere frustra tentasset ita pergit:

Undarum est, quodcunque paras, en, adspice, surgit
Aeolus, Arctoi iam fremit ira maris.
Undique venturas infelix suspicor undas,
Quae mergant vastis transtra sub aequoribus.

— — — —

Quid tibi cum Pelago? pelago ne crede, Gerarde,
Terra tibi potior; flecte Gerarde, ratem.

Aut si vexati placeant iam murmura ponti,
Sim comes, et tecum regna Britanna petam;
Sim comes, haud dubitem conscendere femina puppim,
Rostraque virgineos ferre per alta pedes.
Ipsa legam teneris turgentia lintea palmis,
Atque operis merces tu mihi solus eris.
Dummodo sim tecum, me nulla pericula terrent,
Nec freta terribili turbine rapta Noti.
Ipsa sequar, natura suum qua deficit orbem,
Qua surgunt scopuli, qua via nulla rati;
Per Syrtes rupesque cavas, crescentia late,
Flumina, per gelidas iam lubet ire nives.

Cum nullus vero affectus concitatior animum diu sinit aequabilem ac sibi constantem fluctuat quoque oratio Iuliae, et redit ad priora:

Turpe rudimentum peregrinis quaerere cultum
Moribus, ah! Patriae noxa futura meae;
Si propriis contenta bonis mea terra fuisset,
Stulta nec externas appetiisset opes;
Non fuco medicata genas, non perdita luxu
Femina quaesitis ureret illecebris;

Gallia

Gallia non nostros, non fingeret Anglia mores,
Forma sed in cultu simplice grata foret.

Et cum aemulatio maxime urat puellas amantes, nihil magis expectatum venire poterat hoc argumento:

Forsitan, extimeo, tuus hic si desinat ardor,
Ne capiat plausus altera forma tuos;
Ne procul a nobis alios mediteris amores,
Inque tuos veniat nupta Britanna sinus;
Invida quae Batavis insultet moribus, et te
Blanda peregrino detineat gremio.
Hei mihi! si nostrae tibi sint oblivia formae,
Et rediens, quae sim Julia? et unde? roges.
Julia sum, nuper tibi foedere pacta marito. —

At haec animi perturbatio fit sedatior, et Julia redit ad se:

Nec tamen haec timeo, tua quae constantia, novi,
Quaeque sit haud ulla parte timenda fides.
Quo magis absentes suspirat femina amores,
Hoc magis ad vanos ingeniosa metus.

Sed sufficiat hisce, aliquos poetas tantummodo indicasse; utinam plures nostrae aetatis iuvenes, praeclaro suo exemplo

exemplo ad Poeſeos latinae cultum, et veterum monimentorum ſtudium, excitent! Nam nunc quidem inſaniunt certe verſiculis germanicis, atque ineptiis; et quo quisque in laudandis talibus aut tardior eſt, aut parior, hoc magis contemnitur. *Guſtum* appellant iſti homunculi ineptias ſuas; quem verae eruditionis conſulti procul a ſe omni tempore abeſſe iubebunt, tam eſt ſenſui antiquitatis, ſine cuius ſcientia nihil ſapimus, adverſus.

INDEX AUCTORUM,
quorum Libri aut Inventa in hoc Volumine recenſentur.

I. *Libri Theologici et ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantes.*

II. *Libri Iuridici.*

III. *Libri Medici et Phyfici.*

IV. *Libri Mathematici.*

Reccardi

V. *Libri Historici, Geographici, Numismatici.*

Libri Philosophici, Antiquarii, Auctores Classici, Philologici, Miscellanei.

Gottleber

INDEX

RERUM NOTABILIORUM.

A.

Astronomia

INDEX RERUM NOTABILIORUM.

Cometarum

de

Italiae

M

N

de

Q

R

S

de

Sphalmata operarum.

Pag. 9 lin. 28 pro *quaeritur* lege *queritur.*
— 74 lin. 3. pro *Saxonos* lege *Saxonis.*
— — lin. 4. pro *Lanitatem* lege *Latinitatem.*
— 103 lin. 1. post *Gothofredi* adde *Guilielmi.*
— 168 lin. 2. pro *se* lege *sed.*